
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
31 H
8



PRINCIPIA
TOTIUS
THEOLOGIÆ
MORALIS ET SPECULATIVÆ,
EX
S. SCRIPTURA, CONCILIIS,
SANCTIS PATRIBUS,

MAXIME

S. AUGUSTINO

Et aliis probatis Auctoribus compendiosè deprompta,



AUTHORE

FLORENTIO DE COCQ,

Ecclesiæ S. Michaëlis Antverpiæ Ord. Præmonstr. Canonico ac ibidem S. Theologiæ Lectore.

TOMUS SECUNDUS.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus BALTHAZARIS AB EGMOND, & Sociorum. M. DC. LXXXII.

Cum Approbatione.

INDEX
RACTATUUM, CAPITUM ET SECTIONUM.

TRACTATUS IV.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

VIII.

CAPUT QUARTUM.

De vitiis fidei oppositis.

APPENDIX.

CAPUT QUINTUM.

De Spe.

CAPUT SEXTUM.

De Charitate.

CAPUT SEPTIMUM.

De Correptione fraternâ & scandalo.

CAPUT OCTAVUM.

De Duello & Bello.

TRACTATUS QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Virtutibus Cardinalibus.

APPENDIX.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

De Injuriâ & Reſtitutione.

CAPUT TERTIUM.

De Occiſione & mutilatione.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

De Furto & Rapinâ & coöperantibus ad illa.

CAPUT QVINTUM.

De detractione & contumelia.

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

De Contractibus.

CAPUT SEPTIMUM.

De Judiciis.

CAPUT OCTAVUM.

De distributione onerum & beneficiorum

CAPUT NONUM.

De Simonia.

CAPUT

CAPUT DECIMUM.

De Religione.

CAPUT UNDECIMUM.

De Voto.

CAPUT DUODECIMUM.

De Superstitionibus.

CA-

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Fortitudine & annexis.

APPENDIX.

TRACTA-

TRACTATUS IV.

CAPUT PRIMUM.

De Fide Theologica.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Fides & quotuplex.

DICENDUM primò, Fidem varie usurpat Scriptura Sacra. Primò, pro *Fiducia*, ut Jacobi 1. *postulet in Fide nihil hæsitans.* 2. pro fidelitate, unde S. Aug. Epist. 19. *Fides*, ait, *appellata est in Latina lingua ex eo, quod fit, quod dicitur.* Ita habet Eccles. 22. *Fidem possìde cum amico.* 3. Pro objecto veræ Fidei, quomodò dicitur Act. 6. *Multa turba obediebat Fidei.* 4. Sumitur aliquando fides pro *Conscientia* dictante aliquid esse licitum aut illicitum, unde dicitur quispiam bonæ aut malæ Fidei possessor: ita varii intelligunt hoc Rom. 14. *Omne quod non est ex Fide, peccatum est.* 5. Sumitur pro assensu præstito sive ob rationem, sive authoritatem, sive assensus ille sit evidens sive inevidens, sive certus sive incertus. Denique, famosè, & in hac materia propriè sumitur pro actu vel habitu mentis sive intellectûs quo firmiter iis assentimur, quæ proponuntur credenda, idque ob authoritatem dicentis. Hinc, si authoritas illa, propter quam quis credit, sit humana, erit & fides humana: si sit divina, erit fides Theologica sive divina. *Quid Fides.*

Dicendum 2. Fides divina, est virtus divinitus infusa, qua intellectus firmiter assentitur iis, quæ à Deo revelata sunt, & credenda proponuntur ab Ecclesia. Aliter *Fides divina & Theologica.*

Definitio Fidei ab Apostolo data. Aliter eamdem definit Apostolus dicens, eam *esse substantiam sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Per *substantiam*, intellige basim seu fundamentum sperandarum rerum, cùm nemo speret aliquidquod non credit. Per *Argumentum non apparentium*, significatur, fidem ostendere res absconditas sive non apparentes, puta quas oculus non vidit, nec auris audivit.

Fides actualis & habitualis. Dicendum 3. Fides illa aliquando est actualis, aliquando habitualis. *Actualis* est, actus intellectûs, quo assentimur rebus Fidei propter divinam veritatem revelantem. *Habitualis* est, habitus Fidei qui in justificatione cum aliis animæ donis infunditur animæ per Spiritum Sanctum. An autem sit verus habitus agnoscendus, & quousque, dixi in materia de justificatione sect. 3.

Fides interna & externa. Alia quoque dicitur fides interna, alia externa juxta illud Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Unde, *interna* est actus intellectûs Fidei in animo latens, nec ulteriori signo externo manifestatus. *Externa* autem est assensus Fidei signo aliquo exteriori manifestatus, puta verbis aut aliis signis religionis.

Implicita & explicita. Dividitur ulteriùs Fides in implicitam & explicitam: *Implicita* est, quâ generaliter credo quidquid Ecclesia credendum proponit, sicut de nullo articulo Fidei in particulari cogitem. *Explicita* Fides est illa, quâ in particulari credo alicui Fidei articulo, v. g. Deum esse trinum & unum.

Mortua & viva. Denique dividitur Fides in Fidem vivam & mortuam, formatam & informem. Fides *viva* est Fides, cui opera, quæ Fides dictat, correspondent. Hinc Jac. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Fides *mortua* est Fides, cui opera Fidei non correspondent. Sicut enim actio est signum vitæ in agente: ita opera Fidei sunt signum Fidei vivæ sive viventis; & opera Fidei ad praxim deducentis.

Fides *formata* est, quæ conjungitur Charitati perfectæ,

...ctæ, unde perfectè unit cum Christo, vivum ejus ...embrum efficit & hæredem regni. Dico *Perfectæ*: ...ia omnis vera Fdes requirit adjunctum amorem ...ei, saltem imperfectum, cùm necessariò exigat affe...um voluntatis erga divinam veritatem revelantem, ...e quo mox plura. *Formata & informis.*

Fides *informis* est illa, quæ à Charitate perfecta se...aratur, qualis est in peccatoribus, Catechumenis se ...d justitiam disponentibus, de quibus agit Conc. Trid. ...es. 6. c. 6.

SECTIO II.

De Origine Fidei Theologicæ.

DICENDUM primò, cùm Fides sit virtus Theologica & supernaturalis, sequitur eam provenire à Dei gratia. Probat hoc Scriptura Sacra Joan. 6. ubi dicitur: *Hoc opus Dei, ut credatis in illum, quem misit ille.* Et ad Philip. 2. *Vobis donatum est, pro Christo, non solùm ut in eum credatis, verùm etiam ut patiamini pro eo.* Denique ad Eph. 6. *Charitas cum Fide à Deo Patre & Domino Jesu-Christo.* His Scripturæ locis, fatetur S. Augustinus sese couvictum l. de prædest. SS. c. 3. ut crederet Fidem non esse ex nobis. *Fides ex Dei gratia.*

Hujus quoque evidens advenit ratio, quòd Fides sit initium justificationis, quod in se comprehendit piam voluntatis affectionem in primam veritatem, quæ nihil est aliud, quam imperfecta Charitas: Deinde, quòd de se sit formaliter assensus rerum supernaturalium & consequenter ipsa supernaturalis: Ex quibus clarè patet, fidem esse ex Dei gratia, cùm omnis Charitas Dei propter se sit talis, uti & omnis scientia practica rerum supernaturalium, uti constat ex dictis in materia de gratia. Fundamentum hoc clarè probat S. August. l. de prædest. SS. c. 3. ubi

 ait,

ait: *Credere & velle bonum Dei est, quia ipse præparat voluntatem.* Et c. 9. *Fides igitur inchoata & perfecta Dei donum est.*

Et ex libero arbitrio. Dicendum 2. sic tamen Fides est ex Dei gratia, ut tamen concurrat & liberum arbitrium: Fides enim est actus liber, quo fit, ut rebus Fidei propositis & intellectu per Dei gratiam collustrato, possit homo non credere, & luci divinæ oculos cordis occludere. Hinc ait dato loco S. August. c. 3. *Credere & velle bonum Dei est, quia ipse præparat voluntatem: Et utrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis.*

Ex quibus omnibus refellitur Pelagii, Vitalis, Cœlestii, &c. Hæresis quâ docent, gratiam Dei ad credendum non esse necessariam, sed satis esse, quòd Verbum Fidei prædicator proponat, quo facto voluntatis est, velle credere & Fidei obedire. Refellitur quoque Semipelagianorum error docentium initium Fidei esse ex nobis, in quo errore ante Episcopatum degit Augustinus. Vide dicta in materia de gratia. Sect. 2. & 3.

Error aliorum. Dicendum 3. Graviter quoque errant, qui docent Dei gratiam omnium corda ad credendum pulsare & excitare, adeò ut solummodò gratiæ dictæ sit consentiendum, quo fit ut unus ex duobus æquali gratiâ præventis consentiendo gratiam acceptet, alter non acceptet. Hunc errorem ex professo refutat S. Aug. l. de prædest. SS. c. 8. ubi docet Dei gratiam efficere ipsum *Credere & velle.* Ex nolentibus facere volentes: auferre cor lapideum & dare carneum, &c. Deinde Constantissimè docet S. Pater, Dei gratiam, non tantùm nobis dare posse bonum agere & posse bonum velle, sed & dare ipsum velle, sese attemperando libero arbitrii nostri agendi modo, quo sensu dicit ibidem S. Aug. *Facile namque Deo est, aversas & adversas in fidem suam convertere hominum voluntates.* Denique Dei gratia est quæ fidelem discernit ab infideli, quod hic tribuitur voluntati. Vide dicta de gratia, & prædestinatione,

Dicen-

Fides est donum Dei.

Dicendum 4. Quòd unus credat, alter non credat, ad arcana Dei judicia est referendum, qui gratiam Fidei quibus dat, misericorditer tribuit, quibus negat, justissimè negat.

Quomodò Fides sit in nostra potestate.

Porrò, etsi fides ita dependeat à Dei gratia, rectè tamen dicitur esse in nostra potestate. Cùm enim illud in potestate sua quisque habere dicatur, quod cum vult, facit, si non vult, non facit, ut ait S. Aug. l. de Spiri. & lit. c. 30. sequitur fidem esse etiam in nostra potestate, cùm credat volens, sive cum vult, vel ut ait Augustinus, *quia non fit, nisi volentibus nobis*. Quòd tamen velimus credere, à Deo est, qui voluntatem præparat, & intellectum illuminat; Dominus enim illuminat cæcos: Non autem voluntatis.

Deus cor aperit ad fidem dandam iis qua prædicantur.

Dicendum 5. Frustra fidem prædicari audientibus, nisi divina gratia assensum fidei procuret, intellectum illuminando, & voluntatem piè afficiendo. Declarat illud S. Scriptura Act. 16. quæ tradit Deum aperuisse cor Lydiæ, ut intenderet his quæ dicebantur à Paulo. Deinde, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Unde appositè S. Gregorius l. 11. mor. c. 5. *Mutum est omne os quod loquitur, si ille interiùs in corde non clamet, qui adspirat verba, quæ audiuntur*. Nisi enim *Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam*.

SECTIO III.

De actu voluntatis ad fidem requisito.

Voluntas Fidem imperat.

DICENDUM primò, ad Fidem Theologicam requiritur actus voluntatis qui assensum fidei imperet. Cùm enim res fidei non ita clarè à Deo revelentur, lumen fidei non ita efficaciter hominem convincit, ut absolutè credere debeat: Sed opus est voluntatis electione, quæ intellectum ad credendum moveat & determinet, plus tribuens divinæ veraci-

tati, quam humanis ratiunculis in contrarium obstantibus. Hinc dicitur fidelis *intellectum suum captivare in obsequium fidei* 2. cor. 10. & ad Rom. 10. *corde creditur ad justitiam*, cor autem voluntatem passim significat in Scriptura. Quare causam incredulitatis Judæorum, in voluntatem eorumdem refundit Joan. 12. ad quod S. August. tract. 26. in Joan. dicit: *Judæos non potuisse credere, quia nolebant.*

Deinde, quòd ad fidem necessarius sit actus voluntatis, clarè patet ex eo, quòd fides sit actus liber, ad quem necessarius est actus voluntatis. Unde rectè Ambrosius in c. 4. Epist. ad Rom. *credere* ait, *aut non credere voluntatis est. Neque enim cogi quis potest ad id quod manifestum non est: Sed invitatur, non extorquetur, sed suadetur.*

Voluntas illa est Charitas

Dicendum 2. Actus ille sive pia affectio voluntatis, nihil est aliud quam charitas imperfecta: Est enim bona voluntas, quæ bene afficitur divinæ veracitati aliquid revelanti, & actum fidei imperat. Omnis autem bona voluntas est charitas, ait S. Aug. l. de grat. Christi c. 21. hac de causa frequens est S. Patri distinctio, quâ distinguit fidem dæmonum à fide Christianorum, quod *dæmones credunt & contremiscunt*, ut ait Jacobus c. 2. Christiani amando. Hinc ulteriùs, si Hæreticus quispiam timore pœnæ, amore pecuniæ, honoris, &c. convertatur ad Fidem & rebus Fidei credat, & in obsequium Fidei eo motivo intellectum suum captivet, si desit pia hæc erga divinam veritatem voluntatis affectio, non verè fit fidelis sive verè credit, *Quia talis non fieri, sed vult potius fingere* fieri fidelem, ait in simili S. Aug. de Catechis. rud. c. 5.

Fides an possit esse sine charitate.

Ex quibus facilis est responsio, ad quæstionem, quâ quæritur an fides possit esse sine charitate: potest enim esse fides sine charitate perfecta, uti patet in peccatoribus, Catechumenis, &c. sese ad justitiam præparantibus. Non potest tamen esse fides, sine charitate imperfecta, sive pia affectione voluntatis erga divinam veritatem revelantem.

Sequi-

Sequitur ulteriùs, quo sensu sæpè fides dicatur *cognitio affectiva*, sive quæ affectum voluntatis habet annexum, idest charitatem; adeò ut lumen ejus non suspendatur in intellectu, sed à voluntate imperetur & descendat & accendat voluntatem: sic & Apostolus 2. Thessalonic. 2. v. 10. vocat fidem, *Charitatem veritatis*: de quibus videri potest Exim. D. Fromondus in 1. Joan. 2. 5. 13. & c. 3. 6. c. 4. 6. 8. & alibi.

SECTIO IV.

De Fide Latè dictâ.

Ultra dictam & explicatam fidem Theologicam, adinvenit quorundam naturalis proclivitas extendendi cœli tramitem, novam quamdam & abstrusam fidem, quam vocant *latè dictam*. Fides hæc nihil illis est aliud, quam evidens notitia Dei, hausta per scientiam ex creaturis, qualem olim habuerunt Philosophi gentiles. *Fides latè dicta.*

Hac fide primum docuit Origenes quempiam vitare posse damnationem, & honorem & gloriam acquirere, etsi non salutem æternam, utpote quæ solis verè credentibus reservatur. Origenes

Pelagius tamen ulteriùs egressus, docet naturali tali cognitione Dei, hominem potuisse consequi salutem æternam, ad quam vires naturæ sufficere asserebat. Idem docent Swinglius & Erasmus, dum Catonem, Socratem, Ciceronem & alios gentiles Philosophos in cœlo collocant, eo quòd naturali illâ cognitione, sive fide latè dictâ Deum agnoverint: Unde Erasmus sese continere vix valet, quin exclamet *S. Socrates ora pro nobis*, uti patet ex Dialogo, convivio Religioso nuncupato. Pelagius Swinglius. Erasmus.

Lutherus tamen, Paulò hic scrupulosiùs, docet hanc Swinglii opinionem esse Pelagianam; & merito: Luther.

Unde mirum est, quosdam scriptores Catholicos & Religiosos idem tradidisse.

Fides latè dicta non est Fides. Dicendum ergo 1. Fides illa latè dicta non sufficit ad salutem. Probatur, quia sine vera fide non est obtinenda salus; atqui illa fides, quam latè dictam vocant, non est vera fides, ergo. Constat minor ex eo, quòd fides vera, sit substantia & argumentum rerum non apparentium; hæc apparentium. Verâ fide captivatur intellectus in obsequium fidei, hâc fide convincitur aliquis ad assensum. Fides vera vocatur fides Christiana, hæc gentilis, Aristotelica, & infidelium, & consequenter fides latè dicta, est fides minimè fides, ut bellum minimè bellum.

Sola ergo Apostoli sententia data ad Hæbr. 11. *Impossibile est sine fide placere Deo*, destruit aliorum dogma de sufficientia hujus fidei ad salutem, quamvis idem faciat aliis locis quamplurimis.

Objiciunt alii, per Fidem hîc intelligere Apostolum, uti & aliàs, Fidem latè dictam: Resp. cum D. Augustino Enchridii c. 8. *Meliùs hanc appellamus Fidem, quam divina eloquia docuerunt, earum scilicet rerum, quæ non videntur.* Intelligenda enim hîc est Fides illa, quam intelligit communis Ecclesiæ, & SS. Patrum sensus, non quam intelligit quorumdam ingeniorum petulantia, quam taxat in exponenda Sacra Scriptura S. Trid. Synodus Sess. 4.

Porrò Concilium illud Ses. 6. can. 1. ita definit: *Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis Doctrinam fiant, absque divina per Jesum-Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit*: Fides autem latè dicta indubiè haberi potest per humanæ naturæ vires, quâ tamen hominem salvari posse prætendunt aliqui. Unde Tiletanus Academiæ Lov. Doctor Trid. adversum Kemnitium in Apologia Tridentini Concilii, docet citando dictum Concilii Canonem, ibidem damnatam esse Doctrinam, quam Catholicis affingebat Kemnitius, scilicèt Philosophos salvatos esse sine vera Fi-

de

e Evangelii, puta solâ cognitione naturali unius Dei.

Objiciunt ulteriùs: Durum videtur illos damnari defectu Fidei supernaturalis, qui naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, nec adsit ipsis, qui Fidem proponat; quomodò enim audient sine prædicante? Et quomodò credent in illum, quem non audierunt, rogat Apostolus? Resp. hîc veneranda esse judicia Dei, qui est terribilis in Consiliis super Filios hominum: neque hoc durius videri debet, quam quòd Deus pueros sine Baptismo discedentes plectat damnatione perpetuâ: Deinde, quomodò hoc durum erit, qui omnes homines in statu lapso, relinquere potuisset justissimo suo judicio in massa damnata? Non est ergo homo, qui hîc respondeat Deo, & solùm cum S. Augustino considerandà est altitudo Consilii divini, super salute generis humani. Denique Fides donum, est primum gratiæ donum & beneficium, quod quibus datur misericorditer datur, & quibus negatur, justissimè denegatur.

Objicies ultimò: Justinus in sua Apologia c. 28. Socratem salvum esse docet, imò vocat eumdem *Martyrem*, cùm ob causam Fidei Chrstianæ sit passus. Resp. Ex Laërtio in vita Socratis patet eum 280. sententiis ad mortem esse condemnatum, inter alias quòd juvenes corrupisset, dæmoniorum cultum inveheret, &c. dicitur tamen *Martyr*, eo quòd quoque damnatus sit, quòd doceret esse solummodò unum Deum, neque plures, uti docebant gentiles. *An Socrates sit martyr.*

Nec quispiam hîc opponat, quæstionem jam de Fide latè dicta decisam, nihil momenti habere ad praxim: Cùm ab ea dependeat Christianæ vitæ norma, & salutis negotium. Hinc pastores, Catechistæ, &c. Sollicitè coguntur instruere greges sibi subjectos, de Fidei essentia, & veram Fidem à falsa segregare: Nihil enim proficit structura ædificii, ubi deest fundamentum veræ Fidei non Fidei Gentilium aut Philosophorum. Hinc damnata est ab Ecclesia hæc propositio: *Quæstio de Fide latè dicta est maximi momenti ad praxim.*

Fides

Fides latè dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit.

SECTIO V.

De objecto formali Fidei.

Objectum formale. OBJECTUM formale est idem, quod ratio credendi, sive motivum quod hominem ad credendum inducit. Unde

Dicendum primò; objectum formale Fidei, non esse rationem humanam. Hinc Apost. 1. cor. 2. ***Prædicatio nostra, non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ Verbis.*** Deinde ad Heb. 10. Fides dicitur ***Argumentum non apparentium.*** Idem docet S. August. contra Manichæos l. de utilit. credendi. & S. Bern. Epist. 190. Contra Abailardum.

Quomodo se habeat ratio humana ad fidem. Dicendum 2. etsi ratio humana non sit objectum formale Fidei, potest tamen suo modo ad assensum Fidei concurrere: Ratio est, quia ut intellectus prudenter credat, requiritur ratio credibilitatis: Deinde quando res Fidei ratio comprobat, faciliùs ad assensum Fidei inclinatur intellectus.

Objectum formale Fidei est divina veritas revelans. Dicendum 3. objectum formale Fidei est, divina veritas revelans, sive Deus aliquid revelans. Sicut enim in humanis ideo inducimur ad credendum, quia alterius referentis nos movet authoritas, quæ quo major est, eo assensus credendi erit firmior: Ita in fide divina, ideò credimus, quia Deus ipsa veritas aliqua revelat, quæ quia falli nequit aut fallere, firmissimè ad assensum fidei nos inducit.

Quid importet divina veritas Hæc autem divina veritas duo importat, infinitam sapientiam quâ fit, ut falli nequeat: & infinitam bonitatem, quâ fit, ut fallere non possit. Si enim falli quidem nequeat, sed possit fallere, autècontra si fallere quidem nequeat, sed possit falli, non erit infallibilis, nec infallibilem meretur assensum.

Propter

Propter hanc Dei veracitatem, credimus etiam fide divinâ Deum esse veracem, adeò ut Dei veracitas sit objectum materiale, simul & formale: Neque hoc ridiculum erit, attento quòd divina veracitas sit tantæ authoritatis & infallibilitatis, ut eidem credi debeat attestanti sese esse infallibilem.

Quid revelatio.

Dicendum 4. Revelationem integrare objectum formale fidei. Revelatio autem illa nihil est aliud, quam Dei locutio, quâ res fidei nobis manifestat, prout aliquando fecit per Angelos, Prophetas, Apostolos, Pastores, imò aliquando immediatè, uti Petro revelavit Christum esse Messiam. Cùm enim ideò quis credit, quia hoc à Deo per hominem testificatum est, sequitur revelationem illam esse rationem formalem credendi.

Pro quo notandum est, revelationem illam non posse considerari, ut actionem hominis testificantis res fidei, sed ut testificationem Dei, qui res fidei per eosdem ut sua instrumenta revelat, sic ut revelatio illa censeatur participare suam authoritatem à Deo ut principaliter ad assensum fidei inclinante, quamvis revelatio illa per homines facta verè moveat credentem, non quia ultimatè homini acquiescit, sed Deo per hominem attestanti. Unde Apost. 1. Thessal. 2. *cùm*, ait, *accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed sicuti verè est, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Et rursum Joannes Epist. 1. c. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.*

Revelatio Dei nos movet ad Fidem.

Ex quo consequitur primò, revelationem Dei non esse tantummodò conditionem sine qua non, idest sine qua res fidei nobis non innotescerent, sed quòd verè nos moveat simul ad credendum.

Sequitur secundò sollicitè à Pastoribus edocendum esse, non debere credi, merè quia aliquid à Pastore assertum est: Sed quòd Deus aliquid per Pastorem asserat aut reveler.

Dicendum 5. Authoritas Ecclesiæ non pertinet ad ratio-

Authoritas Ecclesiæ an ad fidem spectet? rationem formalem Fidei. Ratio est, quòd Ecclesiæ authoritas, etsi sit infallibilis, non tamen est testimonium Dei, unde Ecclesiæ authoritas non excedit certitudinem Fidei humanæ. Quamvis enim credant res Fidei, quia Deus verax est & eas revelat, & rursum credant Deum veracem esse & illud revelasse, quia Ecclesia hoc asserit & testatur: Tamen ultimò illi acquiescunt, non ut rationi formali & motivo credendi, sed applicandi: Unde ultimò resolvitur Fides in authoritatem Ecclesiæ tamquam applicationem ultimam objecti, non itidem ut caussam aut objectum formale credendi.

Clarè illud patet ex eo, quòd Ecclesiæ authoritas, ad credendum non semper sit necessaria, uti fit quando alicui res divina immediatè relevatur: Objectum autem formale Fidei, in omni Fide divina necessariò concurrit

Collige ergo, quo sensu verum sit illud S. Augustini l. cont Epist. fundam. 5. ubi ait: *Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ Catholicæ me commoveret authoritas*: Non quasi Ecclesiæ authoritas sit objectum formale Evangelio credendi: Sed solùm regula applicans & dictans quales libri Evangelici sint legitimi, quales spurii. S. Aug.

SECTIO VI.

Quænam Revelatio sit objectum formale fidei.

Revelatio interna. Dicendum primò, objectum formale fidei, non est solummodò fundandum in interna & privata revelatione, quâ Deus cuique inspirat quid sit credendum, adeò ut privatus cujusque spiritus sit rerum credendarum Judex & arbiter, uti volunt nostri temporis Hæretici. Ratio hujus est, quòd sufficiat ad credendum revelatio publica facta Apostolis, nobis per Ecclesiam patefacta: Quamvis fatendum sit,

sit, quòd revelatio privata alicui facta ad credendum possit sufficere, cùm planè ad fidem per accidens sit & indifferens an res fidei sint publicè, an privatim revelatæ, dummodò certò constet eas esse revelatas. Unde Apostoli, Deipara, & alii varia crediderunt, quæ tantùm privatè sibi erant revelata.

Objicies: Fides Catholica id est universalis, debet habere rationem credendi universalem. Deinde, dicimur super ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ergo fides nostra innititur revelationi publicæ illis factæ. Resp. Fides nostra est universalis, quod omnibus omninò credenda proponatur, & per totum orbem sit diffusa, & quòd primarium ejus objectum sit publicè revelatum cum quo rectè consistit, aliqua fidei nostræ privatim esse revelata. Deinde, de facto quidem innititur fides nostra Apostolis & Prophetis, & revelationibus illis factis; sed inde non sequitur, quòd privata revelatio ad fidem non sufficiat, cujus contrarium mox ostendi. *Qua ratione fides nostra sit Catholica & universalis*

Dicendum 2. Revelatio virtualis sive mediata, quando aliquid in aliquo alio est revelatum, non sufficit ad fidem, si assensus ille tendat in objectum virtualiter revelatum propter consequentiam, quam habet cum alio formaliter & in se revelato. Ratio hujus est, quia fides innititur divinæ veritati, non autem consequentiæ, divina enim veritas est infinita, infinitè superans quamlibet certitudinem naturalem. *Revelatio virtualis.*

Si verò assensus fidei tendat in aliud, quod virtualiter est revelatum, non ratione consequentiæ, ut objecti formalis; sed solùm ut est conditio applicans & dictans revelationem virtualem contineri in formali, sufficere poterit ad fidem, cùm hoc casu credatur propter divinam veritatem, non propter consequentiam ut motivum formale. Hinc, si quis fide divinâ crederet huic, *Omnis homo est rationalis*, credere posset eâdem fide huic virtualiter in ea contentæ, *Petrus est rationalis.*

Obji-

Objicies: etsi de fide sit hæc: *Omnis hostia legitimè consecrata continet verum Christi Corpus*: Non tamen hæc in eo virtualiter contenta: *Hæc hostia* quam v. g. elevat Sacerdos adorandam, *Continet verum Christi Corpus.* Resp. illa ultima non continetur in priori, sed hæc, *Hæc hostia legitimè consecrata continet verum Christi Corpus*, quæ etiam de Fide est, cùm de Fide sit, omnem omninò hostiam legitimè consecratam, continere Corpus Christi. Hæ tamen, *Hæc Hostia est consecrata, hæc Hostia continet verum Christi Corpus*, non sunt de Fide, cùm illas non credamus Fide divinâ, sed morali certitudine dumtaxat, quæ sufficit, ut juxta illam, debitum Deo cultum exhibere quis debeat. Idem dic de hac: *Innocentius XI. est caput Ecclesiæ*, scilicèt eam non esse de Fide, etsi de Fide sit, *Omnis Pontifex legitimè electus, est verè caput Ecclesiæ*, cùm non constet Fide divinâ eum esse legitimè electum. De quo posteà.

SECTIO VII.

An Deus possit revelare, sive testari falsum.

Deus non potest mentiri. DICENDUM primò, Deum neque potentiâ ordinariâ, neque extraordinariâ posse mentiri, ergo nec testari falsum. Quòd non possit mentiri, ipse probat ad Hæb. 6. ubi per Apostolum ait: *Impossibile est mentiri Deum.* Ubi to *impossibile*, tollit omnem omninò potentiam; quod enim potentia extraordinaria Deus potest, absolutè potest: Uti potest absolutè condere novum Mundum. Deinde si mentiri posset, corrueret fides nostra, quæ à nobis exigit assensum firmissimum, qualis non debet exhiberi illi, qui fallere & falli posset.

Idem est Deo falsum dicere & mentiri. Quamvis autem aliquis dicere possit falsum, sic ut non mentiatur, si bonâ fide putet se verum dicere; in Deo tamen hoc locum non habet: Cùm enim Deus sit

sit summè sapiens, scit semper se dicere falsum, si falsum diceret, adeòque mentiretur loquendo & eundo contra mentem. Ratio ergo totius dictæ sententiæ est hæc, quòd Deus mentiri non possit, cùm sit intrinsecè malum, ut alibi probabitur.

Hoc tamen notandum est, quamvis Deus nec per alios mentiri possit, tamen aliquibus aliquando objicere res aliquas, ex quibus alii vel suâ malitiâ, vel imprudentiâ captent occasionem mentiendi aut decipiendi. Deinde, dicitur aliquando Deus aliquem deducere in errorem, non positivè inducendo, sed solùm permittendo, uti in simili diximus de peccatis, ad quæ Deus homines movere dicitur. Denique, plurima quæ Deus prædixit futura, postmodum facta non sunt, nec ideò falsum dixit aut decepit alios; quia vel hoc non prædixit absolutè, sed solùm sub conditione, vel solùm comminatoriè, minando quid fieret, nisi resipiscant, uti patet in Prophetia Jonæ & aliis. *Quomodo Deus alium deducit in errorem.*

Dicendum 2. Non potest Deus alicui infundere assensum falsum, sive errorem: Tam enim implicat Deum esse causam erroris, qui sit summa & infinita sapientia, quam implicet infinitæ bonitati esse causam malitiæ. Dico *causam erroris*, cùm possit esse erroris *occasio*, uti mox ostendi: Verùm error ex tali occasione natus, non potest Deo, sed debet homini adscribi; cùm suâ malitiâ aut imprudentiâ in errorem ruat, & de cætero Deus habeat causam justissimam aliquid ponendi, ex quo alter sumit occasionem erroris. *Non potest Deus alicui infundere habitum erroris.*

Dicendum 3. non potest Deus alicui infundere habitum erroris seu habitum falsum, uti nec potest infundere habitum vitiosum. Etsi enim habitus ille in se non sit malum morale, sed physicum, est tamen causa mali moralis, in quod habitus ille directè inclinat: Repugnat autem summæ & infinitæ sapientiæ infundere alicui principium aliquod aut causam, quæ directè tendit & deducit alterum in errorem, sicut eâ de causâ repugnat summæ bonita-

ti infundere habitum vitiosum, de se inclinantem in peccatum.

Non potest Deus uti verbis in obvio sensu falsis. Ex dictis collige, non posse quoque Deum uti verbis ambiguis, de se & obvio sensu falsis: Uti neque veris, sed ita occultatis, ut humanâ conjecturâ colligi id nequeat: Cùm his casibus, esset Deus moralis causa erroris & deceptionis secutæ, quod absolutè fieri nequit, ut mox ostendi.

Neque facere miracula de se confirmativa falsæ Fidei. Deinde colligi potest, Deum non posse facere Miracula, quæ morali æstimatione censerentur facta in confirmationem doctrinæ falsæ. Si enim Deus id posset, frustra Catholici ad miracula confugerent, tamquam signa certissima veræ Fidei, uti & fecit Elias 3. Reg. 18. Hinc etiam Deus, Dæmonem conantem suis prodigiis homines ad falsam Fidem pertrahere, ejusdem fraudem & falsitatem detexit, in Symone Mago, Elyma, coram Pharaone, &c.

SECTIO VIII.

An Testimonium, quod solum existimatur esse à Deo, possit esse objectum formale Fidei.

Status quæstionis est hic: An sit fides divina, quâ quis assentitur alicui propositioni, quam putat à Deo esse revelatam, sic ut revera ab eo revelata non sit. Hinc

Assensus ob testimonium Dei putatitiũ non est fides vera sed putatitia. Respondeo primò assensum illum non esse fidem divinam. Ratio est, quòd objectum formale fidei divinæ, in quod ferri debet fides divina, est testimonium Dei, non apparens solùm, sed revera existens & subsistens, sicut habitus scientificus non tendit in objectum apparenter verum, sed quod à parte rei est tale. Ratio hujus ulterior est, quòd aliàs fidei posset subesse falsum, quod mox rejecimus. Hinc si quando Episcopus aut Pastor proponat aliquid ut à Deo revelatum, v. g. quando tempore S. Cypriani propositum fuit

fuit in Concilio Carthaginensi, ab Hæreticis Baptisatos, esse rebaptisandos, quod ut punctum fidei à Populo credebatur: Non credebatur illud fide divinâ, sed humanâ dumtaxat.

Objicies: Ille, qui invincibiliter putat aliquid esse præceptum, & actum præcepti exercet, ponit actum veræ obedientiæ: Ergo qui invincibiliter æstimaret aliquid à Deo esse revelatum, & illi assentiretur, poneret actum veræ fidei. Resp. Negando conseq. ratio disparitatis est hæc, quòd actus voluntatis recipiant suam bonitatem ab objecto, non ut in se est, sed ut ab intellectu voluntati proponitur: Actus autem intellectûs, non accipiunt suam rectitudinem ab objecto, uti æstimatur, sed ut in se ipso est: Unde actus intellectûs tendens in objectum à parte rei falsum, quod tamen putat esse verum, revera est falsus.

Objicies 2. qui discrederet articulo, quem putat esse de Fide, qui tamen de Fide revera non est, esset hæreticus, ergo qui tali crederet, haberet Fidem divinam. Resp. talis non esset perfectè hæreticus, defectu veri objecti formalis Fidei, revera existentis: Esset tamen ille in voluntate hæreticus, quatenus quantùm est de se, nollet subjici authoritati primæ veritatis.

Objicies 3. Fides dictat Hostiam à Sacerdote elevatam esse adorandam: Potest autem fieri, hostiam illam non esse consecratam. Resp. Fides dictat hostiam verè consecratam esse adorandam, non item præcisè hanc, quam morali certitudine scit esse consecratam.

Dicendum 2. Defectu veri objecti formalis fidei, sæpè erratur in revelationibus privatis, dum quas à Deo provenire autumant, vel à Dæmone, vel proprio cerebro dimanant, adeò ut aliquando pro revelationibus obtrudantur somnia. Ut autem falsitas talis revelationis à veritate dignoscatur, videndum est ad personam, cui revelatio contingit, num sit debilis cerebri, & humidioris, quâ ratione mulieribus in hac parte æquo magis illuditur: num sint probæ vitæ, non *Revelationes privatæ sæpe fallunt.*

hypocritæ, turpem quæstum ambientes, &c. Num sint sanæ in fide: num ad pia & religiosa revelatio conducat, & talia revelet, de quibus plura dicam de superstitione.

SECTIO IX.

An revelatio ad fidem requisita possit esse evidens.

Fides de se obscura.

Potest fides consistere cum clara cognitione.

DICENDUM primò, quòd quamvis fides de se & ex natura sua debeat esse obscura & inevidens, tamen verior apparet sententia quæ docet, quòd tam revelatio, quam res revelata possit esse clarè & evidenter cognita, adeòque quòd fides naturaliter consistere possit, cum clara cognitione naturali circa idem objectum. Probatur 1. Quia Deipara & Apostoli credebant Christum incarnatum, quod & clarè videbant: Deinde Philosophus noscens ex effectibus existentiam Dei cognitione naturali, veniens ad fidem idem credit fide divinâ, cum *accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Denique juxta aliquos Paulus in raptu clarè vidit Deum, quo casu non est verosimile eum amisisse fidem.

Objicies, fides est argumentum non apparentium, & juxta August. & Greg. fides est credere quod non vides, & quæ apparent, fidem non habent, sed agnitionem, &c. Deinde fides humana non potest consistere cum evidentia & cognitione clara. Resp. Ad hæc & similia, nihil aliud importari similibus loquendi modis, nisi fidem quantùm est de se, & de suo tendendi modo, versari circa obscura & non apparentia, sive quòd objectum formale fidei, de se non causet, nisi assensum inevidentem. Hinc rectè SS. PP. docent, aliquid credi non posse sub ea ratione, qua apparet, cùm sub ea ratione non habeatur ratio formalis fidei, quæ de se obscura est & inevidens. Deinde, aliud est in fide humana, aliud in fide divina scientiæ conjunctis: Scientia enim fidem humanam destruit,

ſtruit, quia in ſe habet omnem omninò perfectionem fidei humanæ, non item fidei divinæ: Licet enim ſcientia fidem divinam ſuperet evidentiâ, non tamen eamdem ſuperat certitudine, quâ fides omnem cognitionem naturalem ſuperat, unde intellectus perfici poteſt, tam ſcientiâ, quam fide divinâ.

Dicendum 2. Idem actus poteſt eſſe fides, ſcientia, & opinio. Ratio eſt, quia idem actus poteſt tendere in objectum idem, ſed ſub diverſa ratione formali, quarum una eſt ratio formalis fidei, alia ſcientiæ, alia opinionis. Neque ideo erit idem actus evidens & inevidens, clarus & obſcurus: quia talis actus erit abſolutè evidens & clarus, etſi poſſit dici non clarus & inevidens, quatenus ſubſtat rationi formali fidei aut opinionis. Denique motivum unius non elidit aût extinguit motivum alterius, motivum ſcientiæ motivum opinionis, uti majus lumen offuſcat minus: quia rationes illæ formales, retinent ſuam movendi vim, & afficiunt intellectum. *Idem actus poteſt eſſe fides, ſcientia & opinio.*

SECTIO X.

De evidentia credibilitatis rerum Fidei.

Dicendum primò, quandoquidem voluntas bene affecta primæ veritati revelanti, non inclinat intellectum cœco & temerario modo ad aſſenſum, ſed prudenter; ſequitur, quòd res fidei quibus quis vult aſſentiri, debeant eſſe fide dignæ, & habere rationes, ob quas quis prudenter eis aſſentiri poſſet. Hinc in omni actu fidei divinæ requiritur judicium prudentiæ, quo quis res fidei propoſitas, deliberato animo perpendit, de eiſdem judicat, ac tandem rationibus perpenſis, actum fidei imperat, ſi nihil obſtare contingat, puta inordinatum erga oppoſitum animum, animi pertinaciam, &c. Et hæc eſt ſerpentina prudentia ad actum fidei requiſita, defectu cujus dicitur Eccli. 19. *Qui cito credit levis eſt corde.* *Res fidei debent eſſe evidenter credibiles.*

Credens debet esse humilis & simplex animo. Dicendum 2. Huic serpentinæ prudentiæ conjungi debet Columbina simplicitas, quâ quis caveat, ne nimiùm innitatur prudentiæ suæ, neque nimis inhæreat proprio judicio, sed sese simpliciter captivet in obsequium fidei. Si enim nimiùm illis indulgeat, magis erit pertinax, quam prudens, & voluntas primæ veritati piè affecta assensum fidei imperare non poterit. Hinc S. August. docet cont. Epist. Manich. c. 6. *Quòd Mater omnium Hæreticorum sit Superbia.* Ex hac denique simplicitate oritur securitas in credendo, nam ut ait idem S. Præsul. l. cont. Epist. fundament. c. 4. *Turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.*

Dicendum 3. ut rebus fidei prudenter assentiamur, requiritur, ut sint evidentis credibilitatis, sive quòd evidenter constet, eas posse prudenter credi. Hinc Psalmo 92. dicitur: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Tam evidentia enim sunt credibilitatis signa in fide nostra, ut cum Richardo Vict. l. 1. de Trin. c. 2. eadem considerante, dicere quis posset: *Domine, si error est, à te decepti sumus: nam ista nobis sunt tantis signis & prodigiis confirmata, & talibus, quæ non nisi per te fieri potuerunt.* Ratio prædictæ conclusionis est, quòd actus fidei debeat esse prudens, & firmissimus, qualis non erit, si assentiatur modo firmissimo, iis rebus, quas non judicat evidenter esse credibiles.

Probabilitas non sufficit ut res Fidei reddat evidenter credibiles. Dicendum 4. Imprudenter procedit, qui assentitur rebus propositis, pro quarum credibilitate, solùm suppetit motivum probabile. Ratio hujus est, quòd qui probabiliter solùm judicat, aliquid esse credendum, possit posteà sine culpa abjicere tale judicium & fidem ex illo positam, cùm rationes probabiles pro alia parte possint postmodum tale judicium variare & extinguere, si magis appareant plausibiles & probabiles. Deinde, qui cum judicio merè probabili rebus fidei credit, non est moraliter certus quòd credendo non erret aut possit errare, cùm sola probabilitas secum teneat errandi periculum. Denique, aliàs

rectè

rectè & prudenter procedet hæreticus, qui ob rationes etiam sibi minùs probabiles sectæ suæ pertinaciter perseverat credere, quod est damnatum in hac: *Ab infidelitate excusatur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.*

Dicendum 5. Signa credibilitatis, quæ sufficiunt ut unum ad prudentem assensum fidei inducant, non sufficiunt ut alium ad id inducant. Doctioribus enim plerumque signa credibilitatis fortiora necessaria sunt, quam indoctioribus, cùm illis plures in contrarium rationes in credendo soleant apparere, quas credibilitatis signa debent extinguere & superare. Indoctioribus tamen, pro eorumdem captu proponenda sunt credibilitatis signa, adeò ut, nulla prudens de contrario illis relinquatur dubitatio: ad quod cumprimis parochorum currit obligatio, ut oves suas in sanâ fide confirment, ne vacillantes ad aliorum sectam declinent, quod in partibus Hæreticorum vicinis strictiùs constringit. *Alia signa credibilitatis aliis conveniunt.*

Dicendum 6. Judicium credibilitatis, sive quo judico rebus fidei propositis esse credendum, est supernaturale. Probat hoc Cœlestinus Papa Epist. 1. c. 9. ad Episc. Galliæ, ubi docet, sanctam cogitationem, pium consilium ex Deo esse. Idem docet Conc. Milev. & Arausic. hoc quidem can. 7. dicit: *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, idest Evangelicæ prædicationi consentire affirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritûs Sancti, Hæretico fallitur Spiritu.* Illud autem c. 4. *Valdè*, ait, *impium est, ut credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi: ad eam, quæ ædificat, non habere, cùm sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus.* *Iudicium credibilitatis est supernaturale.*

Idem docet S. August. variis locis, signanter l. de dono persev. c. 8. ubi ait: *Deus dat cordi humano cogitationes pias, per quas habent fidem, quæ operatur per dilectionem.*

Omnis volitio exigit cognitionem sibi proportionatam. Ratio ejusdem est, quòd omnis volitio requirat cognitionem sibi proportionatam, naturalis naturalem, spiritualis spiritualem, &c. Cùm ergo voluntas credendi sit supernaturalis, uti in anterioribus probatum est, sequitur quòd judicium hoc credendi, voluntati illi correspondens, sit supernaturale.

Non omnis apprehensio fidem præcedens est supernaturalis. Notandum tamen ideò non esse agnoscendas omnes apprehensiones fidem præcedentes esse supernaturales, tum quòd ad illud statuendum non appareat sufficiens fundamentum, tum etiam quòd tales apprehensiones naturaliter in omnibus exsurgant ad res fidei propositas: Unde aliud est de dicto credibilitatis judicio.

SECTIO XI.

De Signis credibilitatis.

Spiritus privatus est fallax & vagus. DICENDUM primò, signa credibilitatis fidei nostræ aut cujuscumque, non possunt consistere in spiritu privato, quo fit, ut illa sit vera fides, quæ probatur privato spiritu. Sic fidem suam stabiliunt Hæretici, ex quo deinceps tot fides, quot capita. Hinc in libello honorario Regio Calvinistæ Batavo inscripto, pagina 84. recensentur Hæreses 180. spatio quinquennii in Anglia exortæ. Deinde fides illa privato spiritu probata meritò rejicitur ab iis, quibus proponitur, dum fides vera dicitur, non ex notis credibilitatis, sed ex complacentia privati spiritûs.

Conformitas Fidei cum recta ratione. Dicendum 2. Varia sunt credibilitatis signa, quibus Ecclesiæ fides innixa, meritò quempiam inducit ad prudentem assensum. 1. Est conformitas fidei nostræ cum rectâ ratione: de Deo enim nihil sapit absurdi; mores omnes ad rectam rationem conformat, ubi aliæ sectæ varia de Deo sentiunt absurda: Mores perversos permittunt, puta statuendo Deum authorem peccati, docendo fidem Ecclesiæ datam non esse servan-

dam

dam in votis, &c. Ut faciunt Calvinistæ, & alii circa alia.

2. Est sanctitas & virtus fidei nostræ, in qua recensemus viros adversariorum quoque professione sanctos, v. g. Augustinum, Bernardum, &c. Assignant quidem alii Lutherum & Calvinum, Petrum Martyrem, &c. Quorum vita Doctrinæ eorumdem quadravit, vota infringendo, homines pervertendo, Deum ut crudelem traducendo, &c. Si expetas, quo ducat eorumdem Doctrina, audi eorumdem testimonia: Lutherus quidem in postillâ domesticâ Lenæ impressâ conc. 2. Domin. 1. adventûs, ita ait: *Mundus ex hâc Doctrina* (à se datâ) *quotidie redditur deterior: jam homines singuli septenis Diabolis obsidentur, cùm antea tantum unico obsessi fuissent. Diabolus jam catervatim in homines ingreditur, ut nunc in tam splendida Evangelii lucè sint avariores, callidiores, injustiores, crudeliores, protervriores, quam priùs in papatu fuerant.* *Sanctitas.* *Quo ducat Hæretica Doctrina.*

Audi Calvinum in cap. 11. Daniël. v. 34. *In exiguo illorum numero, qui se ab idololatriis papatûs subduxerunt, major pars plena est perfidiâ & dolis. Præclarum quidem zelum simulant, si tamen intus excutias, reperies plenos esse fraudibus:* Ex quo collige, quòd quamvis aliqui sectariorum externâ specie sanctitatem simulent, interiùs tamen illâ maximè esse destitutos: Quòd si aliqui juxta naturæ legem, probè vivant, hoc non est eorumdem fidei & Doctrinæ adscribendum, quæ de se non tendit, nisi ad perfidiam & improbitatem.

3. Signum sunt miracula in confirmationem fidei nostræ facta. *Signa* enim *eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent.* Marci ult. hoc autem in confirmationem fidei nostræ varios sanctos fecisse, narrant historici plerique & SS. Patres, quos ut falsarios traducere, summæ insaniæ est, aut nequitiæ. Si verò, ut quondam Pharisæi, facta illa opi dæmonis adscribant, ut faciunt sectarii; præfatos Historicos & SS. Patres falsitatis arguunt, dum quod illi divinæ po- *Miracula.*

testati, hi dæmoniis adscribunt. Quocirca tam sollicitè pro verâ fide confirmandâ, tam in V. T. quam novo recursum est ad miracula, ut 3. Reg. 18. ab Elia; imò ab ipsis sectariis, ut sectas suas hac notâ adeò evidenti confirmarent: Debeo tamen, & ut ait Tertull. l. de præscript. c. 30. *volo eorum virtutes proferre: Nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, quâ Apostolos in perversum æmulantur: Illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt:* Notum est hujus rei exemplum in Calvino, quando Joannem Bruleum de vivo suscitavit mortuum.

Antiquitas. 4. Signum est Antiquitas fidei nostræ, concordia & continuatio ejusdem. Nulla enim secta, quin ejusdem ortus recens queat ostendi: Nulla hæresis, quin ut orta, varia sortita sit capita & divisiones. Nulla denique, quin ut orta, statim evanuerit, etsi perdurare videatur. Hinc S. August. cont. Epist. fundam. c. 4. *Tenet me,* ait, *in Ecclesiâ consensus populi atque gentium, tenet authoritas Miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata.* Hinc Lutherus ipse l. de abrogandâ Missâ, ita ait: *Protestor adversùs eos, qui adversum me sunt clamaturi, quòd contra statuta Patrum, contra receptissimum usum docuerim.* Et Calvinus l. 4. instit. *Sed enim, qui sic faciunt* (Catholici) *habent veteris Ecclesiæ exemplum, fateor, verùm in re tantâ nihil tutius, quam veritatem* (dixisset falsitatem) *sequi.*

Modus propagationis Fidei. 5. Signum est, modus propagationis fidei, quam per paucos piscatores confirmavit. Huc reflexit D. August. l. 5. comment. in Lucam, ubi ait: *Adverte Cœleste consilium: Non sapientes aliquos, non divites, non Nobiles, sed piscatores & publicanos, quos dirigeret, elegit: Ne traduxisse prudentiâ, ne redemisse divitiis, ne potentiæ nobilitatisque authoritate traxisse aliquos ad suam gratiam* (fidei) *videretur: Ut veritatis ratio, non disputationis gratia prævaleret.*

Aliæ autem sectæ & hæreses, non nisi viâ humanâ & diabolicâ propagantur, aut vi armorum, ut Mahume-

Mahumetiſmus: carnali propagatione, ut Judaiſmus, cùm vix ad Judaiſmum deflectant aliqui, quin ex Judæorum propagine ſint oriundi: Aliæ denique ſectæ, aliis mediis & fraudibus ſeſe alibi ingeſſerunt, & etiamnum ingerunt.

Plura rem hanc concernentia qui deſiderat, adeat opus ſingulare Boſii de notis Eccleſiæ.

SECTIO XII.

Quod fides ſit certior quâvis ſcientiâ naturali.

Dicendum primò, certitudo nihil eſt aliud, quam firmitas aſſenſûs, quâ intellectus objecto firmiter cognito, modo infallibili inhæret. Ad hunc aſſenſum, requiritur 1. ut ſit verus: aſſenſu enim falſo nihil certi cognoſcimus, ſed erramus. 2. ut modus cognoſcendi ſit infallibilis, puta utendo medio infallibili modo infallibili; quod addo, quia etſi Hæretici in ſuâ fide falsâ adhibeant medium infallibile, ſcilicèt Dei teſtimonium, non utuntur illo, modo infallibili, uti deberent, puta per applicationem Eccleſiæ, ſed per ſpiritum privatum: Unde eorumdem fides nequit eſſe certa. *Certitudo Fidei.* *Ad certitudinem quæ ſint requiſita.*

3. Requiritur, ut aſſenſus ille ſit firmus, quo firmiter objecto ſuo intellectus adhæret. Firmitas autem illa oritur, vel ex evidentiâ objecti, quâ intellectus ad aſſenſum inducitur, niſi fortior in contrarium ratio occurrat: Vel ex Imperio voluntatis, quæ bene alteri affecta, aſſenſum fortiter imperat, uti fit in fide divinâ.

Dicendum 2. Ex dictis requiſitis ad certitudinem patet, fidem Theologicam eſſe certiorem quâvis ſcientiâ naturali. Inprimis enim impoſſibile eſt, aſſenſum fidei eſſe falſum, uti probavimus: Deinde medio utitur infallibili, idque modo planè infallibili, ſcilicèt authoritate Divinâ ejuſque teſtimonio, quod nobis *Omnibus ſcientiis eſt fides certior.*

nobis modo infallibili applicatur per Ecclesiam, quæ est Columna & firmamentum veritatis, & cum suis notis evidentis credibilitatis: quibus notis, etsi secundùm se absolutè possit subesse falsum, tamen prout substant providentiæ divinæ, implicat easdem fallere: Cùm enim Deus à nobis exigat fidei assensum firmissimum, ad Deum quoque pertinet res fidei modo infallibili nobis proponere. Adde, quòd Deus ipse has fidei notas nobis assignet, unde si illæ fallerent, Deus ipse nos interpretativè censeretur fallere.

Denique, assensus ille est firmus, cùm voluntas piè affecta veracitati divinæ assensum fidei fortiter imperet & præcipiat, maximè attentis signis illis credibilitatis, & infallibilitate motivi.

Vna implicantia est aliâ major.

Objicies, nihil potest esse certius, quam id quod implicat, esse falsum, qualis est conclusio demonstrationis. Resp, in primis dici potest, unam implicantiam esse majorem alterâ: implicat lineam 2. pedum, manente eâdem extensione & eodem loco pertingere ad rem 20. pedibus distantem, quamvis magis implicet eam extendi ad rem mille pedibus ab eâ distantem. Sic magis quoque implicat Deum mentiri aut testari falsum, quam cognitionem naturalem falli. Deinde, quantùm est ex modo tendendi demonstrationis, poterit talis conclusio esse absolutè falsa. Sic olim Philosophi, ex eo, *Quòd quæcumque sint eadem uni tertio, sint eadem inter se*, demonstrabant tres personas esse realiter inter se easdem, ratione unius naturæ, in quo tamen crassè errabant.

Notandum tamen D. Thomam 2. 2. q. 5. a. 8. sub finem dicere, quòd fides sit certior quâvis cognitione naturali, sed incertior *secundùm quid*; ex eo scilicèt, quòd fides, etsi sit certissima: de se tamen sit & maneat obscura, & possit habere secum adjunctam rei inevidentiam, qualem de se exigit; quæ inevidentia aut etiam obscuritas non arguit continuò minorem certitudinem, uti in hâc sectione demonstratum est.

SECTIO

SECTIO XIII.

De objecto materiali sive articulis Fidei, an semper fuerint planè iidem.

Dicendum primò, cùm semper fuerit eadem fides ab initio nascentis Ecclesiæ, & usque ad consummationem sæculi futura sit eadem, sequitur quòd habuerit idem planè objectum materiale fidei. Unde communiter dicitur articulos fidei non crevisse *quoad substantiam*, sed solùm *quoad explicationem.*

Eadem semper fuit fides.

Dicendum 2. Uni & eidem Ecclesiæ, pro diversitate temporis congruit diversus modus proponendi res fidei. Hinc Apostolis ad gentes convertendas destinatis, congruebat gentibus proponere res fidei immediatè sibi à Deo revelatas, signis & virtutibus confirmare; succedentibus autem Ecclesiæ rectoribus, quæ non novis, sed antiquis revelationibus innititur, congruit res fidei dudum propositas explicare, suâ authoritate confirmare, à difficultatibus vindicare, &c. Hinc uti Deus res omnes primò creatas postmodum conservat: ita res fidei primitus per Apostolos quasi satas & creatas, postmodum per succedentes Ecclesiæ pastores conservat, primitivâ fide semper quoad substantiam manente eâdem.

Modus proponendi res Fidei est diversus.

Dicendum tertiò: Numquam igitur articulus fidei, quicumque successione temporis advenire videtur, dici potest novus, non magis quam fides dici possit nova, quamvis novi dici possint quia de novo credendi proponuntur. Pro quo notandum est, res omnes fidei semper in semine & virtute fuisse revelatas, tamen perquam obscurè & non nisi paucis: in fide enim protoparentum omnes res fidei continebantur: varia tamen in illâ fide implicitè contenta, sæpè explicatiùs & clariùs proponere convenit, vel ratione hæresum exorientium, vel aliâ quâdam de causâ, uti in

Articuli fidei non creverunt quoad substantiam, sed solum quoad explicationem aut propositionem.

Con-

Conciliis creberrimè fecit Ecclesia, & etiamnum sæpè facit: Unde crescunt res fidei quoad explicationem, non item quoad substantiam, uti etiam, quando Ecclesia proponit novum articulum, non facit de novo illum articulum pertinere ad fidem, qui antea ad illam non pertinuit, sed eumdem antea revelatum proponit, & facit de fide obligante. Hinc rectè Vincentius Lyrinensis: *Quodcumque in Ecclesiâ fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industriâ decet excolatur, observetur, proficiat, & perficiatur. Accipiant licet prisca dogmata, evidentiam, lucem, distinctionem: sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem.*

Hinc rursum tam sollicitè in rebus fidei discernendis, in investigandâ verâ fide & à spuriâ secernenda, ad antiquam fidem recurrunt Concilia & SS. Patres, cui si quid non conveniat, fides nova est, & eo solo titulo fides falsa.

Falsum quoque est sectariorum dogma, quo docent Ecclesiam jam non adeò edoctam, quam fuerit tempore Apostolorum, imò quod præ senio Ecclesia tandem delirabit, uti delirant ipsi; ubi tamen semper eadem est Ecclesiæ fides, & semper idem spiritus veritatis assistit, quamvis & hoc fatendum sit, Apostolos & primos fidei satores magis fuisse à Deo illuminatos, eo quòd per eosdem fides vera per totum terrarum orbem esset propaganda. Hos ergo edocuit omnia, Spiritus Sanctus Apostolis à Christo promissus, adeò ut res omnes, quæ modo ad fidem spectant, spectaverint ad fidem Apostolorum.

Apostoli in rebus fidei magis quam cæteri illuminati.

Articulos fidei redegit Ecclesia in quoddam compendium sive symbolum concinno admodum ordine, ne rudiores præcipua fidei capita ignorare contingeret ob prolixitatem: quod symbolum, dicitur symbolum Apostolorum, de quo S. Augustinus Enchridii c. 7. *Facile*, ait, *est, ut dicatur quid credendum. Nam ecce tibi est Symbolum. Quid brevius auditur? Quid facilius memoriæ commendatur?* Hoc S. Ambros. Epist. 8. & Serm.

Symbolum fidei.

Serm. 38. *Clavem fidei* appellat dicens: *Duodecim Apostolorum Symbolo, fides sancta concepta est: Qui velut periti artifices in unum convenientes, clavem suo concilio conflaverunt; clavem enim quamdam dixerim.* Et clariùs S. Leo Serm. 11. de Paſſ. Dñi. *Regulam fidei*, ait, *in ipſo Symbolo per authoritatem Apoſtolicæ inſtitutionis accepimus.* *Apoſtolicum.*

Ultra hoc Apoſtolorum Symbolum, eſt & aliud, quod dicitur *Nicenum*, ſub Conſtantino Magno contra Arium celebratum, quodque paris cum Concilio eſt authoritatis. De hoc Symbolo agunt plerique Græci SS. Patres. Aliud inſuper eſt Symbolum Conſtantinopolitanum, contra Macedonium ab univerſali Concilio editum, & quod in miſsâ recitatur. In hoc additum eſt to *Filioque* contra Græcos, de quo alibi de proceſſione Spiritûs Sancti actum eſt. Aliud denique eſt Symbolum *Athanaſii*, quo utitur Eccleſia *ad primam*: eſt & hoc Symbolum paris cum aliis prioribus authoritatis, non ratione authoris, ſed quod ab Eccleſiâ receptum ſit & confirmatum, de quo Nazianz. oratione in Athanaſium. *Nicenum.* *Conſtantinopolitanum.*

CAPUT SECUNDUM.

De Neceſſitate fidei Theologicæ.

SECTIO PRIMA.

An Fides ſit ad ſalutem neceſſaria.

Dicendum primò, vera fides Theologica neceſſaria eſt ad ſalutem, nec ſufficit fides latè dicta, de quâ c. 1. ſect. 4. cùm impoſſibile ſit, ſine verâ fide placere Deo: Unde *Latè dicta* ſufficere fortè poſſet ad placendum Deo *Latè dicto*, aut Paradiſum *Latè dictum* aſſequendum. Vide locum citatum.

Di-

Necessitas fidei. Dicendum 2. fides Theologica fuit ad salutem omni tempore necessaria. Clarissimè hoc exposuit Conc. Trid. Ses. 6. c. 7. ubi dicens Baptisma esse *Sacramentum Fidei*, expresè addit: *Sine quâ nulli umquam contigit justificatio.* Et c. 8. *Fides*, ait, *est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine quâ impossible est placere Deo, & ad Filiorum ejus consortium pervenire.* Hinc S. Aug. Serm. 38. de temp. *Ad veram beatitudinem pervenire volentibus, primò omnium Fides est necessaria.*

Non sufficit fides in voto in dicto loco. Dicunt aliqui, his locis solùm significari, fidem in re vel in voto esse necessariam, sicuti Baptisma. Resp. Hoc omninò gratis dici, nullibi enim baptismo tantam tribuit Scriptura Sacra aut SS. PP. necessitatem, ut dicant sine baptismo impossibile esse placere Deo, nulli umquam contingere sine illo justificationem, &c. Sicuti tribuunt & dicunt de fide. Deinde, si ad hoc sufficeret fides in voto, sufficeret quoque charitas in voto, quod nemo admittet, cùm fides & Spes in justificatione & in ordine ad salutem præcedant charitatem.

Necessitas medii & præcepti. Dicendum 3. Dupliciter aliquid dicitur necessarium ad justificationem aut salutem. Semel necessitate medii, idest, quando aliquid ita est necessarium, ut sine illo finis haberi non possit, undecumque etiam contingat illud non haberi. Alio modo necessitate præcepti, quando aliquid ita necessarium est, casu quo haberi possit; unde ignorantia invincibilis & impotentia hîc excusant. His positis ulteriùs dicendum est, necessariam esse necessitate medii fidem unius Dei, omni prorsus statui ad salutem: Unde Apostolus ad Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Nec solùm requiritur cognitio Dei quâcumque ratione considerati, sed sub aliquo motivo, in quo à creaturis differt, v. g. ut omnipotentis, omnium factoris, &c. aliàs non habebitur verus de Deo conceptus.

Fides in Christum. Dicendum 4. Post Adæ lapsum, omni tempore neces-

necessaria fuit necessitate medii, fides in Christum Redemptorem. Probatur ex Sacrâ Scripturâ act. 4. *Non est in alio aliquo salus: Nec aliud nomen sub Cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Deinde nemo venit ad patrem, nisi per Christum: Rursum, *Est unus mediator Dei & hominum, Christus* Jesus. Hinc iterum dicitur esse *agnus occisus ab origine Mundi*, Apoc. 13. eo quòd vi meritorum Christi in quem omnes credebant, omnes omninò justificabantur. Audi S. August. in Psal. 104. *Præter istam fidem, quæ est in Christum* Jesum, *sive ante ejus incarnationem, sive post eam, non est quisquam reconciliatus Deo, cùm sit ab Apostolo veracissimè dictum: Unus mediator Dei & hominum, homo Christus* Jesus. Ratio quoque idem dictat, eo quòd nos non salvemur nisi hâc fide: ergo nec alii quicumque, cùm sit semper eadem fides.

Dicendum 5. fides illa in V. T. non fuit adeò explicita, quam in N. T. nec tamen illis sufficiebat credere, Deum provisurum homini lapso mediis sibi cognitis, cùm hoc sine mediatore & salvatore fieri potuisset, culpam condonando, &c. Unde fides eorum implicita credebat Deum missurum liberatorem, qui modo sibi cognito Mundum redimeret. Et sic docet S. August. quod fides tempore l. v. velabatur, quæ modò revelatur, quia jam apertè & distinctè credimus, quod antea confusè & indistinctè. *Tempore L. V.*

Alii tamen docent, fidem explicitam Messiæ in V. T. necessariam fuisse necessitate præcepti majoribus, idest Sacerdotibus & Legis Doctoribus, quibus incumbebat noscere significata sacrificiorum, libaminum, &c. Quæ Christum venturum & sacrificandum significabant: Etsi non tam distinctè, ac in lege novâ exigitur eadem cognoscere.

Dicendum 6. Dicta implicita fides mediatoris, sufficiebat adhuc post adventum Christi, antequam fides satis esset promulgata, cùm lex non obliget ante sufficientem ejus promulgationem. Hinc cum promulgatio- *In adventu Christi.*

mulgatione fidei in Christum natum, comitabatur obligatio explicitæ fidei in eumdem.

Post Evangelii promulgationem. Post sufficientem autem fidei promulgationem, explicita fides incarnationis omnibus ad salutem est necessaria, non tantùm necessitate præcepti, sed & necessitate medii. Probant hoc Sacræ Scripturæ loca, quæ docent eum esse judicatum qui non cred t in nomine JESU: ut Joan. 3. Deinde Athanasius in Symbolo: *Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri* JESU *Christi fideliter credat.* Denique sequeretur, quòd quis in hoc statu posset salvari in lege Moysaicâ, qui fidem Evangelicam invincibiliter ignoraret, cùm haberet implicitam Christi fidem, in V. T. inclusam.

Justitia Cornelii. Act. 11. Objicies potissimum circa conclusionem 4. 1. quidem quòd actorum 11. dicatur Cornelius *justificatus, Religiosus ac timens Deum, item justus*, idque ante fidem mediatoris. Resp. In primis dato quod fuisset justificatus, non poterit probari, quòd non habuerit fidem confusam mediatoris. Secundò ita argumentatur S. Aug. l. 1. de prædest. SS. c. 7. *Si posset sine fide Christi esse salvus* (Cornelius) *non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Petrus.* Unde patet quòd Cornelius ante instructionem & Baptisma à Petro receptum non fuerit justificatus.

Deinde ita de Cornelio scribit S. Gregorius in Ezech. l. 2. hom. 19. *Cornelius enim centurio cujus eleëmosynæ ante baptismum Angelo testante laudatæ sunt, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera...... si enim Deum verè & ante baptismum non crediderat, quid orabat? Vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? Sciebat igitur creatorem omnium Deum, sed quòd ejus omnipotens filius incarnatus esset, ignorabat: Neque enim poterat bona agere, nisi ante credidisset. Scriptum namque est, sine fide impossibile est, placere Deo. Fidem ergo habuit, cujus operationes & eleëmosynæ placere potuerunt. Bonâ autem actione promeruit, ut Deum perfectè cognosceret, & incarnationis*

carnationis ejus Mysterium crederet, quatenus ad Sacramentum Baptismatis perveniret. Per Fidem ergo venit ad opera, sed per opera est solidatus in Fide.

Quod autem dicat Sacra Scriptura eum esse *Religiosum*, *timentem Deum*, *justum*, &c. Nihil officit, cùm dicatur talis, ab operibus externis sive officiis illarum virtutum, quæ in Cornelio ab aliis observabantur: Quæ officia non adferunt se solis remissionem peccatorum aut justificationem. Denique dicitur *Justus*, non quòd fuerit justificatus, sed quòd jus suum cuique tribueret, quod est officium proprium virtutis justitiæ. Sic etiam dicitur ibidem quod Cornelii eleëmosynæ & orationes à Deo exauditæ sint, & iisdem meruerit, quod gratiam supponit: Sed notandum hîc solum inveniri meritum de congruo, ratione cujus talia sunt à Deo exaudita.

Objicies 2. Fieri potest, quòd multis gentibus defuerit omnis de mediatore notitia, quomodò autem credent ei, quem non audierunt? Resp. Negant aliqui, ad aliquos non pervenisse aliquam saltem imperfectam de mediatore notitiam, verùm absque fundamento: Cùm Apostoli act. 16. à Spiritu Sancto prohibiti sint loqui Verbum Dei in Asia. Quare respondeo, verum esse, quosdam destitui veræ fidei gratiâ; inde tamen non sequitur, quòd illis fides sit impossibilis, cùm possint credere per Dei gratiam ordinariam, quæ quibus datur, misericorditer datur, quibus autem denegatur, justè denegatur. Docet quidem S. Thomas alibi, quòd Deus hoc casu mitteret de Cœlo Angelum ad tales instruendos, si tales juxta naturæ legem viverent: Quod, etsi piè credatur, nullâ tamen firmâ ratione confirmatur; cùm justissimè omnes ignorantiæ rerum fidei immersos, potuisset relinquere; nec unum ex damnationis massa liberare, si voluisset, idque ob peccatum originale. Quibus ergo fides prædicatur, & fidei gratia donatur, misericorditer donatur & prædicatur, & quibus eadem negatur, justissimè denegatur: Quod si tales

Fides cuilibet est possibilis per Dei gratiam.

damnentur, non fiet hoc præcisè ob infidelitatem eorumdem negativam, sed vel ob peccatum originale, vel actuale commissum.

Objicies 3. Apostolus ad Heb. 11. dicit, ac tantùm requirit, ut accedentes ad Deum credant Deum esse, eumque esse remuneratorem, nullâ factâ mentione mediatoris. Resp. In primis dici posse, Apostolum hîc adferre, quod est necessarium, non quæ præcisè sufficiunt. Meliùs tamen dicitur, hîc contineri fidem mediatoris, quatenus dicitur *inquirentibus se*, idest, *per Christum*, Deum esse remuneratorem. Hinc S. Aug. in Psalm. 108. v. 7. *oportet inquit Apostolus, accedentem ad Deum, ut illuminetur justitiæ gratiâ, credere quia est & quòd inquirentibus se verâ viâ, hoc est per mediatorem Christum, remunerator sit.*

Objicies 4. Posset fieri, quòd Infans Baptisatus jam ad usum rationis perductus, antequam peccaret mortaliter, aut mediatoris notitiam haberet, discederet è vita. Item quòd quis habeat actum charitatis sine fide mediatoris. Resp. Casus illos juxta ordinariam Dei providentiam numquam futuros, uti Sacra Scriptura dicit, quòd impossibile sit sine fide placere Deo. Adde, quòd non omnis charitas justificet, uti patebit ex materia de Charitate.

Iustificatio in L. V. & in L. N. Objicies contra 6. conclusionem: Ergo salus Christianorum erit difficilior acquisitu, salute fidelium V. T. in quo requirebatur sola fides implicita mediatoris, jam explicita. Resp. Si conferantur omnia onera L. V. apparebit contrarium. Deinde potuisset Deus à nobis ratione statûs perfectioris, plus exigere, quam ab aliis, quibus omnia in figuris contingebant. Denique jam suppetunt nobis remedia magis opportuna, puta Sacramenta, quibus etiam cum imperfecta Charitate Justitiam acquirere possumus, ubi requirebatur in V. L. Charitas perfecta, longè difficilior.

Fides Sanctissimæ Trinitatis. Dicendum 7. Fides explicita Mysterii SS. Trinitatis, est etiam necessaria necessitate medii ad salutem pro hoc statu, & alio quoque post sufficientem Evangelii promul-

promulgationem. Ratio est, quòd sine fide hujus mysterii non possit haberi plena fides incarnationis: Deinde Trinitas est objectum principale fidei, quia quisque baptisatur & signatur signo Crucis, cum expressione hujus mysterii Trinitatis. Hoc tamen notandum est, non teneri rudiores hæc alta & abscondita mysteria ita expresse credere, ac si necessitate medii ea distinctè & plenè credere debeant & intelligere; sed satis esse, si credant Patrem & Filium & Spiritum Sanctum esse unum in essentia Deum, trinum in personis; ad quod non est necessaria ingenii vivacitas, sed intellectûs in obsequium fidei captivatio & subjectio: Quamvis illi, quibus ex officio competit alios instruere in rebus fidei, distinctiorem eorumdem notitiam habere debeant. Unde colligi potest, quam arcta Pastoribus & aliis juventutis curam gerentibus injuncta sit obligatio, illam in his articulis quam citissimè & sollicitè instruere, sine quorum notitia, æterna salus non potest obtineri. Et quamquam contraria nobis sententia, quæ implicitâ prædictorum fide contenta est, censenda sit probabilis, in praxi tamen rejicienda est, & si ullibi, certè in hoc puncto sequendum est tutius, cùm nihil hîc proderit probabilitas, si requisita desit veritas. Quomodò autem cum ignorantibus prædicta agat Confessarius, vide in materia de absolutione ex quo rectè colligi possit, quam meritò damnata sit hæc ab Ecclesia: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii non autem explicita remuneratoris.*

SECTIO II.

De necessariis creditu ad salutem necessitate præcepti.

PRÆNOTANDUM, posse aliquem ad aliquid obligari, vel ratione sui statûs, vel ratione ipsius rei obligantis. Deinde, varios esse fidelium status, unde plura ab uno ex præcepto debent credi explicitè, *Conditio fidelium varia.*

quam ab alio. Hinc solent aliqui in Ecclesia distinguere 3. status. Primi statûs, vocant *majores*; secundi, vocant *medios*; tertii denique vocant *infimos*. *Majores* censentur Episcopi: *Medii* Pastores, Confessarii & Concionatores, & alii quibus ex officio competit instruere plebem: *Infimi*, sunt reliqua fidelium turba, his prænotatis

Ab Ecclesia solemnisata. Dicendum 1. Tenetur quilibet adultus, explicitè credere ex præcepto illa omnia, quæ ab Ecclesia solemnisantur & proponuntur: Addo *& proponuntur*, quia plurima ab Ecclesia solemnisantur, quæ tamen non debent ex præcepto explicitè ab omnibus credi, ut v. g. circumcisio, præsentatio D. Virginis, &c. Uti omnia sancti cujusdam merita, dum canonizatur. Debet ergo id, quod ab Ecclesia solemnizatur, ab eadem proponi credendum, ut Corporis Christi in Eucharistia præsentia, ascensio Christi, invocatio SS. &c.

Symbolum Apostolorum. Dicendum 2. Tenetur quilibet explicitè credere Apostolorum Symbolum, saltem quoad substantiam. Ratio est, quòd quæ Symbolo continentur, sint prima fidei rudimenta: Unde Ecclesia strictissimè præcipit ministris suis, ut eadem subditos doceant, & in primitiva Ecclesia, recitatio talis Symboli requisita fuit ante & post baptisma, imò id observandum in adultis, docet nos Rituale Romanum. Ut enim quispiam censeatur esse alicujus Ecclesiæ, necesse est, ut sciat præcipua fidei illius mysteria, quibus fides illa, ab aliis sectis distinguitur, prout sunt illa, quæ in Symbolo continentur.

Dixi, *saltem quoad substantiam*, eo quòd illa obligatio non currat, nec stringat rudiores quoad subtiliores & proprios conceptus. Hinc communiter docetur, quòd non debeant illa perfectè scire v. g. quâ ratione filius sedeat ad dexteram Patris, in quo sita sit Sanctorum communio, &c. Deinde satis est sciri symbolum illud quoad substantiam, etsi non quoad propria verba.

Dubitant alii, an etiam expresè credi debeat de-

scensio

ſcenſio ad inferos, Sepultura Chriſti, Virginitas Deiparæ, Eccleſiam eſſe Catholicam, &c. Reſp. Sepulturam Chiſti non eſſe expreſsè ſub gravi obligatione credendam, cùm ſit circumſtantia mortis Chriſti, quæ oplicitè credi debet. Unde generaliter hîc notandum eſt, nullum ſymboli articulum hîc cenſeri minoris momenti ad credendum, niſi ſit alteriùs circumſtantia, qui debeat credi. Deſcenſio ergo ad inferos credi debet explicitè, Virginitas Deiparæ, carnis reſurrectio, Catholica Eccleſia, non nudè quod talis detur, ſed quòd talis ſit hæc Romana Eccleſia.

Sacramenta N. L. Dicendum 3. Tenentur omnes explicitè credere Sacramenta N. L. omnibus promiſcuè neceſſaria, qualia ſunt Baptiſmus, Euchariſtia & Pœnitentia. Duo priora quidem credi debent, ut eorumdem obligationi & præcepto ſatisfieri poſſit: Pœnitentia verò credi debet propter aſſiduum labendi periculum, à quo per Pœnitentiam eſt reſurgendum. Alia 4. Sacramenta non debent ita expreſsè credi, niſi ab iis qui eadem ſuſcipere vel adminiſtrare debent, cùm non ſit univerſale præceptum eadem ſuſcipiendi uti 3. priora.

Præcepta decalogi. Dicendum 4. Cùm quilibet adultus (de quo ſemper loquimur) ſcire debeat quæ ſint communiora juris naturæ principia, ut juxta eadem rectè vivat, ſequitur quòd quilibet ſcire debeat præcepta decalogi, in quibus talia principia continentur. Hinc niſi de illis inſtructi ſint Catechumeni, non admittuntur ad Baptiſma.

Eccleſiæ præcepta. Debent quoque ſcire Eccleſiæ præcepta, non item ea credere, cùm non ſint à Deo revelata, ſed ſolùm ab Eccleſia præcepta: Ratio hujus eſt, quòd ſcire teneantur ea, quibus ab aliis alterius fidei diſtinguuntur fideles, qualia ſunt illa, quæ Eccleſiæ præcepta præſcribunt.

Sufficit tamen quòd ſciant eadem quoad ſenſum etſi non quoad verba: Quamvis conſultiſſimum ſit

rudioribus eadem memoriter quoad verba ſcire & poſſe recitare, qui ferè nihil memoriâ retinent, niſi verbotenus calleant. Ad quem caſum reſpexiſſe videntur quædam ſtatuta ſynodalia, quæ prædictorum omnium verba memoriter addiſcenda ſtatuerunt, prout fert communis Eccleſiæ ſenſus, & piorum praxis.

Oratio Dominica. Dicendum 5. Oratio Dominica ſub gravi culpa ſciri debet, cùm ut dicitur in Concilio Rhemenſi c. 2. *Orationem Dominicam, nulli ignorare licet.* Accedit & ratio, cùm enim ſæpè ſit neceſſitas orandi, modus autem orandi hâc oratione continetur. *Ave Maria.* Idem ex praxi Eccleſiæ & ſenſu fidelium docent plurimi de *Signum Crucis.* ſalutatione Angelica, & magis de forma crucis, quod proprium eſt fidelium teſtimonium & ſignum.

Majores ad quorũ ſcientiam ſint obligati. Dicendum 6. *Majores*, ideſt Epiſcopi, uti & *Medii*, ideſt Paſtores, Confeſſarii & Concionatores & alii, multò plura ſcire debent quam alii infimi de quibus jam actum eſt. Hinc non ſufficit iiſdem, prædicta explicitè credere & ſcire, & eadem populo proponere, ſed neceſſe eſt, ut de iiſdem populum ſciant inſtruere, & eos qui contradicunt arguere. Quo ſpectat illud S. Greg. exordium curæ ſuæ Paſtoralis: *Nulla ars doceri præſumitur, niſi intentâ priùs meditatione diſcatur. Ab imperitis ergo magiſterium Paſtorale ſuſcipitur, in magnâ temeritate, quoniam ars eſt artium regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera, occultiora eſſe neſciat vulneribus viſcerum? Et tamen ſæpè, qui nequaquam ſpiritualia præcepta cognoverunt, cordis ſe medicos profiteri non metuunt: Dum qui pigmentorum vim neſciunt, videri medici carnis erubeſcunt:* Attendant hæc Confeſſionibus audiendis & Paſtorali curæ ſeſe ingerentes ſine competenti ſcientia; ſciant ſe ſuoſque ſubditos æternæ damnationis periculo exponere, dum cæci cæcis ducatum præſtant: Inſcitia Paſtoris & Confeſſarii, præſentiſſimum eſt ruinæ ſubditorum periculum, & fomentum audaciæ adverſariorum. Quod & Concionatores cumprimis concernit, qui de animarum vitiis

tiis & morbis verba promunt, quos ipsi ignorant, similes cymbalis tinnientibus, aut psittacis: quo fit ut quæ proclamant, sanâ fide defendere vix possint. Discendum primò est illi qui alios docet.

Dicendum 7. Obligationem Parochi, in dictis punctis luculenter confirmat Catechismus Parochorum seu Romanus, uti & aliorum, quæ hîc ex eodem summatim annecto. In primis ergo p. 1. præfat. q. 10. docet, ut Parochi rectè suo munere fungantur, omnem suam Doctrinam eò debere primùm referre, ut omnes intelligant, quantum beneficium Deus humano generi per Christum præstiterit: quæ sint Dei & Christi mandata: opera, fidei esse jungenda: ut doceant Catholicos Deo per amorem debere adhærere, imò omnem Doctrinam Doctori Catholico ad charitatem esse dirigendam.

2. *Incumbat in hanc curam Parochus, ut fideles communium miseriarum & ærumnarum causam cognoscant*: ut ait art. 2. §. 2. id est peccatum originale; nam ut ait, S. August. in eo consistit summa vitæ Christianæ, ut diximus agendo de peccato orig. 1. 2.

3. *Danda est opera, ut hæc mysteria, quæ ad Doctrinam nostram scripta sunt, infixa animo & mentibus fidelium hæreant; primum quidem, ut tanti beneficii* (incarnationis) *commemoratione aliquam gratiam ejus auctori referant: Deinde, ut eximium hoc & singulare humilitatis exemplum eis ante oculos ad imitandum proponat.* Ita idem Catechism. art. 3. §. 11.

4. *Parochus hujus articuli* (Passionis Christi) *Historiam non prætermittet, quæ diligentissimè à SS. Evangelistis exposita est, ut saltem summa ejus mysterii capita, quæ ad confirmandam fidei nostræ veritatem magis necessaria videntur, fideles cognita habeant. Hoc enim articulo veluti fundamento quodam, Christiana Religio & fides nititur, eoque posito, reliqua omnia rectè constituta sunt.* Ita art. 4. §. 5. porrò hujus articuli expositio ita necessariò est populo proponenda, ut nullo respectu sit omittenda. Cùm enim ab aliquo tempore quidam ex-

expedire judicarent, hanc hujus articuli expositionem omittere illis, qui in China ad fidem Catholicam instruebantur, ne ob ignominiam crucis resilirent: congregatio de Propaganda Fide desuper Consulta à Patribus Dominicanis & Franciscanis ab una parte, & Jesuitis ab alia parte, ita statuit, nullâ prudentiâ aut prætextu differendam esse Doctrinam Passionis Christi post Baptisma, sed omninò præmittendam, idque sub excommunicatione. Id statuit 1645. & adhuc nuper.

5. Debet Parochus sæpè proponere judicium extremum, *Quia hujus articuli veritas Fide concepta, maximam vim habet, ad pravas animi cupiditates atque à peccatis homines abstrahendos ...: ac profectò vix quisquam adeò præceps in scelera feretur, quem illa cogitatio ad pietatis studium non revocet.* Ita idem art. 7. §. 11.

6. Scribens in articulum 9. *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, ait, quòd summa diligentia eum exponere debeat Parochus, eò quòd circa illum plures soleant oboriri errores, & qui hanc veritatem firmo animo conceptam habuerit, facilè horrendum hæresis periculum effugiet.

7. *Parochi in erudiendis fidelibus numquam intermittent præmiis æternæ vitæ propositis eorum animos accendere.* Initio ad art. 12.

8. Ex Apostolo deducit, Doctrinam de Baptismo sedulò esse populo Christiano proponendam, *Ex quo deinde fiet, ut unusquisque iis rebus admonitus, quæ in alio geri videat, secum recordetur, quâ se sponsione Deo obligarit, cum Baptismo initiatus est: simulque illud cogitet, an vitâ & moribus se talem præbeat, qualem Christiani nominis professio pollicetur.* Ita p. 2. c. 2.

9. Naturam & efficaciam confirmationis itidem exponi præscribit, tum tempore Pentecostes, tum etiam maximè, quando occasio sese offert illud administrandi. p. 2. c. 3.

10. Doctrinam Augustissimi Sacramenti & missæ, ut debitâ reverentiâ hæc divina mysteria frequentent. p. 2. c. 4.

11.

11. Docet idem Catechiſmus c. 5. Parochos in explicatione pœnitentiæ numquam adeò diligentes futuros, ut ſatis videri poſſit: cujus rationes ibidem addit. Maximè tamen dictos articulos exponere oportet, dum ratione feſti inſtat occaſio confitendi vel communicandi.

12. Debet quoque ſæpè exponere Doctrinam de extrema unctione, *Cùm Parochi admoneantur, nullum tempus prætermittendum eſſe fidelem populum cohortandi, ut in aſſidua mortis meditatione verſetur.*

13. Natura matrimonii & vis explicanda eſt: *Nam cùm vitia ſæpè honeſti ſimilitudinem gerant, cavere oportet, ne fideles falſa matrimonii ſpecie decepti, turpitudine & nefariis libidinibus animam commaculent.*

14. *Cùm decalogus ſit totius legis ſumma, paſtores oportet in ejus contemplatione die noctuque verſari: non ut vitam ſuam modò ad hanc normam componant: ſed etiam ut populum ſibi creditum in lege Domini erudiant. Nam labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus.*

15. Maximè tamen oportet exponere 3. præceptum de die feſto ſanctificando, *Cùm hoc præceptum hujuſmodi ſit, ut fructum & admirabilem utilitatem adferat:* & *quemadmodum fideles tale præceptum meminiſſe debent; ſic Paſtoris eſt, in eorum memoriam illud & monendo & docendo ſæpè redigere.*

Hæc ſunt potiſſima, quæ ſedulò fidelibus vult proponi à Paſtoribus Catechiſmus Romanus. Quibus adde, & Doctrinam de præceptis aliis decalogi, ad quæ quilibet ex natura conſtringitur. Tanta autem horum eſt obligatio, ut audeat Emmanuel Sa è Societ. in Aphoriſmo confeſſ. V. *Parochus*, dicens: *negligentia magna Parochi in docendo ad ſalutem neceſſaria, nempè ſymbolum, decalogum, & pater noſter, mortalis eſt: ubi paſſim magnus eſt abuſus eorum, qui contenti docuiſſe ſymbolum latinè, non explicant populo rudi myſteria fidei, præſertim Trinitatis & incarnationis, tantopere ad ſalutem neceſſaria: Væ Parochis: Væ Epiſcopis: Væ Prælatis.*

Vide

Vide quæ dicturus sum de sanctificatione festi, in materia de Eucharistia in fine.

SECTIO III.

De Præcepto eliciendi actum Fidei.

Fides est in præcepto. DICENDUM primò, Datur verum fidei præceptum, cùm *Qui non crediderit condemnabitur*: Deinde cùm fides necessaria sit ad salutem, quilibet ad tam necessarium medium conquirendum ex obligatione constringitur. Hinc ab Alexandro VII. Anno 1665. hæc est condemnata: *Homo nullo umquam vitæ tempore tenetur elicere actum Fidei, spei & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Et Innocentio XI. Hæc: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale & secundùm se.* Et illa: *Satis est, actum Fidei semel in vita elicere.*

Est negativum. Dicendum 2. Præceptum illud prout est negativum prohibens dissentiri illis, quæ à Deo revelata sunt, est juris naturæ, cujus est non inhonorare Deum, quod fit tali dissensu. Idem est, prout est affirmativum, præcipiens assensum iis, quæ revelata sunt. Dum enim Deus aliquid revelat, intendit alterum ad assensum incitare, unde non assentiri, aut etiam assensum suspendere, cederet in Dei contemptum morali æstimatione.

Quandonam obliget. Dicendum 3. Obligat præceptum fidei, quando fides alicui est sufficienter proposita. Quandonam autem censeatur esse sufficienter proposita, variant & excedunt aliqui; quamquam fatendum sit, hîc prudenti judicio, ut in aliis moralibus, opus esse. Videtur tamen, tunc sufficienter alicui esse proposita, quando cum suis signis credibilitatis alicui proponitur, cùm illa sint tam solida, ut res fidei faciant evidenter esse credibiles. Unde, si talis, cui ita fides nostra proponitur, vel pertinaciâ ingenii, aut affectûs malitiâ credere renuat, infringit præceptum fidei.

Turpiter

Turpiter tamen errant, qui docent Hæreticos, quamdiu suam sectam judicant probabilem, & æquè credibilem, non teneri ad credendum, eò quòd hoc casu non censeatur illis fides esse sufficienter proposita. Imò addere alii non verentur, id verum esse, etsi fides proposita videatur ipsis probabilior; hoc dogma tradunt audacter, qui docent probabilitatem solam excusare etiam in materia fidei. Quod si verum: quis umquam Hæreticus obligabitur ad capescendam sanam fidem, cùm cuilibet pro sua secta suppetant rationes plausibiles, quibus etsi proponantur & opponantur rationes convincentes in contrarium, judicare tamen possit, ab aliis, talibus rationibus responderi posse, etsi ipse eisdem convincatur; hoc enim ad probabilitatem statuendam, statuunt aliqui ut sufficiens. Deinde, qui iisdem fidei punctis ex animo obstinato & pertinaci credere renuit, facilè excusabitur, cùm aliquæ tantummodò pro sua secta suppetunt rationes suo cerebro plausibiles. Graviùs exorbitant, qui docent hoc quoque verum esse in articulo mortis.

Propositio fidei sufficiens.

Dicendum 4. Urget etiam præceptum fidei, quando actus aliquis præcepti sine exercitio fidei poni non potest: v.g. dum quis obligatur ad actum Spei & Charitatis, qui sine actu fidei fieri non possunt: deinde, quando quis ad justificationem se præparat: dum occurrit occasio fidem exteriùs confitendi: Denique quando ad Eucharistiam aut aliud Sacramentum acceditur, quod fidem prærequirit: Uti etiam in articulo mortis, cùm eo tempore quilibet teneatur sese, quam poterit maximè seriò & sollicitè præparare ad salutem, ad quam fides est in primis necessaria: quo casu non tantùm urget fidei præceptum ratione Spei & Charitatis tunc obligantis, sed etiam ratione sui.

Obligatio fidei per accidens.

Dicendum ultimò, poterit dari ignorantia invincibilis rerum fidei, quæ non continentur in jure naturæ, prout sunt illæ, quæ in decalogo continentur. Hinc docet S. August. Tract. 89. in Joannem: eos, ad quos non

Datur ignorantia rerum fidei quæ sit invincibilis.

non pervenit Christus, vel per se vel per alios prædicatores, habere excusationem de peccato suo, *non quidem* ait, *de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quod in Christum non crediderunt.* Hoc tamen notandum est, aliquando ignorantiam mysteriorum fidei esse vincibilem, maximè apud Catholicos, qui seriò ad instructionem aut Catechismum conferre se negligunt, dum etiam commodè possunt; cujus defectum satis frequentem advertunt Parochi, tum urbani, tum suburbani.

Vincibilis.

Falsum tamen est, nullam dari posse ignorantiam invincibilem mysteriorum fidei, eo quòd Psalm. 78. dicat Psalmista: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt*: Et Apostolus ad Rom. 10. de omnibus dicat: *Sed numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, scilicèt Apostolorum. Quia hæc & similia, vel sunt intelligenda de vincibili ignorantia, vel quòd ira Dei effundi debeat in gentes, non præcisè ratione ignorantiæ, sed ob alia scelera contra jus naturæ, idololatrias, &c. Deinde loquitur Apostolus de loquela & prædicatione Cœlorum & aliorum visibilium, quatenus quilibet per ea quæ facta sunt, deduci facilè possit in cognitionem conditoris. Adde, Sermonem Apostoli dirigi ad Romanos, quibus Christi fides jam satis erat annuntiata: Denique alii docent eum loqui propheticè, quòd fides Catholica per totum terrarum orbem, sit diffundenda.

SECTIO IV.

An sola Fides sufficiat, aut umquam suffecerit ad salutem.

Fides sine operibus ad salutem est insufficiens.

DICENDUM est primò, numquam ad salutem suffecit sola fides sine operibus. Unde Scriptura Jac. 2. apertè docet, fidem sine operibus mortuam esse, & Rahab meretrix dicitur ex operibus justificata,

ta. Sic etiam Apostolus ad Galat. 5. dicit, *in Christo* Jesu, *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur*: Denique dum dicit Rom. 4. Galat. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam*, non intelligit nudam fidem, sed quæ sit obedientiæ, spei & aliarum virtutum operibus conjuncta.

Dicendum 2. Multò minùs se solâ ad salutem sufficit inanis Hæreticorum fiducia, quâ credunt sibi per Christum remissa esse peccata, se esse Filios Dei, hæredes regni, &c. Fundant se in quibusdam Sacræ Scripturæ locis, quæ justitiam soli fidei adscribunt, seu potiùs adscribere videntur, quæ omnia intelligenda sunt, vel de fide viva, idest, bonis operibus conjuncta: vel, quòd fides sit initium justitiæ, & radix, non quòd se solâ sufficiat ad illam. Deinde, dicimur aliquando justificari gratiâ Dei per fidem, non ex operibus, uti dicitur ad Ephes. 2. quo significatur, nos non posse justificari operibus legis veteris, vel operibus solis naturæ viribus ortis; vel denique operibus quibuscumque, quæ fidem salutis initium præcedunt. Quinimò, talem fidem seu potiùs fiduciam non posse admitti, dictat ipsa æquitatis ratio. Primò quidem, quòd juxta hæreticorum placitum nihil credi debeat, quod in Scriptura credendum non proponitur: Dic sodes, ubi Scriptura dicit, alicui in particulari remissa esse peccata, aliquem esse Filium Dei, &c. quod tamen hac sua fide credunt? Rursum nonne implicat, credere remissa esse peccata, & per illam fidem remitti & deleri? Intricata semper & se confundens est falsitas.

Inanis Hæreticorum fiducia.

Sese confundunt & destruunt.

Dicendum 3. Ultra Fidem requiruntur ad salutem bona opera, juxta illud Math. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Fides enim sine operibus mortua est, sterilis & infructuosa ad salutem. Unde absit, quòd fides ad salutem se solâ ducere possit, quin potiùs se solâ condemnabit plurimos, quòd opera fidei contraria commiserint, uti dicitur quòd Regina austri sur-

Fidei adesse debent opera bona.

get

get in judicio & condemnabit illos, quibus Christus Fidem prædicavit, miraculis eam confirmando. Matth. c. 12. unde Conc. Trid. Sess. 6. c. 9. & Can. 9. docet & dicit anathema iis, qui dicunt, solâ fide impium justificari. Neque dici potest, quòd quandocumque Scriptura Sacra exigit opera ultra fidem, ad salutem necessaria, tantummodò velit, opera bona esse signa veræ fidei; quasi verò vera fides remanere non possit in impiis & peccantibus.

SECTIO V.

Quid requiratur, ut actus Fidei sit meritorius.

Fides meritoria. DICENDUM primò, certum est, actum Fidei esse meritorium. Probatur, quia est actus bonus, procedens à gratiâ, liber, & Deo gratus, quæ conditiones ad actum meritorium requiruntur & sufficiunt. Hinc fides dicitur *corda purificare*: act. 15. per fidem nos placere Deo, Heb. 11. &c. Cùm Deo gratum sit captivare intellectum in obsequium fidei; & ratione piæ voluntatis affectionis erga divinam veritatem ad actum fidei necessariò requisitæ, procedat à gratia, adeoque sit supernaturalis.

Porrò, etsi actus Fidei sit semper de congruo meritorius, non tamen de condigno, cùm possit vera fides reperiri in peccatore, qui tamen de condigno mereri nequit.

Dicendum 2. etsi, actus Fidei à justo procedat, non erit tamen de condigno meritorius, nisi virtualiter saltem à Charitate procedat. Clarissimè id patet, ex data Doctrina de merito sect. 8. ubi ex D. Thoma allatum est, *Fidei actus non est meritorius, nisi Fides per dilectionem operetur.* Adde, hoc speciale esse in actu Fidei, quòd actus veræ fidei non sit, nisi adsit aliqua Dei Charitas, puta pia voluntatis affectio actum fidei imperans: Unde assiduè additur

Omni Fidei adest Charitas.

à San-

à Sanctis Patribus, & sæpè à Sacra Scriptura, quando fidei fructum boni operis assignant & dicunt, *Fides quæ per dilectionem operatur*. Vide plura prædictâ sectione.

SECTIO VI.

An sit necessaria externa Fidei Confessio.

Dicendum primò; Externa Fidei Confessio est sub præcepto. Duplex autem est præceptum fidei externæ: Unum affirmativum, quo pro loco & tempore debito obligamur externo signo fidem profiteri. Unde non obligat ad semper, sed solùm pro occurentibus circumstantiis. Aliud præceptum est negativum, quo obligamur numquam fidem negare; quod semper obligat, & ad semper, ut cætera præcepta negativa. De priori præcepto dicit Scriptura ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Et S. Aug. l. de Fide & Symb. c. 1. *Fides officium à nobis exigit, & cordis & linguæ*. De posteriori autem dicit Scriptura Lucæ 9. *Qui me erubuerit, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua.* Hinc, hoc negativum externæ fidei præceptum obligat etiam cum periculo vitæ, cùm obliget pro semper, adeò ut martyres potiùs elegerint mortem, quam vel apparenter fidem negare. Ex quo ulteriùs colligi potest, quâ pœnâ digni sunt, qui alio motivo minori v. g. propter officium, bona temporalia, fidem abnegant aut perversam simulant. Ratio hujus ex eo desumi potest, quod sit summè irreverens, quod servus erubescat confiteri Dominum, creatura creatorem, à quo totum habet, quodcumque habet: Qui se erubescentem, meritò quoque erubescet Dominus.

Fides externa est sub præcepto.

Negativum præceptum non negandi fidem.

Censetur autem, ut ait S. Aug. Tract. 103. in Joan. non solùm abnegare Christum, qui dicit eum non nosse Christum, sed ille etiam, qui cùm sit, negat

Negans se esse Christianum, Papistam, se &c.

se esse Christianum. Hoc enim casu, censetur talis negare se subesse Christo, ut suo capiti, & consequenter eumdem censetur erubescere. Aliud esset si foret in illis circumstantiis, in quibus vox *Christianus*, *Papista*, &c. Non significaret subjectionem religiosam Christo aut Papæ, sed solùm civilem, puta nationem aut exercitium, quo casu hoc negando, non censeretur erubescere Christum, sed solùm nationem aut exercitum.

Negans se esse religiosum. Quicumque autem se negat esse Sacerdotem, Religiosum, &c. Non censetur abnegare fidem, sed sollummodò statum Sacerdotis, Religiosi, cum qua negatione Fides Christiana optimè consistit, ut fit in Laïco. Erit tamen mendacium officiosum de se, nisi adsint circumstantiæ tales, ratione quarum oriretur ex tali abnegatione scandalum, damnum aut aliud inconveniens graviter perniciosum. Etsi autem aliquando persecutio gentilium acriùs oppugnarit Ecclesiæ rectores, puta Episcopos, Sacerdotes, &c. Qui mori elegerunt potiùs, quam Sacerdotium negare, &c. Nihil dictis obstat: Cùm sit laudabile, etiam pro veritate mortem oppetere; deinde aliquando tales circumstantiæ occurrere potuerunt, ut censerentur fidem abjurasse, negando se Sacerdotes, quod non semper necessariò evenit cùm sana fides cum abnegatione statûs Religiosi, Sacerdotalis, rectè possit consistere.

Non possumus erubescere fidem. Dicendum 2. sicut non licet externè fidem negare, ita nec eamdem ita simulare, ut moraliter loquendo censeatur quis fidem erubescere. Ratio est, quia præceptum non negandi fidem, non tantùm obligat ne verè & exteriùs fidem negemus, sed etiam ne illud fiat secundùm apparentiam externam. Hinc etiam Ecclesia graviter punivit libellaticos, idest qui à Magistratu emebant libellum, quo dicebatur eos fidem abjurasse & Cæsari satisfecisse, ne ulteriùs ad fidei abjurationem compellerentur. Hinc rursum milites illi apud Euseb. l. 8. c. 3. sollicitati, ut saltem singe-

fingerent se aliquid agere in honorem Idoli, liberè dixerunt, *Nec sacrificavi, nec sacrificabo:* Hoc est, nec agam aut fingam me sacrificare. Sicut ergo æqualiter noceo alterius famæ, sive apertè, sive solùm simulatè alteri detraham, ita etiam æqualiter noceo divinæ authoritati, sive apertè, sive solùm quoad externam apparentiam fidem divinam abnegem.

Unde & condemnavit hanc Sanctiss. P. Innoc. XI. *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & Fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno.*

Objicies 4. Reg. 10. laudatur Jehu, qui ut deciperet Sacerdotes Baäl, dixit se velle colere Baäl. Item Apost. 1. cor. 9. dixit se factum Judæis tamquam Judæum. Resp. Laudatur Jehu quòd jussu Domini deleverit domum Achab & Sacerdotes Baäl: Non item quòd voluerit colere Baäl, in quo peccavit. Apostolus autem factus est Judæis tamquam Judæus, imò omnibus omnia, *Non mentientis astu, sed compatientis affectu*, ut ait D. Aug. Epist. ad Hieron. *Nec simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ. Dicit enim, quis infirmatur & ego non infirmor?* &c.

Non licet uti verbis ambiguis quæ obvio sensu fidei negationem aut ejus erubescentiam significant.

Ex dictis colligi potest, non esse licitum uti verbis æquivocis, quæ obvio sensu fidei negationem aut erubescentiam significant: Non esse licitum, fingere se dubitare de vera fide: Non esse licitum adhibere talia externa signa quæcumque, quæ falsæ fidei professionem aut veræ fidei abnegationem significant. Nam ut ait S. Amb. l. 10. in Lucam de negatione Petri: *Non satis est involuta confessio: Et quid prodest verba* (signa, &c.) *involvere, quando videri vis denegasse?* Aliud est, si ejusmodi signa v.g. vestes, &c. Non essent distinctiva fidei qua talia, sed solùm distinctiva nationis, quo casu adhibendo illa signa, non tam alterius fidem, quam nationem censeremur profiteri. Varia huc concernentia videri possunt c. 4. de communicatione Catholicorum cum Hæreticis. sect. 2.

An liceat Catholicis aliquid solvere hæreticis, ne disturbentur.

Dicendum 3. Licitum esse in partibus Hæreticis aliquam pecuniæ summam solvere Hæreticis, ut quietè possint Catholici res divinas peragere. Contra illud olim valde debachatus est Tertullianus jam in præceps actus, accusans Catholicos, qui oblatâ pecuniâ vexationem redimebant, prout colligitur ex ejus libro de fugâ in persecut. c. 12. & 13. id tamen licitum esse constat exemplo Jasonis act. 17. & aliorum Apostoli Pauli Discipulorum, qui datâ pecuniæ summâ sese redimebant à vexatione gentilium & Judæorum Thessalonicensium, secundùm quod dicitur prov. 13. *Pretium redemptionis animæ hominis, propriæ divitiæ.*

Objici tamen posset, quòd Libellatici ab Ecclesia sint damnati, idque ex eo quòd solutâ certâ pecuniæ summâ libellos securitatis à Magistratu impetrarent. Resp. Tamen magnam inter illos & hunc casum esse disparitatem. 1. enim Libellatici vel per se vel per alios privatim fidem abnegabant. 2. obtento tali libello habebantur tamquam qui fidem abnegassent, adeoque ratione scandali id Ecclesia justè prohibuit, uti etiam ob negatam privatim fidem. Hoc casu verò, nulla est fidei negatio, nec scandali occasio, sed sola vexæ redemptio.

Quando obliget præceptum fidei affirmativum.

Dicendum 4. Præceptum affirmativum fidei tunc obligat, *Quando per ejus omissionem, subtraheretur honor Deo debitus, & etiam utilitas proximo impendenda: Puta si quis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide.* Ita d. Th. 2. 2. q. 3. a. 2. Quandonam autem illæ circumstantiæ concurrant, morali judicio debet judicari. Per se tamen hoc præceptum obligat, quando quis ad visibilem Ecclesiam venit, quando ejus fidem visibiliter profiteri debet. Item quando fides in aliis periclitatur, & confessione fidei periculum illud extinguere possum, tunc etenim omissio confessionis fidei, contineret gravem inhonorationem fidei & authoris ejusdem. Hinc rogati à tyranno publicam authoritatem

tem obtinente de fide nostra, apertè eam profiteri constringimur, adeò ut silentium hîc abnegationi æquivaleat. Aliud est, si talis rogans foret privatus, cui responsio nulla debetur, nec ex omissione ejus, censeamur fidem abnegare, aut etiam dicendo, *quid ad te? Nihil tua interest*, &c. Etsi autem publica tyranni potestas non se extendat ad res fidei indagandas, tamen eâ positâ, exsurgit Lex Christi, ut cum steterimus ante Reges & præsides, liberè Christum confiteamur, nec quidquam faciamus, unde Christum censeamur morali judicio erubescere: Quale præceptum, posi-â privatâ rogatione, non agnoscit Ecclesiæ sensus aut fidelium praxis.

Dicendum 5. Confessio externæ fidei, obligat ulteriùs, ratione statûs, aut virtutis. Ratione statûs juxta Trid. Ses. 24. reform. c. 12. Tenentur eam profiteri, qui provisi sunt de Canonicatibus, dignitatibus Ecclesiasticis in Cathedrali Ecclesia, uti & provisi de beneficiis curam animarum annexam habentibus. Item, qui in publica Academia aut Religione in Magistros & Professores sunt eligendi, qui Medicinam, jus civile aut Canonicum publicè vel privatim docent, uti statuit Pius V. quam tamen constitutionem non esse ubivis receptam docet Sanchez & testatur experientia. *Obligatur quis fidem profiteri ratione status.*

Ratione virtutis, obligat externa fidei professio, ratione obedientiæ in dicto casu, ratione veracitatis, si sit periculum mendacii, &c.

Dicendum 6. Licitum aliquando est sine periculo abnegationis fidei in persecutione fugere, aliquando illicitum. Licitum erit, si ex remansione non sequeretur notabile commodum fidei aut proximis, & è contra ex morte, quæ timetur, sequeretur notabile detrimentum. Quo casu, ex lege Christiana Matth. 10. fugiendum est de una civitate ad aliam: uti & Apostolus in sporta demissus effugit manus Judæorum, ipse Christus, Herodis, &c. Hoc tamen notandum est ex Eusebio l. 5. Histor. c. 15. ipsos Marcioni- *Quando liceat in persecutione fugere.*

stas eisque cognatos Montanistas, qui docebant illicitum esse tempore persecutionis fugere, ipso illorum hæresis exordio, ne vel levem persecutionem Christianitatis causâ sustulisse, sed vel ingenti pecuniæ vi vitam redemisse, vel fugâ sibi consuluisse, adeò ut quod in Catholicis condemnabant, in se ipsis admittebant.

Si verò præsentia alicujus sit necessaria fidei & religioni conservandæ, aut proximis adjuvandis, tenetur quispiam remanere in persecutione, nisi aliter possit periculum ejus compensare. Sic Pastor qui solus residet, nec alius haberi posset, tenetur in persecutione remanere; nisi ex ejus morte gravius timeretur incommodum.

In dubio autem, an teneatur aliquis fugere an remanere, prudenti consilio opus est, potius alieno quam proprio, cùm amor proprius, proprium consilium in similibus soleat depravare.

SECTIO VII.

Quinam habeant veram fidem.

Subjecta fidei Angeli, Adamus. DICENDUM primò, Angeli in via, item protoparentes in statu innocentiæ habuerunt veram fidem. Cum enim erant viatores, debebant ambulare per fidem in ænigmate, debebant accedendo ad Deum credere, quia est, &c. Deinde, *sine fide impossibile est placere Deo:* ad Heb. 11. unde S. Amb. l. 3. Epist. 33. ita Adamum compellat: *Agnoscis te esse nudum, quia bona indumenta fidei perdidisti.* Denique, etsi alibi S. Augustinus dicat Angelos à Domino numquam fuisse peregrinatos, solùm vult, Angelos non esse Peregrinatos per modum exilii, uti nos quamdiu sumus in corpore: quamdiu tamen ad patriam beatitudinis admissi non erant, Peregrinabantur & Angeli.

Dicen-

Dicendum 2. Nihil obſtat; quominus in beatis ſit vera Fides. Poteſt enim Fides conſiſtere cum clara viſione, & cum evidentia atteſtantis. Sic juxta multos Fides manſit in Paulo & Moyſi videntibus clarè Deum. Verum quidem eſt, quòd in patria evacuabitur id quod ex parte eſt; Quod ibidem apparebit in ſpecie, quòd hîc in ænigmate, &c. Tamen cùm etiam certum ſit, quòd beati Deum non comprehendant, poſſunt credere illud, quod ipſos ſemper latet, nec clarè patet. Deinde corporis reſurrectionem futuram credere poſſunt propter authoritatem Dei revelantis quæ res ipſis de ſe obſcura eſt, etſi revelans ejuſque infallibilitas ipſis clarè pateat. *Beati.*

Animæ quoque in purgatorio exiſtentes habent veram Fidem, cùm adhuc ſint peregrini, credentes ſe per Deum liberandas, ex qua Fide habent tolerantiam paſſionum, ſpem beatitudinis, &c. Dicuntur tamen illæ non eſſe viatores, eo quòd ſint extra ſtatum proprium meriti & demeriti. *Animæ in Purgatorio.*

Dicendum 3. Dæmones & damnati non habent Fidem. Ratio eſt, quòd propter continuam voluntatis obdurationem & obſtinationem, voluntas eorum affici piè nequeat divinæ veritati, quam abominantur, quæ tamen affectio ad fidem eſſentialiter eſt requiſita. *Credunt* tamen *& contremiſcunt* ait, Jacob. 2. non quòd verâ fide credant & intellectum ſuum in obſequium fidei captivent, ſed ut ait S. Aug. l. 9. de civit. c. 21. cognoſcunt res fidei, *non lumine fidei, ſed efficaciâ ſignorum.* *Dæmones.*

SECTIO VIII.

An qui diſcredit uni articulo fidei, diſcredat omnibus aliis.

DICENDUM primò, ſicuti in peccatoribus habitus charitatis perfectæ extinguitur per peccatum mortale, etſi adhuc in iiſdem remanere poſſit actus charita- *Poteſt manere fides imperfecta in eo, qui uni arti-*

culo dis-credit. charitatis imperfectæ: ita etiam, qui discredit uni articulo fidei satis proposito, quamvis aliis credat, et si perdat habitum fidei perfectæ, retinere tamen potest veram fidem circa alia objecta, saltem imperfectam. Hinc Judæus, qui ante ortum Christi credidit Deum esse unum, adveniente Christo, quem recipere non vult, retinet illam fidem, cùm eodem motivo & eâdem firmitate illa credere pergat. Unde de tali dicit S. Aug. cont. Petilianum c. 5. *tene fidem resurrectionis mortuorum, sicut tenebas: sed crede jam Christum resurrexisse à mortuis, quod non credebas.*

Unde hoc possit evenire. Dicendum 2. Quòd salvâ fide imperfectâ possit quis verâ fide credere uni articulo fidei & non alteri, fieri potest ex eo, quòd quis bene afficiatur primæ veritati in una materia & non in alia; item quòd alicui in una materia proponantur majora argumenta & efficaciora signa credibilitatis, quam in alia: item quòd quis vincatur ab affectu erga divinam veritatem in una materia & non vincatur ab eadem in altera, &c.

Talis tamen non est fidelis. Dicendum 3. Talis tamen, ètsi possit retinere veram fidem, etsi imperfectam, non tamen ideò denominari potest aut dici absolutè fidelis. Ratio est, quòd esse fidelem, sit bonum aliquod, quod oritur ex integra causa, adeò ut debeat credere omnibus punctis fidei. Poterit tamen dici esse fidelis respectu ejus puncti, quod credit.

Conc. Trid Quando igitur docet Conc. Trid Sef. 6. c. 15. Per infidelitatem amitti fidem, solùm vult, uti addit, quòd sicut per quodlibet peccatum mortale amittitur perfecta Charitas, non tamen omnis alia etiam imperfecta, ita per infidelitatem amittatur perfecta fides, etsi non continuò amittatur omnis alia. Etsi fatendum sit sæpè in talibus omnem fidem amitti, dum qui pertinaciter non vult se subjicere primæ veritati in una materia, non vult se quoque illi subjicere in alia, dum ubique eadem motiva credendi concurrunt

Dicen-

Dicendum 4. Etsi hæretici habitum fidei retinere non possint, nihil tamen implicat aut obstat quominus, aliquando gratiâ divinâ accendatur eorum voluntas piè circa divinam veracitatem, & intellectus eorum illustretur, adeò ut aliquando imperfectæ fidei actus elicere possint. Colligi potest hujus ratio ex hucusque in hac sectione dictis. Plura huc concernentia dabimus in materiâ de infidelitate, hæresi, &c.

Hæretici possunt aliquando bene affici primæ veritati.

CAPUT TERTIUM.

De Romano Pontifice.

SECTIO PRIMA.

De Potestate Romani Pontificis.

Dicendum primò, cùm Christus Ecclesiam suam N. T. fundasset, nec eidem corporali præsentiâ assistere & eam regere semper posset, visibilem in terris sui officii Vicarium elegit cui & Ecclesiam suam commisit gubernandam. Primus hujus muneris constitutus est à Christo S. Petrus, dum eidem à Domino dictum est Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Et tibi dabo Claves Regni Cœlorum*, &c. Ubi Petrus ponitur Ecclesiæ caput & fundamentum, & simul Ecclesiæ claves offeruntur, quod est signum traditæ plenæ potestatis. Unde sicuti Christus hîc in terris erat summus Ecclesiæ Princeps & rector, juxta illud Joan. 13. *Vocatis me Magister & Domine, & benedicitis: Sum etenim:* Ita Vicarius Ecclesiæ suæ Constitutus erat Petrus Ecclesiæ Princeps & rector. Hoc enim exigit regimen Monarchicum, quale est regimen Ecclesiæ. Idem

Rom. Pontifex Christi in Terris Vicarius, primus eorum S. Petrus.

patet ex Joan 21. ubi Christus Petro dicit: *Pasce oves meas*: ubi & majorem à Petro exigit dilectionem, quam ab aliis Apostolis.

Alii Apostoli sunt suo modo fundamentum Ecclesiæ. Dicendum 2. Alii Apostoli rectè dicuntur fundamentum Ecclesiæ, cùm etiam suo modo Ecclesiæ fundamenta jecerint, Ecclesias suas particulares erexerint, omnes ad ejusdem fidei propagationem sint coöperati, &c. Verùm potestas hæc non erat summa & universalis, ut erat potestas Petri, sed solùm qualis datur Legatis Plenipotentiariis, & dependenter à superiori, scilicèt Petro. Sic etiam S. Cyprianus l. 2. de unit. Eccles. rectè dicit: *Hoc erant cæteri Apostoli, quod erat Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis*, Eo quod omnes pares erant in ratione Apostolatûs, non item in omni alia. Sic quoque dicitur Christus ipse Fundamentum Ecclesiæ juxta illud 1. Cor. 3. *Fundamentum nemo aliud potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus* JESUS: Quatenus est Fundamentum Ecclesiæ primum ac principale, quod Ecclesiam fundat effusione Sanguinis sui, morte & Passione.

Neque huic S. Petri primatui umquam contrarii fuerunt SS. PP. in quibus tamen hoc notandum est, eos aliquando cautè esse Legendos in hâc materiâ, dum aliquando super omnes Apostolos Ecclesiam dicunt esse fundatam: omnibus Ecclesiæ claves esse datas, &c. Quo loquendi modo nihil aliud innuunt, quam omnes Apostolos ad fundationem Ecclesiæ suo modo collaborasse, etsi Ecclesiæ regendæ primatus Soli Petro sit à Deo collatus. Ita intelligi potest S. Hieron. l. 1. contra Jovin. ubi ita scribit: at dicis: *Super Petrum fundatur Ecclesia, licèt id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat: Et cuncti Claves Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo super omnes Ecclesiæ fortitudo solidetur.*

Data sunt Petro Claves Ecclesiæ immediatè. Dicendum 3. Petro immediatè datæ sunt Claves Ecclesiæ à Christo, non item mediatè puta per Ecclesiam. Clarè illud patet ex hoc Matth. 16. *Tu es Petrus, &*

& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Ubi vox Petrus & Petra sumitur pro eodem: Ridiculum enim esset dicere, *Tu es Petrus, & super hanc Petram* (Ecclesiam) *ædificabo Ecclesiam meam.* Deinde, dicitur Petro: *Pasce oves meas, &c.* Ex quibus clarè patet, Petrum ab ipso Christo immediatè accepisse suam potestatem.

Objicies S. Augustinum, qui alibi dicit, & maximè l. cont. Donatistas, Christum dedisse Claves suas Ecclesiæ. Resp. Illis locis non agit S. Doctor de clavibus jurisdictionis, sed coöperationis & impetrationis; tradit enim, quòd in Sacramentis non tantùm concurrat Christus Dominus & dispositio suscipientis, sed & merita sanctorum, eorum orationes, &c. Unde & addit, tales claves, dari solis justis, non raptoribus & fæneratoribus, ubi tamen claves jurisdictionis dari possint non justis. Clarè enim alibi contrarium docet, & signanter Serm. 26. de divers. ubi ait: *Petrus multis locis Scripturarum apparet, quòd personam gestet Ecclesiæ, maximè illo in loco, ubi dictum est: Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, numquid istas Claves Petrus accepit? & Paulus non accepit & cæteri Apostoli, aut non sunt istæ in Ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? Sed quoniam in significatione personam gestabat Ecclesiæ, quod illi uni datum est, Ecclesiæ datum est.* Ubi clarè mentem suam aperit S. Doctor si alibi contrarium sentire videatur, scilicèt, quòd dicantur Claves dari Ecclesiæ, quando dantur Petro, dum dicit: *Quòd illi uni datum est, Ecclesiæ datum est.*

Claves impetrationis & jurisdictionis.

Dicendum 4. Potestas hæc Petro collata, derivatur ad omnes Romanos Pontifices: Cùm enim Ecclesia Christi sit duratura in finem sæculi, sequitur, quòd visibile caput & Doctor semper agnoscendus sit, qui eamdem regat & gubernet. Derivationem hanc agnoverunt à primis Ecclesiæ temporibus Sancti Patres unanimiter, adeò ut S. Amb. Epist. ad Timoth. dicat: *Domus Dei est Ecclesia, cujus hodie rector est Damasus.* Vide S. Bern. ad Eugenium. Deinde potestas

Potestas Petro data transcendit ad Romanos Pontifices.

clavium

clavium fuit privilegium reale, quod non exspirat morte privilegiati. Adde, quòd eadem ratio, quare in initio debuerit Ecclesia habere rectorem universalem, etiamnum militet, imò eo magis, quo plures sunt fideles, neque cessare possit Pastoris officium, quamdiu sunt oves.

Quòd autem potestas illa ad solum Pontificem sive Romanum Episcopum derivetur, abundè patet, ex summa jurisdictione ejusdem in alios Episcopos, in totum Christianum orbem, quòd ubivis Vicarios constituat, &c. Adeò ut nullus umquam ausus sit assumere titulum Successoris Petri. Potest quidem Episcopus Antioch. dici Petri successor, sed solùm quoad particularem illam Cathedram, & particularem potestatem illi annexam, non itidem, quoad universalem Ecclesiæ universalis jurisdictionem. Denique quando D. Greg. noluit se appellari *Episcopum universalem*, dicens nomen illud esse *prophanum*, solùm abjicit, se ita esse Episcopum universalem, ut alii Episcopi non maneant quoque veri Episcopi, quod alii sibi imaginabantur.

Petrus Ecclesiam suam fundavit Romæ.

Dicendum 5. Quòd S. Petrus Romæ Ecclesiam fundaverit ut universalis ejusdem rector & fundamentum, probat constantissima omnium traditio. Ipse enim Petrus 1. Epist. 4. ita scribit: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta.* Ad quod D. Hieron. de viris illust. de Marco. *Petrus*, ait, *in Epistola prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans, &c.* Ex quo insulsè inferunt Hæretici è Babylone, idest Ecclesia Romana discedendum esse: Aliud enim est, Romana civitas, aliud Romana Ecclesia: Illa, cùm omnibus dominaretur gentibus, omnium serviebat erroribus; hæc omnibus gentibus prædominans, omnium errores rejicit, & in obscuro lucet supra candelabrum posita. Deinde, Petrum Romæ obiisse clarissimè patet, ex omnium Historicorum & SS. PP. consensu: Ex sepulchro ejusdem Romæ existente, ad quod omni tempore peregrinationes usitatissimæ

idem

idem declarant. Denique, ut ait D. Hieron. l. de viris illust. *Petrus Romæ 25. annis cathedram Sacerdotalem tenuit.*

Dicendum 6. Ratione hujus potestatis, potest ex toto terrarum orbe ad Romanum Pontificem appellari. Probat id perpetua Ecclesiæ praxis. Sic S. Athan. Alexand. & Paulus Constantin. Episcopi, à Concilio depositi, ad Julium Pont. appellaverunt, & suæ sedi restituti sunt, uti refert Sozom. l. 3. c. 7. idem clarè patet ex variis similibus, quos referunt controversistæ. Porrò, etsi maximè congruat, ut negotia, ubi oriuntur, ibi & finiantur, varia tamen concurrere possunt, quæ contrarium suadeant; imò ad illud idem necessariò impellunt, ut puta alicujus judicis suspecta ignorantia, malitia, insufficientia, &c. Neque appellatio illa ullis incommodis est abnoxia, cùm optimè illis obviari soleat, delegando ubique terrarum varios, qui de re controversa informentur, & Pontificem informent, uti solet in omnibus appellationibus, in quibus appellatur ad tribunalia longiùs dissita: Etsi jure merito frequentior similis appellationis usus aut potiùs abusus à S. Bernardo taxetur l. 3. de consid. c. 2. *Licet ex toto orbe appellare ad Pontificem.*

SECTIO II.

De infallibilitate Pontificis.

SUPPONENDUM primò, Pontificem considerari posse ut privatam personam aut particularem Doctorem: Alio modo, considerari potest ut est Ecclesiæ Doctor & rector universalis, dum aliquid decernit aut definit.

Supponendum 2. Alias esse quæstiones fidei, id est quæ ad fidem spectant; alias esse quæstiones morum, quibus mores Christiano necessarii definiuntur, aut aliquid eosdem concernens. Aliæ rursum *Quæstiones variæ.*

sunt quæstiones facti, ubi de facto quæritur & decernitur. Aliæ denique quæstiones mediæ inter quæstiones fidei & morum, qualis est Canonizatio SS. His positis.

Ut Caput Ecclesiæ sic Pontifex est infallibilis. Dicendum 1. Romanum Pontificem definientem aliqua ut Ecclesiæ Caput, esse prorsus infallibilem. Cùm enim ut talis sit Ecclesiæ fundamentum, si errare contingeret, corrueret ædificium tali fundamento superpositum, cujus tamen contrarium promisit Salvator, & pro quo rogavit, ne deficiat fides Ecclesiæ Capitis. Hoc autem quam maximè verum est, in decernendis quæstionibus fidei, & morum, in quibus Pontificem Romanum Spiritus Sanctus docuit omnem veritatem.

Ut persona privata sic potest errare Dicendum 2. Potest Romanus Pontifex errare ut privatus Doctor in quibusvis quæstionibus, sive juris, sive facti. Sic Joannes XXII. erravit in docendo, animas non visuras Dei essentiam ante resurrectionem mortuorum: Cœlestinus judicando, quòd matrimonium per hæresim dissolveretur, &c. Ut talis enim, tam est fallibilis, quam quivis alius particularis Doctor.

Quando definit ex Cathedra Censetur autem definire aliquid ut Doctor Ecclesiæ universalis, non autem ut particularis, vel ut alii dicunt, censetur definire ex Cathedra, quando aliquid asseveranter dicit, solitâ formâ Pontifici consuetâ in definiendo: Aut etiam, quando aliquid universaliter toti Ecclesiæ proponit sequendum aut omittendum, credendum, &c. Ubi nota, non omnia illa definiri ex Cathedra, quæ principali asserto adduntur: adduntur enim aliquando tali asserto varia, quæ non sunt satis certa, imò aliquando falsa, eo quòd sint ratio principalis asserti, aut sint illa, quæ ut privatus Doctor, Pontifex proponit. Sic Nicolaus Pontif. respondens ad consulta Bulgarorum, addidit privatam suam sententiam de valore Baptismi in nomine solius Christi: Sic aliquando definitum est Angelos esse pingendos, eo quòd sint corporei, quæ ratio est clarè falsa. Di-

Dicendum 3. Potest pontifex ut talis etiam, errare in quæstionibus facti: Est sententia Catholicorum communis teste Bellarmino, Baronio, Turrecremata, & aliis. Potest autem error ille oriri ex vario capite. Primò, quòd ex falsis informationibus & allegationibus, ex quibus quæstio facti solùm pendet, persuadeatur Papæ aliquem esse hæreticum, qui talis non est. Sic 6. Synod. ex falsis informationibus judicavit Honorium esse Monothelitam. 2. si tali medio persuadeatur Pontifici aliquem esse Catholicum, cùm sit hæreticus: Sic Zozymus erravit declarando Cælestinum & Pelagium esse viros Catholicos, eosdem persequentes Africanos Patres acerbis litteris perstringens & objurgans: Idem de aliis multis docent controvertistæ, & præcipuè Bellarm. l. 4. de Pontif. c. 8. *Potest Pontifex errare in quæstionibus factis.*

Hanc fallibilitatem in quæstionibus facti professi sunt ipsi Romani Pontifices, uti fecit Alexander 3. in rescripto ad Archi-episc. Ravennat. capt. *Si quando* de rescriptis, ubi ait: *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur: Turbari non debes, qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis rationabilem causam prætendas: Quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Deinde idem constat ex retractationibus sententiarum & censurarum summorum pontificum: Sic Benedictus 2. Scripta Juliani Præsulis Toletani, quæ primùm incautiùs lecta improbavit, ut dicitur in Synodo Toletana 15. habita anno 688. posteà pro Orthodoxis agnoscere non erubuit: Idem Eugenio IV. evenisse dicunt circa quasdam propositiones Abulensis sive Tostati.

Denique idem confirmat S. Aug. l. 2. de Baptismo contra Donatist. c. 5. ubi ita loquitur: *Et ipsa plenaria concilia, sæpè priora per posteriora emendant: Cum aliquo experimento aperitur, quod clausum erat, &*

cogno-

cognoscitur quod latebat : Hoc autem de quæstionibus facti intelligendum esse, patet ex eo quòd præcipua quæstio de qua hîc agit S. Augustinus, esset hæc, an Cæcilianus libros SS. tradidisset hostibus Ecclesiæ.

infallibilis est in quæstione media, in Canonisatione SS. Dicendum 4. Pontifex quoque infallibilis est in quæstionibus mediis inter quæstiones facti & morum, puta in canonizatione SS. beatificatione, &c. nimia enim ex fallibilitate orirentur in Ecclesia incommoda, quæ divina providentia evenire non sinet. Quid autem Canonizatio importet, videri potest de beatitudine sect. 4.

Desinant tamen alii hanc Doctrinam nostram censurare, quasi summi Pontificis authoritati inimicam, quam tamen ex animo suscipimus & veneramur. Certè vellem illud alii attendant, quod scribit Melchior Canus l. v. de locis c. 5. ubi ita ait : *Nunc illud breviter dici potest, qui summi Pontificis omne de re quacumque judicium temerè & sine delectu defendunt, hos Sedis Apostolicæ authoritatem labefactare, non fovere : evertere, non firmare.......... non eget Petrus mendacio nostro, nostrâ adulatione non eget.*

SECTIO III.

An sit de Fide Innocentium XI. esse verum Pontificem.

Nullibi revelatum est Innocentium XI. esse verum Pontificem. Dicendum primò, non est de Fide, Innocentium XI. esse verum Pontificem. Probatur : quia non est de Fide, quòd sit baptisatus, quod requiritur, ut sit capax pontificatûs. Deinde, Deus hoc nullibi revelavit ; Denique licet de fide sit, omnem ab Ecclesia legitimè electum esse Pontificem: Non tamen de fide est, hunc hominem v. g. esse legitimè electum : Adeò ut, qui negaret Innocentium XI. v. g. esse summum Pontificem, non foret hæreticus. Di-

Dices, ergo non erit de fide, quòd aliquis ex præcedentibus Pontificibus fuerit verus Pontifex. Item quòd quando definit aliquid, sequetur illud idem non esse etiam de Fide. Resp. ad primum, Verum esse quod prætendit objectio, de S. Petro tamen constat; ad aliud Resp. hoc minimè sequi; Quamvis enim illud quod Pontifex definit, debeat credi Fide divinâ, tamen non ideò Fide divinâ credi debet, quòd illa à legitimo Pontifice sint definita: Sufficit enim ut prudenter rebus Fidei ab alio propositis verâ Fide assentiar, quòd morali certitudine sciam res illas legitimè proponi credendas: Uti fit in hoc casu, cùm sit moraliter certum, hunc Pontificem esse legitimum, dum ab universali Ecclesia ut talis recipitur, & cujus contrarium impedire spectat ad divinam providentiam: Quæ certitudo, non est certitudo Fidei, etsi sufficiat, ut prudenti & firmo assensu fidei credamus rebus Fidei à Pontifice propositis ad credendum.

Aliud est agnoscere, aliud definire.

Dices 2. varia Concilia generalia agnoverunt Pontifices pro veris Pontificibus, ergo. Resp. Aliud est agnoscere, aliud definire: Agnoscunt etiam omnes fideles Innocentium XI. esse verum Pontificem, etsi illud non credant Fide divinâ. Agnoverunt ergo Concilia illa varios Pontifices esse veros Pontifices, non itidem definierunt.

Non est de fide quod Concilium Tridentinum sit verũ Concilium.

Dicendum 2. Quòd Concilium Tridentinum v.g. fuerit legitimum, non est de Fide: Ita docet Bellarm. de Conc. l. 2. c. 9. Quamvis sit moraliter certum, quòd sit legitimum, dum ab universali Pontifice fuit indictum, ex omni parte Orbis Christiani Catholici Episcopi convenerunt, &c. addita sint, quæ ad legitimum Concilium requiruntur: quæ applicata fuisse constat nobis morali certitudine, quæ sufficit, ut res fidei ab illo Concilio definitas fide divinâ credamus, & ut credamus res ab illo definitas à Deo aliquando esse revelatas.

Est tamen moraliter & summè certum.

Dicendum 3. etsi non sit de Fide divinâ Concilium

lium aliquod œcumenicum aut Romanum Pontificem eſſe legitimum, tamen ſummâ certitudine illud eſt tenendum, dum moraliter conſtat, illa ut talia ab univerſali Eccleſia recipi. Credendum enim eſt, illud ſpectare ad Providentiam divinam, ne rector Eccleſiæ illegitimus illam regat, ex quo innumera & graviſſima Eccleſiæ orirentur incommoda. Dixi dum moraliter conſtat, &c. Quia aliquando fieri poſſet, quòd Pontifex aliquis vi vel fraude eſſet intruſus, ut conſtitit de Petro Leonis ſæculo undecimo, ad quem deponendum cum S. Bernardo S. P. N. Norbertus Romam eſt acerſitus.

SECTIO IV.

An Pontifex poſſit eſſe hæreticus?

Non poteſt Pontifex ut perſona publica eſſe Hæreticus.

Dicendum primò, Pontifex ut talis, ſive ut eſt univerſalis Eccleſiæ rector, non poteſt deficere à Fide, cùm ut talis ne quidem poſſit errare. Ut tamen eſt perſona privata, veriùs videtur, quòd poſſit à Fide deficere, etſi contrarium piâ probabilitate gaudeat. Probatur prius, ex actis Epiſcoporum & aliorum circa damnationem Honorii, qui indubiè ſupponebant Pontificem eſſe poſſe hæreticum. Hinc dicit Innocentius III. Serm. 2. de conſecrat: Papæ: propter ſolum peccatum, quod in Fide committitur, poſſem ab Eccleſia judicari. Idem dicit Adrianus in Synodo 8. act. 3. capt. *Si Papa* diſt. 40. ubi ait: *Papa à nemine eſt judicandus, niſi deprehendatur à Fide devius.*

Benè tamen ut eſt privata.

Probatur ulteriùs: Quia eo non obſtante, veroſimile apparet, quòd Chriſtus rogaverit non ſolùm pro Petro ut perſonâ privatâ, ut non deficiat ejus fides, ſed pro omnibus ejuſdem ſucceſſoribus ut talibus, quod etiam ad providentiam divinam videtur attinere.

Dicen-

Dicendum 2. Nullus Pontifex, etiam ut privata persona defecit à fide. Cùm enim hæc sit quæstio facti, ab aliis probandum est contrarium, cùm quilibet debeat præsumi bonus, donec probetur malus. Unde refutanda sunt quæ de aliquibus Pontificibus opponunt adversarii. *Nullus Pontifex à fide defecit.*

1. De S. Petro, volunt eumdem à fide defecisse, dum Christum abnegavit. S. Petrus.

2. Honorius defecit ad Monothelitas statuentes in Christo unicam voluntatem. Honorius.

3. Marcellinus idolis sacrificavit, ut de eodem legit breviarium. Marcellinus.

4. Formosus & alii erraverunt à fide, putantes ordinatos à Pontifice Simoniaco esse reordinandos. Formosus.

Ad Hæc Resp. S. Petrum ab negasse Christum metu mortis, retentâ tamen fide in corde, imò etiam imperfectâ charitate, ut docet S. Augustinus.

Ad 2. Resp. Honorium à fide non defecisse: cùm solummodò pacis studio dixerit abstinendum esse à voce operationis unius vel duarum in Christo voluntatum. Deinde juxta alios solummodò negavit in Christo duas voluntates planè & efficaciter contrarias. Unde Ecclesia semper perseveravit in communicatione cum Honorio, nec umquam ab obedientia ejus se subtraxit. Hinc quando in sexta Synodo indicitur anathema Honorio, quod authoritate Agathonis Pont. factum esse constat, nihil omninò obest: Tum quòd in eadem Synodo expressè doceat contrarium Agatho Pontifex, dum dicit: *Apostolica Christi Ecclesia, per Dei omnipotentis gratiam, numquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, secundùm salvatoris pollicitationem: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* Tum etiam, quòd solùm permiserit Agatho anathema dici & continuari à legatis suis, si aliter Græcos ad concordiam revocare non possent.

Ad 3. Resp. Juxta nonnullos, Marcellinum in corde Fidem reservasse. Verùm meliùs docent alii, crimen illud à Donatistis Marcellino fuisse injuriosè &

falsò impositum quod probari poteſt ex S. Aug. l. de Baptiſ. c. 16. ubi ait: *Quid jam opus eſt, ut Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus Calumniis inſectatus eſt* (Petilianus) *objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus, &c. traditionis codicum divinorum & thurificationis ab eo crimine arguuntur, ſed numquid ideo convincuntur, aut convicti aliquâ documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſacrilegos fuiſſe dicit: Ego innocentes fuiſſe reſpondeo, qui laborent probare defenſionem meam, cùm nec ille tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam.*

Ad 4. Reſp. Formoſum & alios hìc non erraſſe in fide, docendo ſolùm hujuſmodi ordinationes eſſe nullas, quantum ad jus exercendi tales functiones ordinationi proprias. Quòd ſi reordinarint aliquos, reordinatio illa non fuit Sacramentalis, ſed ſolùm ceremonialis, ideſt reſtitutio poteſtatis, cùm character maneat etiam in degradatis: Poſſunt enim omnia ad Sacramentum requiſita adhiberi, puta materia & forma, ſic ut ex intentione Eccleſiæ & miniſtri Sacramentum non conficiatur, ſed ſolùm alia ceremonia. Sic conjuges poſſunt repetere eſſentialia Sacramenti Matrimonii coram Parocho & teſtibus, nemo tamen dicet, quòd repetitio illa ſit Sacramentum. Idem eſt in renovatione profeſſionis Religioſæ, quæ ſi fiat denuò debitâ formâ, erit merè ceremonialis.

Alios Pontificum aliorum errores objiciunt adverſarii, qui vel erraruntut perſona privata, nec tamen à fide deflexerunt, vel erroris injurioſè & falsò ſunt accuſati ab hæreticis: De quorum vindiciis, videri poteſt Bellarminus & alii controvertiſtæ.

SECTIO V.

De Conciliis.

Concilium Generale Provinciale, &c.

DICENDUM primò, Concilium eſt congregatio præſulum Eccleſiaſticorum legitima authoritate convocatorum, ad res fidei graviores disjudicandas. Aliud

Aliud est *œcumenicum* sive *generale*, ubi ex toto orbe Episcopi congregantur, Pontifice per se vel per legatum præsidente. Aliud est *nationale*, ubi Episcopi regionis alicujus à Patriarcha vel primate convocantur. Aliud est *Provinciale*, ubi Episcopi & Prælati Diœcesis alicujus convocantur ab unius Provinciæ Metropolitano. Denique aliud est *Diœcesanum*, ubi Prælati unius Diœcesis ab Episcopo ejusdem convocantur, & concilium illud vocari solet *Synodus*.

Dicendum 2. Ad Concilium generale non requiritur, ut omnes fideles nec ut omnes Episcopi totius orbis Christiani cò conveniant & congregentur, cùm hoc sit moraliter impossibile: Etsi Episcopi omnes ad illud obligentur ex juramento, & convenire debeant, nisi sint legitimè impediti. Nullus quoque Laïcorum hìc convenire necessariò debet, ut judicet de rebus Concilii, etsi aliquando convocati sint, ad interponendam suam authoritatem, ad res fidei propagandas, &c. Sufficit ergo ad Concilium generale, quòd saltem aliqui Episcopi ex majori parte orbis Christiani convocentur, adeò ut convocatio sit tam generalis, ut omnibus Christianorum, saltem majoribus innotescat, adeòque censeatur Congregatio universalis Ecclesiæ. *Quomodò omnes Ecclesiæ præsules convocari debent ad Conc. Generale.*

Dicendum 3. Pontifex debet Concilia generalia convocare, authoritativè, cum jurisdictione in Episcopos, & omnes qui convocantur: Quod addo, quia subinde Imperatores convocarunt Concilia generalia, ad idem cohortando, & adjuvando executionem Conciliorum, non tamen per modum jurisdictionis in eos, qui convocantur: sicut enim Ecclesiastici aliquando compelli possunt brachio sæculari, ita etiam ad Concilia celebranda eodem brachio convocari & compelli possunt Episcopi, sic tamen, ut tota illa jurisdictio ab Ecclesia brachium sæculare adhibente proveniat. *Pontificis est Concilia Generalia convocare.*

Dicendum 4. Sicuti Pontificis est convocare Concilia generalia, sic ejusdem est eisdem præsidere, sive per *Item iisdem præsidere.*

per se, sive per suos Legatos. Ratio est, quòd ipse solus sit caput Ecclesiæ, in Concilio congregatæ, & in convocatos habeat authoritatem & jurisdictionem. Leguntur tamen aliquando etiam præsedisse Imperatores, non authoritativè, sed solùm adjuvando Concilia, interponendo suam authoritatem, &c.

Concilia Generalia infallibilia. Dicendum 5, Concilia generalia & particularia à Pontifice confirmata, sunt infallibilis veritatis. Ratio est, quòd Pontifex ut universalis Ecclesiæ rector in decernendis rebus fidei & morum, sit infallibilis. Hinc in generali Concilio attribuitur decisio rerum fidei, spiritui Sancto, dum dicunt, *visum est Spiritui Sancto & nobis.*

Si verò Pontifex non confirmet Concilium etsi per Legatos à se instructos Pontifex præsideat, non erit infallibillis veritatis. Dicunt tamen alii: Si tale Concilium non esset infallibile, non apparet quare Pontifex non deberet personaliter præsidere. Deinde, Concilia illa etiam ante confirmationem Papæ definiunt res fidei, dicunt anathema, &c. Unde etiam vocantur *œcumenica*, sive generalia Concilia. Ad quæ tamen respondetur, non requiri ad Concilium generale personalem Papæ præsidentiam, sed omnia, quæ defectu ejus oriri possent incommoda, satis caventur instructione Legatorum præsidentium. Deinde dicunt aliquando anathema ejusmodi Concilia, sed quæ vim suam habent, accessu confirmationis Pontificiæ: Sic etiam Provincialia Concilia dicunt aliquando anathema. Denique vocantur *œcumenica* illa Concilia, quia sunt generalia quoad Corpus, non item quoad caput quod infallibille est, nec infallibilitatem illam dare & communicare potest alteri Legato.

SECTIO

SECTIO VI.

De Authoritate Concilii generalis comparata ad Pontificem.

Dicendum primò, Romanus Pontifex est supra Concilium generale. Pontifex enim immediatè à Christo accepit claves Ecclesiæ, uti probavimus sect. 1. & claves illæ per Pontificem derivantur in Ecclesiam, ergo Papa superior est Concilio generali Ecclesiam repræsentante. Deinde Papa est caput Ecclesiæ, rector ejusdem, Pastor Pastorum: caput autem est superius corpore, Rector & Pastor ovibus, &c. *Pontifex est supra Conc. Generale.*

Quæret quispiam, quid ergo remedii Ecclesiæ superesset, si habeat Pontificem perversum, dum illo est inferior? Resp. Christus qui Ecclesiæ suæ aderit usque ad consummationem sæculi, eamdem quoque semper proteget mediis sibi notis, etiam sine Concilii generalis authoritate. Sic sæculo 10. quando fuerunt Pontifices satis perversi, dedit Ecclesiæ Sanctos Reges & Principes, qui defectui Pontificum obviarent, adeò ut sine miraculo vix fieri potuerit, ut eodem tempore Principes Christiani à Fide non defecerint, ut notat Baronius. Deinde Ecclesiæ licitum erit tales Pontifices fraternè corripere, imò si vim inferant, vim vi repellere, servato debito moderamine. *Deus providet Ecclesiæ dum caput ægrotat.*

Dices: Pontifices aliquando suas definitiones miserunt Conciliis examinandas, ut fecit Leo Concilio Calcedonensi, mittendo Epistolam suam ad Flavianum. Resp. Etiam Reges mittunt aliquando Parlemento suo decreta examinanda, unde tamen non sequitur, Parlamentum esse supra Regem. Deinde Leo Pont. illam Epistolam misit, non ut de illa judicaret Concilium, sed ut juxta eamdem sese regularet, quâ

re à Concilio factâ, idem Concilium laudat Leo, & sibi gratulatur, de ejusdem Concilii obedientia.

Quando autem objicitur Calcedonense Concilium judicasse de Romano Pontifice, verum est, loquendo de judicio, quo judicabat quisnam haberet præferentiam in toto orbe, & signanter quisnam eamdem haberet, Patriarcha Constant. an Alexandrinus & Antioch.

Deinde, dicitur aliquando Romani Pontificis decreta posse à Conciliis emendari, non quòd Concilium sit Pontifice Superiùs, sed quòd posteà Concilium de quæstionibus facti meliùs possit informari, planiùs rem decernere, &c.

Caput est corpore virtute majus. Dices ulteriùs, Pontifex est membrum Ecclesiæ, ergo totâ Ecclesiâ est minor. Resp. etsi Ecclesia sit major solo capite, quantitate molis, non tamen quantitate virtutis & authoritatis, cùm Caput communitatis sit majus authoritate totâ communitate. Sic Rex est caput regni, major quidem potestate, sed minor mole.

Dices, Generalis ordinis est caput ordinis, ubi tamen non est superior toto ordine simul congregato. Resp. hoc ideò, quia generalis ille accipit suam potestatem ab ordine, Pontifex à Christo.

Conc Constantiense. Objicitur ulteriùs: Quòd Conc. Constant. & Basiliense definierint, quòd Concilium generale sit supra Pontificem. Resp. juxta aliquos solùm definit prius Concilium, quòd tempore schismatis sit illius Concilii definire, quisnam sit verus Pontifex. Alii dicunt sessionem illam esse illegitimam, cùm Joan. 23. jam discessisset, & plurimi alii. Verum quidem est, quòd Martinus 5. approbaverit postea Concilii illius acta, non quidem omnia, sed solùm ea, quæ concernebant condemnationem Wiclef & Hus.

Conc. Basileense. Quod vero ad aliud attinet: Resp. Concilium illud quidem legitimè fuisse inchoatum, sed non absolutum. Initio enim S. Sedis Legatus cum multis aliis Episcopis abiit, in cujus locum alii remanentes constituerunt

tuerunt Cardinalem quemdam Arelatensem præsidem, & Monachos loco Episcoporum qui discesserant, adeò ut dicatur fuisse Concilium magis Monachorum quam Episcoporum, magis conciliabulum, quam verum concilium. Postmodum tamen illud Concilium approbatum fuit à Nicolao Pont. quoad censuras Ecclesiasticas & beneficia dumtaxat, uti ex ejus bulla huic Concilio annexa sufficienter constat.

Ex quibus omnibus patet, Pontificem non obligari legibus Concilii generalis, nisi quoad vim directivam dumtaxat, cùm sit illo superior. Item quòd Concilium generale possit transferre de loco in locum, in aliud tempus differre, illud dissolvere, &c. Nec illi posse subjici Pontificem, quo sensu verum est, sedem Romanam à nemine judicari. *Quomodo Pontifex obligetur Concilii Generalis statutis.*

SECTIO VII.

Quid sit Ecclesia, & quinam in ea sint.

DICENDUM primò, *Ecclesiæ* vocabulum à Græcis mutuatum significat convocationem seu cœtum vocatorum, adeò ut quævis rationalium creaturarum convocatio *Ecclesia* dici possit, hinc sumitur aliquando vox *Ecclesia* in malam partem, ut Psalm. 25. *Odivi Ecclesiam malignantium.* Alio modo significat Pastores & Rectores Ecclesiæ, ut dum dicitur Matth. 18. *dic Ecclesiæ.* Alio quoque modo sumitur pro loco, quo homines convocati conveniunt. Rectissimè tamen ac propriè dicitur *Ecclesia*, fidelium cœtus per totum orbem dispersus. Vocatur autem illa in Sacra Scriptura aliquando *Domus Dei*, *sponsa Christi*, *uxor Christi*, *Templum Dei*, *columba*, &c. ad designandas varias proprietates Ecclesiæ, & excellentias. *Quid sit Ecclesia.*

Porrò, alia est Ecclesia militans, alia in cœlis triumphans. Hæc est cœtus eorum, qui de mundo victores in cœlis beati triumphant. Illa est cœtus eo- *Militans & triumphans.*

rum, qui in hoc mundo cum eodem militant & luctantur. Hæ duæ Ecclesiæ tamquam partes unicam Ecclesiam constituunt, quarum una alteram subsequitur, nemo enim Deum habiturus est in cœlis Patrem, qui Ecclesiam, hîc in terris noluit habere Matrem.

Ecclesia Hæreticorum. Aliter definiunt Ecclesiam hæretici. Novatiani volunt eam esse cætum fidelium illorum, qui numquam in graviora scelera sunt lapsi. Teste August. de hæres. c. 69. Pelagiani, cætum fidelium perfectorum, nullum peccatum habentium. Lutherani, hominum verè credentium & Deo obedientium. Calvinistæ duas assignant, unam ex solis prædestinatis constantem, & soli Deo cognitam: aliam visibilem omnibus fidelibus etiam impiis constantem. Unde plerique illi homines, fideles malæ vitæ ab Ecclesia removent, cujus contrarium constabit ex dicendis.

Quinam sint in Ecclesia. Dicendum 2. hæretici non sunt de Ecclesia, cùm illi teste Apostolo 1. Tim. 1. circa fidem naufragarint. Deinde hæretici Deo credere non censentur, *Hæretici.* nam ut ait S. Aug. l. 17. cont. Faustum *Qui, quod vult credit, & quod vult, non credit, non Deo, sed judicio suo credit.* Et rursum l. de unitate Eccles. c. 4. *Non utique sunt in Ecclesia, qui non credunt.* Quomodo tamen discredens uni fidei articulo, non necessariò discredat & aliis, vide antea demonstratum sect. 8. c. 2. Porrò, etsi hæretici non sint de Ecclesia, ab eadem tamen ut desertores puniri possunt & castigari.

Hæretici interni. Hæretici interni verò, sunt in Ecclesia secundùm externum fidelium nexum, puta secundùm externam fidei confessionem, Sacramentorum communionem, &c. Sunt verò extra Ecclesiam secundùm nexum internum, scilicèt animo & voluntate, fide, &c. De his agit Apostolus Evangelista Joan. 1. Epist. c. 2. dicens: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Quomodo ex nobis, si non erant ex nobis? Quia eos *Intus fuisse carne, sed foris Spiritu*, dicit S. Augu-

Augustinus l. 3. de Baptis. c. 18. & l. 4. c. 16.

Dicendum 3. Catechumeni, excommunicati, schismatici sunt extra Ecclesiam. De Catechumenis dicunt SS. PP. eos nihil cum fidelibus habere commune, fideles dici non posse, comparant eosdem foetui concepto sed nundum nato, &c. Excommunicati etiam ab Ecclesia segregati sunt, omni commercio spirituali privati, dati satanæ, & cùm Ecclesiam audire noluerint, sunt fidelibus, ut ethnici & publicani. Schismatici verò, sese ab Ecclesiæ capite scindentes, non magis sunt de Ecclesia, quam ramus abscissus, est pars vitis; manus abscissa, pars hominis: hinc S. Cypri. 4. Epist. 9. *Ecclesia*, ait, *est grex suo Pastori adunatus, qui cum Episcopo non sunt, in Ecclesia non sunt; extra eam sunt, qui se ab ejus unitate diviserunt.* *Catechumeni, excommunicati, schismatici, &c.*

Dicendum 4. Imperfecti, & malæ vitæ, sunt etiamnum in Ecclesia. Omnes enim imperfecti sumus, dum septies in die cadit justus, & omnes rogant: *Dimitte nobis debita nostra.* Hinc rursum Christus in Ecclesia sua *Hædos* agnoscit *Ovibus* permixtos, *Paleam Tritico*, Matth, 3. & 25. Apostolus 1. cor. 5. in Ecclesia agnoscit *Incæstuosum*, & sæpissimè fideles criminosæ vitæ arguit & admonet. Hinc generaliter notandum, quod quando alibi innuitur Ecclesiam constare solis justis & electis, solummodo intelligendum esse, vel de superna Cœli Ecclesia, vel de particulari Ecclesia, ad quam vocantur illi, qui justificantur & glorificantur, vel etiam de justitia & Sanctitate Ecclesiæ, quam de se continet & confert, etsi alii suâ malitiâ eâdem abutantur. Ita intelligi debet, quod aliqui de Ecclesia dictum volunt cant. 4. *Tota pulchra es*, & *Sine ruga & macula.* *Improbi.*

SECTIO VIII.

De Proprietatibus veræ Ecclesiæ.

Ecclesia vera est visibilis. DICENDUM primò, Vera Christi Ecclesia est visibilis, adeo ut quilibet eam videre possit ex ejus notis & proprietatibus, quòd sit vera Ecclesia. Hinc est, quod Scriptura eam comparet, *Monti*, *Areæ*, *Soli*, *&c.* Adeò ut S. Aug. Tract. 2. in Epist. Joan. roget: *Quid amplius dicturus sum, quam cæcos esse, qui tam magnum montem non viderint, qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt?* Quamvis autem præcipui effectus & ornatus Ecclesiæ sint ab intus, deforis tamen est in vestitu deaurato, circumamicta varietate, cùm internus ille ornatus exteriorem producat & adferat. Eo tamen non obstante, & videmus & credimus Christi Ecclesiam, sicuti Apostoli quem videbant, credebant & Christum.

Fuit autem omni prorsus tempore visibilis vera Christi Ecclesia. Non enim possunt veri fideles in unam fidem coalescere, nisi externis signis & externâ professione. Sic Cain & Abel sacrificasse docet Scriptura Sacra, quos omnes alii deinceps sunt imitati, usque ad Noë virum justum & perfectum, quem deinde in veri Dei cultu ac Fide imitati sunt Sem, Japhet, Melchisedech, Abraham, &c. Quo tempore circumcisione verus Dei populus ab aliis distinguebatur, donec tandem per Christi adventum Fides Christiana annuntiata sit per orbem universum, & tot Ministris ubique sit facta conspicua, ut cæcus sit, qui eam non videt.

Indefectibilis. Dicendum 2. Vera Christi Ecclesia deficere nequit, cùm Deus fundaverit eam in æternum, nec portæ inferi possint prævalere adversus eam. Deinde, Christi promissione, idem aderit Ecclesiæ suæ usque ad consummationem sæculi. Hinc neque defecit

um-

umquam Synagoga nisi quando Christo advenienti eadem cedere debebat & extingui. Neque etiam tempore Antichristi deficiet Ecclesia, sed solùm aliqui de illa, uti omni tempore aliqui de eadem deficiunt. Idem dicendum est, de Synagoga, quòd etsi plurimi variis temporibus ab ea defecerint, semper tamen habuerit suos fideles, uti ex Sacra Scriptura constat. Unde etiamsi immanissima aliquando in Ecclesiam sævierit persecutio, numquam persecutione defecit aut deficiet, cùm ut ait Hilarius l. 9. de Trinit. *Ipsa est, quæ dum persecutionem patitur, floret: Dum opprimitur, crescit; dum arguitur, intelligit: Tunc stat, cum superari videtur*: & Tertull. in Apolog. *Plures*, ait, *efficimur, quoties metimur: Semen est Sanguis Martyrum, grana multiplicata in agro Dominico resurgunt.* Adeò ut meritò D. Bern. Serm. 79. in cant. *Nec verbositate Philosophorum, nec cavillationibus hæreticorum, nec gladiis persecutorum potuit Ecclesia, vel aliquando poterit superari.*

Dicendum 3. Vera Christi Ecclesia est *una*: *Unitate* scilicèt animorum, adeò ut credentium omnium sit cor unum & anima una. *Una*, unitate capitis Christi & ejusdem in terris Vicarii; *Una* unitate spei, dum sumus vocati in una spe vocationis nostræ, Eph. 4. *Una* denique unitate eorumdem Sacramentorum, Fidei, rituum & Doctrinæ. Hæc unitas Ecclesiæ ejusdem indefectibilitatem stabilit, cùm *Omne Regnum in se divisum desolabitur*, Matth. 12. Si verò aliquando in Doctrina dissentiant fideles, vel solùm accidentaliter ad Fidem illa pertinent, vel se summo Pontifici plenè in omnibus subjiciunt, & consequenter in idem judicium ultimatè conveniunt.

Est una.

Ejus unitas.

Porrò, etsi varia hinc inde in Ecclesiis variis sint Ecclesiæ capita; omnia tamen primario & principaliori sunt subordinata, & ut ait S. Leo Serm. 3. de ordinatione sua: *Licet universa Ecclesia distinctis ordinata sit gradibus, ut ex diversis membris sacrati corporis integritas subsistat: nos tamen omnes, sicut ait Apostolus*

lus, in Christo Jesu *unum sumus, nec quisquam ab alterius ita divisus est officio, ut non ad connexionem pertineat capitis cujuslibet humilitas portionis*. Vera ergo veræ Ecclesiæ nota est, si à Christo per Apostolos descendat, quod successione summorum Pontificum Romana ostendit Ecclesia.

Est Sancta. Dicendum 4. Vera Christi Ecclesia debet esse *Sancta* eo quòd caput ejus sit Sanctum, Spiritus assistens sit Sanctus, Sacramenta ejus sanctitatem contineant & conferant, Sancta sit in Doctrina & præceptis, quæ bonos mores & Sanctitatem edocent & præscribunt. Unde apposite optatus Milev. contra Parmen. initio: *Sanctitas Ecclesiæ* ait, *de Sacramentis colligitur: Sancta est Ecclesia in votis, Sancta in Sacrificiis, Sancta in Ministeriis, Sancta in ceremoniis, Sancta in omnibus & singulis observationibus, quæ ad Dei cultum ab ea usurpantur.* Denique Sancta dicitur ex eo, quòd omni tempore viri Sancti in eadem sint inventi.

Est Catholica & Apostolica. Dicendum 5. Vera Christi Ecclesia debet esse *Catholica & Apostolica*. Debet esse *Catholica* idest universalis, cujus fides annuntiatur in universo Mundo, hoc enim *Catholicum* dicitur, quod ab omnibus, ubique & semper creditum est.

Apostolica verò, eo quòd à Christo per Apostolos fundata & ad nos debeat esse derivata. Hinc Tertull. de præscript. c. 32. ita Hæreticos compellat: *Edant origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris habuerit authorem & antecessorem.*

Ex quibus præcipuis Ecclesiæ veræ signis & proprietatibus Colligi manifestè potest, quàm veræ sint Hæreticorum Ecclesiæ, quæ vix ortæ in varias divisæ sunt sectæ, vix uno aut alio regno concluduntur, vix à 200. annis ortum duxerint, quæ dogmata maximè absurda, Deo injuriosa complectuntur, &c.

SECTIO

SECTIO IX.

De Infallibilitate Ecclesiæ res Fidei attestantis.

Dicendum primò, res Fidei nobis per Ecclesiam tamquam signum infallibile proponuntur credendæ. Cùm enim Deus à nobis exigat Fidem firmissimam rebus à se revelatis; easdem semper viâ infallibili nobis proposuit: Sic in lege naturæ eas revelavit per Angelos, & primogenitos familiæ: In lege scripta per Moysen, Prophetas & Sacerdotes: In lege gratiæ per Christum ejusque Apostolos & Apostolorum successores. Unde, quando res Fidei per illorum instructionem nobis innotescit, æquè firmiter eisdem est assentiendum, cùm semper illis assentiamur propter authoritatem primæ veritatis res illas per eosdem revelantis. Semper enim est idem modus credendi, etsi diversus sit modus res fidei addiscendi. Quare ipse Christus idem confirmat dicens Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*, &c. Ideò etiam Paulus Thessal. 2. asserit verbum suum, esse verbum Dei. Hinc denique Apostoli dicuntur *adjutores Dei*, tamquam Legati *Legatione fungentes pro Christo.*

Ecclesia infallibilitas.

Vox Ecclesiæ est vox Dei revelantis & loquentis.

Sequitur ergo ex dictis vocem Ecclesiæ res Fidei attestantis aut determinantis esse infallibilis veritatis, cùm eâdem Deus tamquam medio & instrumento utatur ad res Fidei proponendas, adeò ut, Ecclesiâ in illis errante, error in Deum redundaret. Hinc dicit Salvator se Ecclesiæ adfuturum usque in consummationem sæculi; Hinc rursum dicitur, *Columna & Firmamentum veritatis*, Unde in rebus Fidei semper ad Ecclesiam tamquam ad judicem infallibilem & lapidem lydium recurrerunt fideles.

Dicendum 2. Sequitur ulteriùs, voci Ecclesiæ res Fidei aut morum determinanti esse acquiescendum

Ecclesiæ voci est acquiescendum.

cum

cùm sit vox Dei & testimonium assistentis Spiritûs Sancti. Unde Chrisost. hom. 58. in Joan. *Sacerdos* ait, *Angelus Domini est, nihil ex se ipso loquitur: Si despicis, non illum despicis, sed Deum.* Et alibi. *Deus omnia facit: Sacerdos manum & linguam præbet.* Hinc etiam admonet salvator dicens Matth. 23. *Omnia quæcumque dixerint vobis facite.* Aliud est in eis rebus, quæ merè ab informationibus pendent, in quibus patienter audit Ecclesia opponi & debito respectu contradici, quando aliquid Ecclesiæ pravâ fuit informatione suggestum: Vide sect. 2. conclus. 3.

Quanta authoritatis sint revelationes aliquæ. Dicendum 3. Varias circumferri variorum revelationes, & prophetias, quibus tamen aliquando nimia fides à quibusdam adhibetur. Præcipuæ & famosæ sunt revelationes S. Brigittæ & Mathildis, ex quarum revelationum libris aliqui pro suâ Doctrinâ magnam sumunt authoritatem. Notandum tamen est, quod scribit Spondanus ad annum Christi 120. num. 7. *Quod vero insuper adducunt ex SS. Brigidæ sive Brigittæ atque Mathildis revelationum libris: Veneror quidem (ut par est) Sanctas illas & colo: Sed de revelationibus eis factis, vel potius ipsarum nomine ab aliis promulgatis, ea dumtaxat recipio, quæ Ecclesia Catholica recipit, quam scimus non potuisse ea probare, quæ sunt tum inter se pugnantia, tum divinæ Scripturæ repugnantia.*



CA-

CAPUT QUARTUM.

De vitiis fidei oppositis.

SECTIO PRIMA.

De Infidelitate & Hæresi.

DICENDUM primò, Infidelitas negativa, quâ quis nihil de fide credit, eo quòd nihil de eadem audierit, vel audire moraliter potuerit, non est peccatum. In illis enim ignorantia rerum fidei, in qua infidelitas illa propriè consistit, est invincibilis: Hinc damnata est hæc subsequens propositio: *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* *Infidelitas negativa.*

Infidelitas autem contraria, quâ alii fidem sibi propositam rejiciunt & impugnant, sine dubio est peccatum: juxta illud, *Qui non crediderit, condemnabitur, jam judicatus est.* Marci ult. Infidelitas privativa, quâ quis ex culpâ propriâ res fidei suscipere renuit, est peccatum, cùm sit culpabilis, uti supponitur. *Contraria.*

Dicendum 2. Hæresis est error intellectûs voluntarius, cum pertinacia, contra aliquam veritatem fidei Catholicæ priùs susceptæ. Sicut enim Fides est in intellectu & imperàtur à voluntate, ita & Hæresis ei contraria est in intellectu & à voluntate imperatur. Ad pertinaciam autem ad hæresim requisitam, non requiritur, ut quis Fidem suam quam tenet, putet esse erroneam, uti neque, quòd contradicat dogmati alicui, quod putat esse verum, cùm contrarium in plerisque hæreticis constet: Sed pertinacia illa consistit in voluntate resistendi doctrinæ quam novit esse Ecclesiæ Catholicæ. Declarat id S. Aug. l. 4. de Baptis. c. 16. ubi ait: *Constituamus aliquem* *Quid Hæresis.* *Pertinacia ad eam requisita*

quem id sentire de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse Catholicam Fidem, istum nondum hæreticum dico, nisi manifesta sibi Doctrina Catholicæ fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit. Ex quo sequitur, quòd si quis paratus sit desistere ab errore suo, si sciret esse contrarium Catholicæ fidei, non esse Hæreticum, nam ut ait idem S. Doctor Epist. 162. *Qui sententiam suam quamvis falsam & perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint: nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Sequitur ulteriùs, eum non esse formaliter Hæreticum, qui assentiri renuit propositioni incertæ, quam tamen plurimi Doctores docent esse de Fide, eo quòd non constet eam Catholicæ fidei adversari.

Qua ignorantia ab Hæresi excusat. Dicendum 3. Ignorantia antecedens quæ sit causa operis, excusat à formali hæresi, quæ si abesset, vellet cum Ecclesia Catholica sentire. Unde S. Thom. super Epist. ad Tit. 3. lect. 2. *Eligens*, ait, *Si non est pertinax, sed est paratus corrigi secundum Ecclesiæ determinationem, & sic non ex malitia, sed ex ignorantia, non est Hæreticus.*

Ignorantia crassa, etiam excusat à formali Hæresi, si sit equidem paratus determinationi Ecclesiæ acquiescere, licèt non adhibeat debitam diligentiam in investigandis rebus Fidei. Idem probabiliùs dicitur de ignorantia affectata, ut liberiùs quis vivat, vel quia tædiosum est ea addiscere, quæ credenda proponit Ecclesia; cum illa enim ignorantia stare potest, quòd quis sit paratus acquiescere constitutioni Ecclesiæ in rebus Fidei. Aliud esset, si illâ ignorantiâ affectarem aliqua nescire, ut liberiùs in fide errem, ne judicium meum deponere tenear, &c. In quo pertinacia ad hæresim requisita includitur.

Dubius in fide infidelis est. Dicendum 4. Ille qui verè & positivè dubitat in fide, est infidelis. *Fides enim*, ait, Bern. l. 5. de consid.

c. 2.

c. 2. *Ambiguum non habet, etsi habet, fides non est.* Unde & capt. de hæret. 1. *Dubius in fide infidelis est.* Fides enim requirit assensum firmum, & intellectum captivat in obsequium fidei, non autem renuit fidei acquiescere, uti facit ille, qui verè & positivè dubitat, dum judicat propositionem Ecclesiæ esse insufficientem, cùm hoc judicando judicet Ecclesiam non esse infallibilem, aut à Deo per eandem res fidei proponi. Debet autem dubitatio illa esse vera & positiva, non verò negativa, aut improvisa & subitanea circa res fidei, & ut primo prima: Deinde debet esse dubitatio de rebus fidei sufficienter propositis, & de ipsis rebus fidei, non de propositione rerum fidei, v.g. an propositio aliqua sit de fide.

Dicendum 5. Frequenter in partibus hæreticis deest formalis hæresis, eo quòd res fidei non sint illis propositæ, aut ita dumtaxat propositæ, ut ne quidem habeant speciem probabilitatis, unde provenit quòd sint solùm materialiter hæretici. Etsi enim varia de fide Catholica audiant à parentibus, Ministris, &c. Tamen ita ridiculè & mendaciter illa proponuntur, ut ab illa ut diabolicâ deterreantur, Pontificem sibi dæmonem imaginentur & Antichristum, Religiosos ut Diabolos aversentur, adeò ut iis pejus sit, ac si de Fide illa numquam audivissent: Ex quo capite multi rudiores in illis partibus ignorantiâ magis laborant quàm pertinaciâ, quare & ab excommunicatione, formali hæresi annexâ, immunes sunt plerumque tales, quod in partibus nostris sollicitè est notandum. *Hæretici idiota.*

Dicendum 6. tales tamen rudiores, qui hæretici habentur, non tamen pertinaciter sunt tales, absolvi non possunt, cùm non habeant veram fidem, ubi tamen motus Fidei ad justificationem est necessarius; ut docet Conc.Trid. sess. 6. c.6. neque sufficit hîc Fides habitualis acquisita in Baptismo, sed requiritur motus Fidei, idest actualis. *Absolutio illorum dum ad fidem redeunt.*

Si tamen tales ad fidem redeant, possunt absolvi

à quolibet confessario, etiam non gaudente Privilegio absolvendi à casibus reservatis, cùm non fuerint formaliter hæretici, defectu insufficientis propositionis, & pertinaciæ, quales solùm excommunicatio fecit. Unde non ita à formali hæresi reducuntur ad fidem, quam ab ignorantia reducuntur ad notitiam fidei. Quomodò verò Confessarius aget cum Hæreticis, vide in materia de absolutione in Sacramento Pœnitentiæ.

SECTIO II.

An, & in quibus liceat cum Hæreticis communicare.

Quinam Hæretici sint excommunicati.

Dicendum primò, Hæreticos formales & veros, idest tam internâ quam externâ Hæresi infectos, esse excommunicatos ipso facto, patet ex Bulla Cœnæ & aliis multis. Etsi enim Apostolus ad Tit. 3. dicat: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita*; Ex quo videri posset, non esse hæreticum ipso facto excommunicatum: Tamen hoc solùm intelligendum est, de excommunicatione lata ab homine, non item à jure, quæ ulteriorem correptionem hæretici non requirit.

Hinc sequitur Hæreticos ut tales esse fugiendos: Hoc tamen notato, quòd quamvis primitus omnis omninò cum Hæreticis communicatio Catholicis fuerit interdicta: Postmodum tamen à Martino V. in Conc. Constant. ejusmodi interdictum est limitatum, dum ita loquitur prædictus Pontifex: *Ad evitanda scandala, & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, statuitur quòd nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis aut prohibitionis, ab homine vel à jure generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio,*

Martinus V.

suspensio

suspensio vel censura hujusmodi fuerit contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam aut locum certum à judice publicata vel denuntiata specialiter vel expressè. Unde patet, quòd illi tantummodò vitandi sint, qui sunt publicè denuntiati hæretici.

Dicendum 2. Etsi soli publicè denuntiati sint vitandi, ut excommunicati, ex alio tamen fundamento omnes promiscuè in familiaritate vitandi sunt. Sermo enim hæreticorum ut cancer serpit, pusillos imperceptibiliter inficit, & res est periculi plena: Quod maximè verum est, quoad hæreticos illos, quibus familiare est, Catholicos irridere, Catholicorum ritus & Sacramenta contemptibiliter traducere, &c. *Hæreticorum consortium.*

Dicendum 3. Hæreticorum concionibus interesse, easdem audire, per se non est illicitum, nisi adsit periculum perversionis: Imò doctiores aliquando utiliter eas adeunt, ut promptiùs eorum fraudes retorqueant & detegant. Si verò quis adsit eisdem, vel ex curiositate, vel ex dubio in propria fide, vel ut aliis aut sibi suâ præsentiâ eveniat periculum perversionis, omninò erit illicitum eis interesse. Deinde, si præsentia illa censeretur professio sectæ hæreticæ, sub mortali vetitùm erit eis interesse, adeò ut nec metu mortis quidem ad eas liceat convenire. Sic Anglo-Catholicis anno 1606. gravissimis pœnis à Rege convocatis ad conciones hæreticorum, expresè Paulus V. illis prohibuit, tali Regis jussui obedire, & addit: *Hæc facere non licèt sine detrimento divini cultûs ac vestræ salutis.* Illicitum quoque est, interesse precibus, aut aliis hæreticorum ritibus, adeò ut censearis esse unus ex istis, flectendo dum flectunt illi, Psalmos concinendo, &c. Multò magis vetitum erit eorum cœnæ interesse, panem benedictum ab hæreticis sumendo, quod maximum foret sacrilegium. Spectare tamen eamdem cœnam, ut comædiam, non foret per se illicitum, si absit perversionis periculum. Famuli verò & ancillæ Catholicæ, inservientes Dominis hæreticis licitè eosdem comitantur ad conciones hæreticas, si absit per- *Conciones.*

Famuli Hæreticorum. versionis periculum, nec ad illud à Dominis cogantur in odium Religionis. Quia tamen plerumque aliquale periculum famulis & famulabus utpote rudioribus imminere potest, ex cohabitatione & obsequio hæreticis Dominis debito, obligantur ejusmodi dictos Dominos deserere, & alia obsequia prætendere apud Catholicos, etiam cum aliquali damno ratione minoris stipendii, cui damno periculi prædicti cautela est præponenda.

Conformatio Catholicorum in Hæreticorum ordinationibus. Dicendum 4. Licitum est in partibus hæreticis, Catholicis sese conformare in ordinationibus hæreticorum civilibus, si illæ ordinationes non sint introductæ in odium Religionis, neque observantia illius censeatur illius sectæ professio. Sic licitum est Catholicis claudere officinas diebus rogationum hæreticarum, easdem aperire diebus festis, nisi prævalens Catholicorum consuetudo aliud introduxisset. Morali enim judicio, censetur observantia contraria Catholicis impossibilis, ad quam proinde Ecclesiæ lex non censetur eosdem constringere. Aliud esset, si observationes illas cogerentur Catholici ab hæreticis adimplere ex odio fidei nostræ aut Religionis. Deinde observantia eorum non censetur moraliter esse professio alterius Religionis, sed solùm conformatio merè civilis; sic etiam licitum est Catholicis comitari funera hæreticorum, eorumdem nuptiis interesse, &c. Eo quòd solùm sint signa amicitiæ civilis & actus humanitatis, cognationis, &c.

Obire officia in partibus Hæreticis. Dicendum 5. Licitum est Catholicis inter hæreticos degentibus exercere talia munia, quæ sunt merè civilia, nec ad eorum sectam fovendam aut ejus professionem significandam obeuntur. Sic licitum erit imò aliquando utile, quòd Catholicus officium aliquod civile obeat, quo possit promptiùs fidem Catholicam fovere & protegere. Sic etiam licitè impendunt Catholici hæreticis operam, in mæchanicis, artibus liberalibus, &c. Hoc tamen singulariter notandum, prædicta omnia, uti & alia his simi-

lia

lia esse omninò illicita, si sint ratione talis officii aut operæ hæreticis impensæ, moralis causa coöperans aut favens propagationi sectæ hæreticæ: Sic erit illicitum bibliopolæ suscipere officium bibliopolæ ordinarii ac jurati apud hæreticos, eo quòd sese unà obliget ad eorumdem errores excudendos, Catholicorum impugnationes imprimendas & consequenter hæresim eorum promovendam. Sic ulteriùs illicitum erit Catholico agere organistam ordinarium, æditiuum templi hæretici, eo quòd similes ludendo ad Psalmos, pulsu campanæ, hæreticos ad ritus suos convocando, censeantur coöperari ritibus hæreticorum, & hæresim promovere.

In partibus Hæreticis exercere mercaturam.

Ex dictis sequitur ulteriùs, licitum esse Catholicis mercaturam exercere in partibus hæreticis, sic tamen ut ejusmodi singulariter sibi caveant, dum hæreticorum consortio frequentiùs & familiariùs est utendum. Econtrà licitè etiam in partibus Catholicis permittuntur hæretici mercatores, v. g. Romæ, Venetiis, Antverpiæ, &c. Quamvis superiores Catholici in illis partibus potissimùm invigilare debeant ut Catholici ibidem in Fide firmiùs instruantur, & omne perversionis periculum caveri debeat, ne sub prætextu mercaturæ, hæresis sese ingerat & incautos decipiat & corrumpat.

Preceptorum Ecclesiæ obligatio in Hæreticis partibus.

Dicendum 6. præcepta Ecclesiæ etiam obligant in partibus hæreticis, si absque gravi detrimento observari possint. Hinc tenentur Catholici in Hollandia, Anglia, &c. existentes observare jejunia Ecclesiastica, cùm ibidem illud sine gravi incommodo observare possint. Item etiam audire Sacrum diebus festivis, confiteri annuè, &c. Si verò ex observatione illorum esset periculum gravioris damni, v. g. mortis, bonorum confiscationis, &c. Non essent tali lege Ecclesiastica constricti, cùm leges Ecclesiæ cum gravi detrimento non obligent. Ratione tamen damni levioris, irrisionis v. g. aut alterius similis, legum Ecclesiasticarum obligatio non cessat:

unde transeuntes partes hæreticorum vix dum excusati sunt ab observantia jejunii, auditionis Sacri, &c. cùm sine damno graviori illa observare promiscuè possint; imò caupones in Anglia & Hollandia pisces carnibus miscere solent, dum mensam diebus jejunii proponunt; deinde rogati pisces humaniter accommodant, nec quidquam gravioris damni promiscuè hic formidandum: Deinde occasio Missæ audiendæ ibidem satis opportuna.

SECTIO III.

De Lectione Librorum Hæreticorum.

Lectio librorum Hæreticorum interdicta. Dicendum primò, juxta antiquissimam praxim libros hæreticos eorumque lectionem rectè condemnat Ecclesia. Sic act. 19. *Multi ex iis, qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros & combusserunt coram omnibus.* Sic libri Arii in Conc. Nicæno, in Ephesino libri Nestorii, &c. deleti sunt. Scripta enim opportuniùs & præmeditatè magis disposita sunt, ad decipiendum incautos, quam verba; unde si Sermo hæreticorum ut cancer serpat, multò magis eorumdem scripta.

Calliditas Hæreticorum. Dicendum 2. Etiam condemnat Ecclesia libros hæreticorum, etsi multa habeant fidei nostræ conformia & alia doctissima contineant. Hæc enim est hæreticorum astutia, ut sub specie Doctrinæ Hæresim intrudant, & opportuniùs sub specie raritatis eam edoceant. Permittit tamen Ecclesia ab omnibus legi aliquorum hæreticorum libros, quorum hæresis sufficienter est extincta, nec illius superest periculum formidandum ex illorum lectione. Sic permittit legi libros Origenis, Tertulliani, Judæorum aliquorum, &c.

Qui libri Hæretici condemnati. Dicendum 3. Libri, qui ab Ecclesia sub excommunicatione prohibentur legi, sunt illi qui sunt hæreticorum

rum libri qui hæresim contineant aut de Religione tractent, ut legantur scienter, aut ita retineantur, imprimantur aut defendantur, idque sine legitima authoritate. Hinc sequitur, non prohiberi lectionem librorum Ethnicorum, Judæorum, &c. Imò nec Catholicorum errorem continentium, eo quòd non sint hæretici.

Sequitur etiam, non esse prohibitos libros hæreticorum, qui non continent hæresim aut de Religione non tractant, ut sunt aliquando Historiæ prophanæ, libri litterarii, &c.

Sequitur ulteriùs, requiri scientiam in eo qui legit, imprimit, &c. Librum esse hæreticum, adeò ut ignorantia etiam crassâ hîc excuset, nisi sit tanta ut scientiæ moraliter æquivaleat, v. g. si fama publica aut vir fide dignus attestetur de prohibitione libri, cui tamen fidem negat, ut liberius legat.

Datur in lectione libri Hæretici parvitas materiæ.

Dicendum 4. Datur in lectione libri hæretici parvitas materiæ. Quantitas autem ejus, ut censuram quis incurrat, prudentis judicio est determinanda: Aliquando enim una pagina plus periculi continet, quam reliqua libri Folia. Imò aliquando ratione unius folii totus hæretici liber proscribitur & prohibetur.

Audientes legi etiam pœna subjacent.

Dicendum 5. Non tantùm legentes, sed audientes legi tales libros prohibitio dicta concernit. Hinc si quis jubeat famulum sibi librum hæreticum prælegere, & ipse scienter audiat, prohibitionis reus est: *Qui enim facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum*, Ut ait regula juris 72. in 6. neque de eo dubitari potest, quin talis sit prohibentis intentio, cùm aliàs in fraudem prohibitionis quilibet facilè posset audire, quod legere non posset. Adde, quòd lectio prohibita, partim etiam sita sit in perceptione rei quæ legitur, non tantùm in nuda lectione & sono Litterarum.

Legitimâ authoritate legens ex sola curiositate.

Dicendum 6. Qui legitimâ authoritate libros hæreticos legit, si id faciat ex sola curiositate, etsi peccat, non tamen censuram incurrit. Quòd talis peccet, probatur ex eo, quòd sua potestate abutatur, nec ad hunc finem

finem poteſtas illi conceſſa ſit, quæ ſolùm conceditur ad refutandas hæreſes, ut litteræ talem authoritatem concedentes, apertè addunt. Non ideò tamen cenſuram incurrit talis, eo quòd veram retineat in legendo authoritatem, etſi eâdem abutatur. Hoc tamen notandum, aliquos Religioſos habere facultatem, dandi ſuis pœnitentibus authoritatem legendi libros prohibitos, qui tamen non ſunt editi ad ſtabilienda dogmata hæretica, quales ſunt illi, qui non ex profeſſo hoc agunt, ut hæreſim probent aut introducant, ſed aliud argumentum tractant: Hoc tamen addito, quòd pœnitentes admonendi ſint, quibus conceditur ejuſmodi facultas, ut errores occurrentes deleant.

Libros Hæreticos retinentes. Dicendum 7. prædictis pœnis ſubjiciuntur illi, qui ſine legitimâ authoritate libros hæreticos retinent aut imprimunt. Retentio autem illa debet eſſe aliquo tempore protracta, quod tempus morali judicio eſt determinandum. Prohibetur autem omnis retentio, quocumque reſpectu vel causâ fiat, ſive ad refutandas hæreſes, ſive gratiâ ornamenti bibliothecæ, ſive alia de cauſa. Si autem retineantur, donec habeatur licentia retinendi, quam jam quæſiſti, vel etiam donec occaſionem nactus ſis eoſdem ablegandi, non erit vetitum eos retinere, cùm omninò velis libros non retinere, vel ſolùm retinere cum debita licentia.

Imprimentes. Eidem pœnæ ſubjacet impreſſor libri hæretici, & omnis ille, qui impreſſioni coöperatur, ut Typographiæ Dominus, ſervi chartas prælo diſponentes, litteras deducentes, &c.

Index librorum prohibitorum. Prædictæ conſtitutioni bullæ cœnæ affinis eſt inſuper alia Pii IV. & Sixti V. quæ jubet obſervari Conſtitutiones & Regulas præfixas Indici librorum prohibitorum ad finem Concilii Trid. conſtituto, idque ſub excommunicatione, ſed Pontifici non reſervatâ. Bulla autem illa obligat illos ubi eſt publicatâ, de cujus publicatione in aliquibus Belgii urbibus conſtat: Uſus tamen contrarius in aliquibus partibus

tibus contrarium docet, idque à tempore immemoriali, unde per contrariam consuetudinem legitimè inductam videtur in aliquibus locis Lex illa abrogata.

Venditio librorum Hæreticorum.

Dicendum 8. ille, qui hæreditate accepit libros hæreticos, aut ad fidem conversus tales retinet, etsi laudabiliter eosdem igni tradat, si opes ferant, etiam cum aliquali damno; Tamen, si cum aliis libris Catholicis commutet, vel hæretico bibliopolæ divendat, ne grave damnum aliàs incurrat, non videtur graviter peccare, & posse hoc à Confessario dissimulari, maximè si similium librorum copia ibidem sit sufficiens, eo quòd tali venditione causam Catholicorum non faciat multò deteriorem, & de cætero non censetur facere rem ex natura sua illicitam ut damnum evitet.

Libri solum interdicuntur.

Hoc autem, quod diximus de constitutionibus prædictis, intelligendum est de lectione, impressione & retentione librorum hæreticorum, non item de lectione Epistolæ, concionis, aut edictorum hæreticorum, quæ non sunt *Libri* propriè dicti, etsi alia de causa eorumdem lectio vetita sit ob periculum perversionis, quòd talia continent, aliquando etiam majus, quam contineat liber hæreticus.

Lectio Bibliorum in vulgari lingua quibus interdicta.

Dicendum 9. Dictâ Constitutione Pii IV. Vetatur omnibus lectio Bibliorum in vulgari lingua, nisi de Consilio Parochi. Quæ constitutio prudens est & justa, non quòd Scriptura Sacra mala sit, aut quid mali contineat: Sed quòd in Scripturis *Sint plurima difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant..... ad suam ipsorum perditionem*, ut ait S. Petrus 2. Epist. c. 3. unde S. Hieronym. Epistola ad Paul. ita de suo sæculo loquitur: *Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant, hanc garrula anus, hanc delyrus senex, hanc Sophista Verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant.* Hoc idem in partibus nostris hæreticis experimur, quibus omnibus etiam de plebe mulierculis Scripturæ lectio, explanatio & studium

ſtudium eſt maximè familiare, cui confidentiùs inſudant aliquando, quam Rhombo aut Girgillo.

In Belgio cum aliquibus diſſimulatur. Hoc tamen diſſimulatione potiùs, quam conceſsâ licentiâ in partibus Belgii invaluit, ut quidam libri Hiſtorici, Regum v. g. Tobiæ, &c. vulgari idiomate quilibet legantur, imò pueris ad legendum in ſcholis puerilibus proponantur. Idem dici poteſt de Epiſtolis & Evangeliis dominicalibus, quæ omnium manibus teri permittuntur aut diſſimulantur. Quamvis & promiſcuo illi uſui obſiſtere conſultum eſſet Paſtoribus & Confeſſariis, maximè cùm aliquando tota Biblia aſſumant, dum partis lectionem ſibi licitam putant, tum quod ſæpè tales partes corruptâ verſione legant aut retineant, unde non niſi de Conſilio Parochi hæc legere, foret conſultiſſimum.

SECTIO IV.

De diſputatione cum Hæreticis.

Diſputare cum Hæreticis quandoli citum. DICENDUM primò, nemini licèt ita diſputare publicè de condicto, niſi ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia vel niſi in mora eſſet periculum & neceſſariò Fidei ſtatus id exigeret. Ita quondam cenſuit S. Congregatio de Propaganda Fide Anno 1644. Deinde perſonis Laïcis illud interdictum eſt olim ab Alexandro 4. capt. *Quicumque* §. de Hæreticis in 6. ubi ſic habetur: *Inhibemus quoque, ne cuipiam Laïcæ perſonæ liceat publicè vel privatim de Fide Catholica diſputare: qui verò contra fecerit excommunicationis laqueo innodetur.* Ratio dictarum conſtitutionum eſt hæc, quòd juxta Apoſtolum 2. Tim. 2. ad nihil utile plerumque ſit (diſputare) niſi ad ſubverſionem audientium: & ut ait S. Aug. l. 13. contra Fauſtum c. 12. *Non amant diſputare Hæretici, ſed quoquo modo ſuperare impudentiſſimâ pervicaciâ, ut congregent, quæ non pepererunt.* Huic teſtatur experientiâ Malderus, numquam ferè ex diſputa-

Diſputationis cũ Hæreticis ſæpè raro utilis aut conſultus.

ſputatione cum illis ſpem eſſe eos convertendi, ſed potiùs timorem periculi pro parte Catholica. Cùm enim ut ait Tertul. de præſcript. c. 15. *Scripturas obtendant, hâc ſuâ audaciâ ſtatim quoſdam movent, in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt.*

Dicendum 2. Dictis legibus inhiberi ſolùm diſputationem formalem, non item materialem, quæ fiat exercitii causâ, quæ non tantùm aliquando non erit illicita, ſed aliquando præcepta, v.g. ſi ſit periculum, quòd aliqui ex taciturnitate alicujus reſpondere capacis, à Fide declinabunt, aut de eadem dubitabunt; deinde aliquando licitum erit in locis ubi Catholici Hæreticis permixti ſunt, in quibus partibus alibi per conſuetudinem contrariam lex illa eſt abrogata: Denique: ſi Laïci ſint docti in controverſiis, licitum erit iiſdem diſputare dum occaſio ſe offert, ſive privatim ſive in conſortio itinerario, ſi ſperari poſſet utilitas ex diſputatione, qualis ſæpè ſperari poteſt, dum pars Hæretica videt ab hominibus plebeis ſua argumenta facili negotio elidi & falſificari. *Quænam diſputatio ſit interdicta.*

Dicendum 3. Cavendum eſt, ne quis vel materialiter diſputet ex dubio, quod de Fide Catholica in animo fovet, cùm dubius in Fide ſit infidelis: Deinde, cavendæ ſunt Verborum contentiones, ſcommata & dicteria, in quæ diſputatio cum Hæreticis ſæpè deſinit, adeò ut ille haberi velit in diſputando ſuperior, qui convitiis apparet inſtructior. Cæterùm videndum in hoc negotio ad ſpem fructûs & timorem periculi, quod ex diſputatione ſecuturum prævideri poteſt. *Non licet de Fide diſputare ex dubio.*

SECTIO

SECTIO V.

An liceat ab Hæreticis accipere Sacramenta.

Hæretici qui retinent tam potestatem ordinis quam jurisdictionis.

DICENDUM primò, cùm juxta prædicta sect. 2. Hæretici quidam ab Ecclesia tolerentur, & cum iisdem permittatur communicatio, & insuper Hæretici illi retineant potestatem ordinis, si quam habuerunt, & jurisdictionis dum eosdem Ecclesia tolerat, sequitur, quòd aliquando licitum sit ab iisdem Sacramenta suscipere; dicitur enim ibidem de talibus à Martino V. Bulla ad evitanda scandala, &c. *Statuitur quòd nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum administratione aut receptione, aut aliis quibuscumque divinis, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ, &c. Teneatur abstinere.* Quâ Constitutione permittit Pontifex Catholicis, cum Hæreticis toleratis ideſt non publicè denuntiatis communicare, etiam recipiendo Sacramenta. Addi tamen oportet, cavendum esse eo casu scandalum & perversionis periculum: Deinde non esse ab ejusmodi Hæreticis Sacramenta suscipienda sine necessitate, & ubi ab aliis eadem commodè suscipi possunt, cùm sine debita dispositione alii Sacramenta illa soleant administrare.

Sacramenta Hæreticoru sunt plerumq; illicita etsi valida.

Unde notandum, quòd quando dicunt SS. PP. extra Ecclesiam non esse vera Sacramenta, vera sacrificia, &c. Intelligendi sint de veritate quoad debitam administrationem, non item quoad valorem. Vide dicenda de ministro Sacramentorum.

Hæretici possunt intendere facere quod facit Ecclesia.

Objicies tamen hîc obiter: Requiritur ad valorem Sacramenti in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia, quam intentionem habere non potest, qui non credit in Ecclesiam, qualis est Hæreticus. Resp. Intentio Ecclesiæ est eadem cum intentione Christi in conficiendo Sacramentum: Etsi ergo Hæreticus non credat in Ecclesiam, cùm tamen velit facere quod

Christus

Christus instituit, virtualiter vult facere, quod facit Ecclesia. Quin imò, etsi Hæreticus ille putet nihil operari Sacramentum, nihil obest hoc hæretici judicium: nam ut ait D. Th. 3. p. q. 64. a. 9. *Non obstante infidelitate potest intendere facere, quod facit Ecclesia, licèt æstimet, id nihil esse*: plura de hac re videri possunt de ministri intentione, uti etiam quænam Sacramenta ab ipsis liceat suscipere, de qua re agendum est de quolibet respectivè Sacramento.

APPENDIX.

An Episcopi omnes, & maximè Episcopi Belgii possint absolvere ab Hæresi.

Dicendum primò, omnibus omninò Episcopis data fuit facultas à Concilio Trid. Sef. 24. reform. c. 6. absolvendi ab hæresi occultâ, sive quæ necdum deducta esset ad forum contentiosum, quam tamen facultatem expresè denegat & excipit Episcoporum Vicariis. Hanc tamen facultatem Concilii Trid. revocavit Bulla cœnæ, quæ ita habet: *A prædictis sententiis* (egerat etiam de Hæresi) *Nullus per alium, quam per Rom. Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit, etiam prætextu quarumcumque facultatum & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis, sæcularibus, &c.* Ubi absolutè revocatur facultas illa data Episcopis à Concilio Trid. dum dicitur, *Etiam prætextu quarumcumque facultatum & indultorum, quibuscumque personis, &c.*

Hoc tamen non obstante, docuerunt plurimi, etiamnum Episcopos gaudere facultate illâ absolvendi ab Hæresi occultâ, eo quòd lex generalis posterior, ut est dicta Bulla Cœnæ, debeat limitari per priorem particularem, si expressis terminis non contradicat, uti habetur L. *Sed & posteriores* ff. *de legibus*. Hinc lex Bullæ Generalis posterior, ita juxta illos limitari poterit,

terit, ut solummodò revocet facultatem absolvendi ab Hæresi, quando ea est manifesta: & consequenter non obstante Bullâ Cœnæ possunt adhuc Episcopi absolvere ab Hæresi occultâ in vim dicti Privilegii à Concilio Trid. concessi. Ita illi.

Verùm sententia illa est improbanda, dum hanc sententiam condemnavit Alexander VII. anno 1665. 24. Sept. & est num. 3. *Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem Hæresis & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in quâ de occultis criminibm Sermo est, anno* 1629. 18. *Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium, visa ac tolerata est.* Unde sequitur prædictam confirmationem non esse admittendam.

Dicendum 2. Dictâ facultate Concilii Trid. non solùm gaudebant Episcopi Belgii, sed & insuper aliâ speciali datâ à Gregorio XIII. ad instantiam Philippi II. Regis Catholici, concedente dictis Episcopis facultatem absolvendi etiam ab Hæresi manifestâ, etiam post relapsum, & ab omnibus Casibus Papæ reservatis, etiam in Bullâ Cœnæ: Insuper, quòd possint eam facultatem delegare cuicumque Sacerdoti idoneo, uti videre est in Bullâ datâ anno 1576. 25. Feb. & incipit: *Nuper sub die* 30. *Aprilis, &c.* Data autem erat sub hâc clausulâ, *donec ac quousque Germania inferior in pristinâ Regis Philippi obedientiâ plenariè restituta esset.*

Hinc aliqui sustinuerunt, Episcopos Belgii etiamnum gaudere dicto Privilegio, cùm Germania inferior necdum plenariè sit sub pristinâ Regis Catholici obedientiâ. Etsi enim Rex Catholicus cesserit juri suo, quod habere poterat ad partes Hæreticas, nondum tamen partes illæ sub obedientia Regis nostri sunt redactæ, ad sensum Pontificis, qui dictum privilegium concessit ob frequentiam Hæreticorum, qui passim occurrebant in partibus Belgii adhuc Regi subjectis: Unde erat quotidiana necessitas ab Hæresi absolvendi, qualis necessitas

ſitas etiamnum durat, imò eo eſt frequentior, quo modò eſt major & liberior communicato Hæreticorum cum Catholicis, quâ fit, ut Hæretici videntes Fidei noſtræ Sanctitatem ac veritatem, ad fidem noſtram ſæpè convertantur. Ita aliqui.

Verùm pariformiter, per bullam cœnæ indultum illud eſſe revocatum, conſtat ex verbis bullæ ſupra citatis, imò majori jure, quam indultum Concilii omnibus omninò Epiſcopis conceſſis. Unde in vim dicti indulti Epiſcopi Belgii non poſſunt ampliùs abſolvere ab Hæreſi manifeſtâ, neque ab occultâ. Quia tamen in his partibus eſt frequens neceſſitas ab eadem abſolvendi, hinc in litteris confirmatoriis ſæpè ſolent dicti Epiſcopi dictam facultatem à S. Sede accipere, aut etiam ſpecialiter obtinere. Imò hoc aliqui plauſibiliter hîc addunt, quòd ſæpè hîc uti poſſint Epiſcopi Belgii præſumptâ Pontificis facultate, dum ſæpè hîc adeſt gravis neceſſitas eâ utendi & quaſi moralis impoſſibilitas Pontificem adeundi, ratione paupertatis, infirmitatis, &c.

CAPUT QUINTUM

SECTIO PRIMA.

De Spe.

Dicendum primò, *Spes* variè ſumitur in S. Eloquio. 1. pro objecto Spei, uti dicitur ad Rom. 8. *Spes, quæ videtur, non eſt ſpes.* 2 pro eo, à quo, vel per quem aliquid ſperamus: Sic Pſalm. 13. dicitur: *Dominus eſt ſpes ejus*, item D. Virgo dicitur *Spes noſtra.* 3. ſumitur contrariè, adeò ut idem ſit, quòd *timere*: Sic Judith. 13. dicitur: *Sperabant eam jam non eſſe venturam.* *Diverſa acceptatio vocis ſpes*

Propriè tamen eſt virtus divinitus infuſa, quâ certâ *Quid ſit Spes.*
cum

cum fiduciâ æterna bona exſpectamus Dei auxilio conſequenda. Quòd ſit virtus, patet clarè ex Apoſtolo, dum ad Heb. 10. ad eamdem nos hortatur dicens: *Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Quin imò, quòd dicere audeat ad Rom. 8. *Spe ſalvi facti ſumus.* Denique virtuoſum eſt, & de ſe laudabile, expectare bonum illud, ad quod creati ſumus, idque ut alteriùs auxilio obtinendum, cùm ad illud aſſequendum, vires noſtræ ſe ſolis non ſufficiant.

Eſt virtus Theologica. Adde, ſpem eſſe virtutem Theologicam; prout eam cæteris Theologicis annumerat Apoſtolus. Deinde, cùm ſpes tendat immediatè in Deum, ut objectum formale & materiale (uti probabitur) ſequitur quòd ſpes ſit virtus Theologica. Hinc Apoſt. ad Heb. 6. docet ſpem incedere uſque ad interiora velaminis.

Spes nequit eſſe ſine amore *Amor ille eſt amor amicitiæ.* Dicendum 2. Spes Theologica ſine amore eſſe nequit, imò amor ille, ex quo ſpes naſcitur, eſt amor amicitiæ. Prius probatur ex eo, quòd generaliter nullâ vera virtus, ſine charitate ſaltem imperfectâ eſſe queat, uti probabitur de charitate. Deinde ſecluſo omni amoris actu, nihil in actu ſpei reperiri poteſt, quod non poſſit ſolis viribus naturæ attribui. Nam ut ait S. *Nihil ita natura quærit quàm beatitudinem* Aug. Ench. c. 8. etiam damnati beatitudinem appetunt, imò nihil ita naturæ noſtræ proprium, quàm ſibi ipſi ſummum bonum concupiſcere. Hinc naturam ſpei deſcribens Conc. Trid. Seſ. 6. c. 11. docet, nos rectè agere ob mercedem æternam, ſed ſollicitè addit: *Ut inprimis glorificetur Deus.* Denique S. Aug. c. 8. Ench. apertè docet, ſpem ſine amore eſſe non poſſe. Probatur poſterius, quia ſpes ut recta ſit, exſpectat quidem Deum nobis, ſed ultimatè, ut Deus *Primario quærendus eſt Deus, Deinde merces.* ipſe in æternum glorificetur. Primariò ergo Deum propter ſe diligimus, etſi ſecundariò ab eo mercedem exſpectemus æternam. Si enim Deum diligas tibi ultimatè, Deum ad te ultimatè referendo, perverſa & inordinata erit illa dilectio, dum quod altero eſt ſuperius ordine & dignitate, ad aliud inferius refertur:

Omne

Omne enim, quod ad aliud referendum est, inferius est quam id, ad quod referendum est, ait S. Aug. l. 83. qq. q. 30. Hinc rectè notat Lensæus l. 7. de Charitate c. 19. amori mercedis necessariò advenire debere amorem Dei propter se, quo principaliter afficimur erga Deum, & nos amamus ex Deo, & in Deo. Aliàs erit quædam Simoniæ species, diligere Deum ultimatè propter nos, ut notat Joan. Gerson. Sicut enim Simonia res spirituales temporalibus adæquat, & ad temporales res ut finem ordinantur: ita quoque evenit, si æterna merces ad nos ultimatè ordinetur. Principaliter ergo diligendus est Deus propter se, secundariò autem merces æterna ab eo est expectanda, sic tamen, ut eâdem obtentâ Deus in æternum glorificetur à nobis.

Amori mercedis debet adjungi amor Dei. Bona creata quatenus sunt objectum spei.

Dicendum 3. Spes debet esse certa: Hinc ad Heb. 6. dicitur *Firma anchora.* Eâdem ratione docet Conc. Trid. Sess. 6. c. 13. ut *Nemo de perseverantiæ munere sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: Tametsi in Dei auxilio firmissimam Spem collocare & reponere omnes debeant.* Ubi Concilium primò perstringit eos, qui volunt spem ita esse certam, ut quilibet sibi certò persuadere possit, se esse Filium Dei, hæredem Regni, sibi remissa esse peccata, &c. Quam confidentiam ac persuasionem *Inanem fiduciam*, appellat Concil. Trid. aliud enim nos docet Scriptura, dum Eccli. 9. dicit nemini notum an odio an amore dignus sit, dum commendat, ut cum timore ac tremore salutem nostram operemur.

Quomodò spes debeat esse certa.

Spes hæreticorum.

Alia proinde est certitudo spei, quæ in eo sita est, quòd bonum, quod speratur, certò subsit; quòd modo ac mediis infallibilibus in illud tendat, ac firmissimè objecto suo adhæreat, certa est certitudine Dei promittentis, qui potens sit, depositum speratum servare, in illum diem justus Judex. Certissimè enim substat bonum speratum, in quo differt à spe mundana quæ hac ratione incerta est, & *Tamquam lanugo, quæ à vento tollitur, & tamquam spuma gracilis,*

In quo sita sit spei certitudo.

Spes humana. *quæ à procella dispergitur*, Sap. 5. quo pacto à Philosopho spes illa dicitur, *Vigilantium somnus*, quod varia, ut certa sibi persuadeant eventura, quæ tamen revera non subsunt. Deinde fidelis est Deus in omnibus viis suis; denique mediis infallibilibus ad finem spei consequendum utitur Spes Theologica, adeòque firmissima est ac certissima spes nostra.

Certitudo spei in uno est major quā in alio. Porrò, certitudo illa in uno est major, quam in alio. Prout enim quis minùs obnoxius est, peccatorum occasionibus, & quò magis bonis operibus incumbit, eò spes ejus est magis certa, qua ratione Apostolus Petrus 2. c. 1. admonet, ut per bona opera certam nostram fiduciam faciamus.

SECTIO II.

De objecto formali & materiali Spei.

Objectum materiale spei. DICENDUM primò, Objectum materiale spei, est beatitudo æterna, sive eam velis esse formalem sive consecutionem summi boni, sive objectivam idest ipsum summum bonum. Idem enim est, sive quis dicatur sperare summum bonum, sive consecutionem ejusdem, cùm summum bonum non habeat rationem objecti spei, nisi prout à nobis per Dei auxilium est possidendum. Unde idem est, sive dicatur avarus sperare pecunias, sive pecuniæ possessionem.

Bona creata quatenus sunt objectum spei. Dicendum 2. bona creata etiam sunt objecta materialia spei, prout ad beatitudinem conducunt, aut ex ea consequuntur. Hoc tamen notandum, bona creata supernaturalia majori jure esse objectum tale, quam bona naturalia, cùm majorem cum objecto spei primario, idest salute æterna, habeant connexionem & viciniorem conjunctionem.

Deus est primariū spei objectum. Ex quo sequitur, quòd Deus ipse sit primarium spei objectum materiale, cùm sit summum bonum, cujus

cujus Possessione sumus beandi. Hinc ait ipse Abrahæ Genes. 15. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Et S. Aug. l. 22. de civitate c. ult. *Præmium virtutis*, ait, *erit ipse, qui virtutem dedit, & qui se ipsum, quo melius aut majus nil esse potest, promisit.*

Objectum formale spei. Dicendum 3. Objectum formale spei, est bonitas & omnipotentia divina; quâ vult nobis conferre beatitudinem. Sicut enim objectum formale fidei est veritas divina revelans, quæ partim sita est in summa sapientia, quâ falli nequit, partim in summa bonitate, quâ fallere non potest: Ita formale objectum spei est bonitas divina, unà cum omnipotentia ejus, cùm utraque sit ratio sperandi beatitudinem. Si enim Deus esset quidem bonus, non tamen posset dare beatitudinem, aut si quidem posset, non tamen haberet bonitatem quâ beatitudinem dare vellet, vacillaret spes nostra. Utrumque ergo tam Dei omnipotentia, quam Dei bonitas est ratio movens ad sperandum, adeòque objectum formale spei.

Sequitur ex dictis prædictorum confirmatio, scilicèt spem esse virtutem Theologicam, cùm pro objecto formali & materiali immediato habeat ipsum Deum.

SECTIO III.

Cui & in quo liceat Sperare.

Quatenus quis alteri possit sperare. Dicendum primò, potest quis alteri sperare beatitudinem. Probatur, quia quatenus quis alteri unitur per amorem, ut sit quasi *alter ego*, potest alteri velle beatitudinem, non quatenus est alterius bonum præcisè, sed quatenus beatitudinem alteriùs reputat bonum proprium. Pro quo notandum est, quòd spei objectum semper dicat ordinem ad sperantem, etsi quoque sit alterius bonum: Quo sensu verum est, quod dicit S. Aug. Ench. c. 8. ubi ait: *Spes non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad*

eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur.

Quomodò sit sperandum in sanctis. Dicendum 2. Licitum erit sperare in Sanctis & aliis hominibus, quo sensu dicitur Deipara *spes nostra*. Hoc tamen notandum est, in nullâ creaturâ quantumvis Sanctâ Licitum esse sperare ut in causâ principali salutis nostræ, aut principali meritoria. Aliàs qui taliter spem ponit in homine, maledicitur à Scriptura Sacra 2. Paralip. 16. Psalmo 43. & 146. Solus enim Deus, est causa principalis nostræ beatitudinis, cæteri tantùm causa ejusdem instrumentalis, unde in Sanctorum merita sperare licèt, sed quæ totam suam impetrandi vim recipiunt à meritis Christi. Vide quæ in simili dixi de adoratione & invocatione SS. Hinc etiam

Spes in principes hujus sæculi. Chrysost. Homilia 16. in Genesim, in illud, *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus*, to *bonum* non intelligit comparativè, sed adversativè, adeò ut in principibus sperare non sit bonum, sperare inquam in illis, ut in causa principali nostræ beatitudinis.

Spes rectè respicit merita. Rectè tamen speramus in merita nostra, quibus vocationem nostram certam facimus, cùm in illud sperare liceat, quibus Deus mercedem suam repromisit, ut sunt merita nostra, quamvis, quòd illa eadem habeamus, ex Divina proveniat benignitate & misericordia. Hinc dicitur, spem nostram crescere ex meritis, etsi tamen semper cum timore & tremore salutem nostram operari debeamus.

SECTIO IV.

De subjecto Spei.

Spes est in beatis. DICENDUM primò, in beatis esse spem: sperant enim gloriam corporis, quâ Deus modo perfectiori, ideſt, tam quoad corpus, quam quoad animam possidetur.

In Christo. Dicendum 2, Christus speravit hìc corporis sui beatitudi-

titudinem, cùm illa haberet omnes conditiones ad objectum ſpei requiſitas, erat enim bonum abſens & arduum; cùm oporteret Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, & adipiſci exaltationem ſui nominis. Actus autem ille erat actus virtutis Theologicæ, cum beatitudinem corporis deſiderabat tamquam medium Deo perfectiùs fruendi, & conſequenter implicitè tendebat in Deum.

Dicendum 3. Animæ Patrum in limbo & animæ in purgatorio habuerunt ſpem Theologicam. De patribus in limbo dicitur Sap. 3. *Spes tamen illorum immortalitate plena eſt.* Animæ quoque in Purgatorio, expectant beatitudinem, quæ ipſis abſens eſt & ardua ad acquirendum, puta per tormentum ignis. Unde falſum eſt, quod docent Hæretici noſtri, quòd ſcilicèt de ſua ſalute deſperent, quod dogma diſponit ad negandum Purgatorium, prout poſtmodum Luther aggreſſus eſt. *In animabus Purgatorii.*

Dicendum 4. Neque damnati, neque Hæretici habent ſpem Theologicam. Damnati enim ſciunt ſalutem ſuam ſibi eſſe impoſſibilem, quam ſi quando deſiderant ex innato naturæ inſtinctu, quo quilibet appetit beatitudinem, tamen deſiderium illud eſt inefficax. Quòd ſi aliqui damnati ad vitam legantur reſuſcitati, non ideò tamen in inferno data eſt redemptio, ſed ſolùm pro tempore pœna ſuſpenſa, poſtea pœnis inferni plectendi. *Non in damnatis, neque in Hæreticis.*

Hæretici verò non habent ſpem, cùm ſpei fundamento ſcilicèt Fide, ſint deſtituti. Licèt enim ſperent idem quod Catholici, puta beatitudinem, tamen deeſt certitudo ad ſperandum requiſita, cùm nec ſperent modo infallibili, ideſt, non ſperent ſalutem per bona opera, per veram Fidem, &c. Prout ſperanda eſt. *Spes poteſt eſſe in peccatoribus.*

Dicendum ultimò, Spes Theologica poteſt eſſe in peccatoribus, ſpes enim ſæpè illis infunditur ante charitatem, nec quovis peccato mortali ſpes amittitur, ſed ſolâ deſperatione & infidelitate, quâ corruit Fides, quæ eſt ſpei fundamentum.

SECTIO V.

De Præcepto Spei.

Præceptũ spei per se obligat.

DICENDUM primò, agnoſcendum eſt verum ſpei præceptum, per ſe & directè obligans. Hinc Sacra Scriptura 1. Timoth. 6. jubet præcipi divitibus hujus ſæculi ſperare in uno Deo. Deindè Paralip. 10. dicitur fuiſſe maximum Saülis peccatum, quòd non ſperavit in Domino. Item Sapientiæ 2. Objicitur impiis, quòd non ſperarint mercedem juſtitiæ: Unde contraria Doctrina damnata eſt ab Alexandro VII. in hâc: *Homo nunquam in vita tenetur elicere actum fidei, ſpei & Charitatis.* Denique attentâ fragilitate naturæ noſtræ, moraliter fieri nequit, ut ſine ſpe æternæ retributionis, ſuperemus difficultates in exercitio virtutum occurrentes.

Idque adepto rationis uſu. *Quando quis convertitur ad fidem.* *Dum tentatur deſperatione.* *Dum debet ſuſcipi ſacramentum Baptiſmi aut pœnitentiæ* *Dum quis orat.* *In articulo mortis.*

Dicendum 2. Obligat præceptum ſpei, primò poſt adeptum uſum rationis, quando Deus ut eſt finis noſter ultimus, ſufficienter eſt propoſitus. Quod tempus morali judicio eſt determinandum. Secundò obligat, quando quis ad fidem convertitur, cùm tunc in hunc finem tota vita converſi ſit dirigenda. Tertiò obligat, quando urget gravis tentatio circa ſpei virtutem, v. g. deſperationis: Tenemur enim periculum peccati avertere mediis opportunis, aliàs *Qui amat periculum, peribit in illo.* Quartò obligat, dum quis ſuſcipere debet Sacramentum Baptiſmi aut Pœnitentiæ, cùm juxta Trid. Seſ. 6. c. 6. ante juſtificationem requiratur motus ſpei. Quintò obligat, dum tenemur orare, aliàs abſonum illud orare, quod non ſperatur. Sextò in articulo mortis, quando inſtat terminus ſpei. Unde ad actum hunc obligantur Confeſſarii Moribundis aſſiſtentes eoſdem admonere, uti & ad actum aliarum virtutum Theologicarum.

SECTIO

SECTIO VI.

De dono Timoris.

DICENDUM primò, timor gehennæ est actus virtutis spei, cùm sit ejusdem virtutis prosequi finem & odisse oppositum: Gehenna autem est beatitudini opposita. Unde patet actum] timoris non esse malum, non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, prout voluit Luther. Pro cujus intelligentia notanda est divisio timoris in filialem, initialem, servilem & mundanum. *Timor est virtus.*

Filialis est timor mali ut est offensa Dei, quia Deo displicet: Oritur enim ex affectu Dei, qui Filiis ejus est proprius, qui non acceperunt spiritum servitutis in timore, de quo etiam dicit S. Aug. conc. 25. in Psalm. 118. *Timore casto peccare timet charitas, etiamsi sequatur impunitas.* *Timor filialis.*

Timor *initialis* est timor mali, partim quia dilecto displicet, partim quia pœnosum est timenti. Habet ergo timor ille quasi duos oculos, quorum uno culpam, alio pœnam respicit, quæ malum adfert, quod timetur. Porrò, prout adjunctam habet formidinem pœnæ, imperfectus est, adeòque distinguitur à timore casto seu filiali, ut charitas imperfecta à charitate perfecta. *Timor initialis.*

Timor *Servilis* est timor mali, præcisè quia nobis est incommodum: Spiritus enim timoris, servis est proprius, qui à peccando abstinent formidine pœnæ. Timor ille secundùm suam substantiam bonus est, etsi secundùm suam servilitatem habeat quòd sit malus, ut ait D. Thom. rectè enim aversamur ea, quæ sunt naturæ nostræ contraria, prout facit timor servilis secundùm suam substantiam. Servilitas tamen ejus mala est & timentem voluntatem inficit, quæ malum pœnæ, præcisè quia sibi pœnale est, aversa- *Timor servilis.* *Secundum substantiã bonus, secundum servilitatem habet quod sit malus.*

Servilitas in quo sita sit. tur, nec quidquam de offensa Dei considerat, soli suæ cuti intenta, nec actum illum timoris ullatenus ad debitum finem dirigit. Hoc autem malum esse, & inordinatum sibi ipsi inhærere ut ultimo fini, jam alibi ostendimus.

Vtilis est timor ille. Varias tamen timor ille habet utilitates; primò, quòd per timorem illum peccandi Consuetudo reprimatur; secundò quòd aptum reddat hominem ad ductum Spiritûs Sancti promptius recipiendum: Tertiò, quòd juxta Conc. Trid. homo per timorem disponatur ad considerandam Dei misericordiam; Quartò quod locum charitati præparet, unde S. Aug. timorem comparat setæ, quâ filum charitatis introducitur.

An servilis timor sit donum Spiritus Sancti. Dicendum 2. timor servilis non est donum spiritûs Sancti sed solùm filialis & initialis. Timor enim servilis ex parte servilitatis habet, quòd sit malus. Sicuti enim fortitudo gentilium non est donum Spiritus Sancti, eo quòd illam cupiditas faciat: Ita nec timor servilis, qui ex eodem fonte procedit. Hinc de eo ita scribit S. Bonaventura de 7. donis Spiritûs Sancti c. 1. de dono timoris: *Timor dicitur servilis, quo quis magis timet pœnam, quam culpam: Qui secundùm essentiam dicitur esse à Deo, non tamen sub ratione qua servilis est, quia principaliùs timet pœnam, quam culpam: Nec mutat voluntatem in bonum* (N. B.) *licèt criminis impediat executionem.* Prædicta confirmat S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 9. ubi ita ait: *Ut aliquid sit bene mobile ab aliquo movente, primò requiritur, ut sit ei subjectum, non repugnans: Quia ex repugnantia mobilis ad movens, impeditur motus. Hoc autem facit timor filialis sive castus, in quantum per ipsum, Deum reveremur, & refugimus nos illi subducere.* Cui addi potest quòd timor initialis, in quantum considerando malum ut est offensa Dei, refugit illi se subducere & Deum reveretur.

Timor mundanus. *Timor mundanus* est timor, quo ita timemus malum temporale, ut propter illud declinandum parati simus Deum offendere. Timor ille absolutè est malus,

malus, cùm sit implicita volitio peccati, quod necessarium putatur ad cavendum temporale incommodum quod timetur, prout efficax volitio finis, est implicita volitio medii. Timor ergo mundanus est summè imprudens, qui ut corpus servet, corpus & animam perdit in gehennam. *Est malus, & quare.*

Dicendum 3. Datur timor permanens in patria, de quo ait Psalm. 18. *Timor Domini permanens in sæculum sæculi.* Beati enim præ summo amore, quo feruntur in Deum, aversantur peccatum, ut est offensa Dei & summæ bonitati contrarium. Alius quoque in beatis est timor, quem vocant *Reverentialem*, de quo dicitur Job. 6. Quod *Columnæ cæli contremiscunt & pavent ad nutum ejus.* Ad quod S. Greg. *tremor*, ait, *ille ne iis pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis.* Beati enim ex consideratione summæ Majestatis & propriæ vilitatis, reverentiali timore afficiuntur, sic tamen, ut timor ille non causet quamdam anxietatem, ab illorum statu planè alienam, sed qui naturaliter ex tali consideratione nascitur. Hinc de illo timore ait S. Aug, l. 14. de civit. c. 9. *Si maneat in beatis timor, non est ille exterrens à malo, quod accidere potest, sed tenens in bono, quod amitti non potest.* Quare ab aliis dicitur *Timor securus.* *Timor æternus.* *Timor reverentialis.*

SECTIO VII.

De desperatione.

DICENDUM primò, quòd, sicuti spes consistit in efficaci volitione beatitudinis: ita desperatio consistat in quadam efficaci nolitione ejusdem quâ quis non vult prosequi beatitudinem. Ad hoc autem non requiritur, ut bonum illud, quod prosequi renuit, judicet impossibile, aut se illud non consecuturum, sufficit enim, quòd judicet illud esse valde difficile obtentu. voluptatibus, quas perditè amat, *In qua sita sit desperatio.*

esse

esse contrarium; ratione cujus à prosecutione talis boni vult imposterum abstinere. Hinc quando dicitur, quòd desperatio supponat judicium, quo bonum aliquod, circa quod versatur desperatio, judicatur impossibile, intelligi potest de moraliter impossibili, seu valde difficili.

Potest esse sine infidelitate. Dicendum 2. Potest desperatio esse sine infidelitate, etsi infidelitati sit semper proxima. Probatur prius, quia stante judicio, quo judico in Ecclesia esse remissionem peccatorum, & me absolutè posse consequi beatitudinem: tamen illam prosequi absolutè possum nolle, eo quòd judicem beatitudinem esse valde difficilem ad adipiscendum, ob perversam erga mundi delicias affectionem.

Est tamen desperans infidelitati proximus. Probatur posterius, quia desperans facilè sibi format judicium Hæreticum, puta quòd major sit iniquitas ejus, quam ut veniam mereatur, quòd salus alicui sit impossibilis, &c. Et hoc sensu verum est illud Chrysostomi Homil. de Fide, Spe & Charitate: *Fides & Spes sibi mutuâ vice ita connexæ sunt, ut altera sine altera stare non possit.*

Motiva desperandi. Dicendum 3. Varia sunt motiva & peccata, ex quibus oritur desperatio. Desperamus enim, quia judicamus prosecutionem boni sperati esse inutilem: Quia voluptates mundi deserere renuimus & quia prosecutionem boni sperati judicamus moraliter impossibilem. Potest desperatio oriri ex variis peccatis, prout variis quis est addictus, ratione quorum quis renuit prosequi beatitudinem: Sæpè tamen oritur ex infidelitate, qua quis credit peccata sua esse graviora, quam ut misericordiam Dei mereantur: sæpè etiam nascitur ex acedia, quando hominem tædet difficultates in prosecutione boni sperati occurrentes perfringere & superare.

Est de se peccatum mortale. Dicendum 4. Desperatio est de se peccatum mortale cæteris gravius, neque in ea dari potest parvitas materiæ. Probatur prius, quia grave crimen est, nolle beatitudinem prosequi. Deinde repugnat apertè spei

spei Theologicæ, quo casu magis à Deo avertit, quam cætera vitia, virtutibus moralibus opposita; levior tamen est desperatio odio & infidelitate, eo quòd hæc directè contrarietur veracitati divinæ, & faciat Deum mendacem: Illud autem contrariatur directè divinæ bonitati, adeoque maximam Deo infert injuriam; Desperatio verò non directè avertit à Deo nec à beatitudine secundùm se, (cùm quilibet eam velit) sed solùm à prosecutione ejusdem. Maximis tamen vitiis portam aperit desperatio, juxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* Sic Cain desperans, profugus fuit super terram; Judas desperans laqueo se suspendit; idem videre est in aliis.

SECTIO VIII.

De Præsumptione.

Dicendum primò, *præsumptio* est spes obtinendi à Deo beatitudinem & bona supernaturalia, aliis mediis, quam Deus illa obtinenda constituit. Cùm enim spes sit desiderium efficax consequendi beatitudinem & alia bona ad illam conducentia, idque per auxilium divinum: præsumptio illi opposita, est volitio illa conquirendi, sed per media indebita, seu inordinata. *Quid præsumptio.*

Præsumptio igitur dicta, est grande crimen: Hinc dicit Deus Eccli 18. *Vidi præsumptionem cordis eorum, quia mala est.* Ratio ejus est, quòd velle bona supernaturalia aliis mediis, quam Deus statuit, sit divinæ providentiæ ac sapientiæ contraire: Unde nisi indeliberatio excuset, à mortali vix excusatur. *Est peccatum grave.*

Dicendum 2. Varia potest esse præsumptio: Vel enim solis naturæ viribus gloriam adipisci quis sperat, & est præsumptio Pelagiana: Vel solâ Dei justitiâ, nulla- *Quotuplex sit præsumptio.*

nullatenus ex parte nostrâ merendo; & est Lutherana: vel nimium de divinâ misericordiâ præsumendo, pœnitentiam ad ultimum vitæ differendo, quæ implicita est desperatio, cùm implicitè non velit adhibere media ad salutem consequendam necessaria, puta pœnitentiam, abstinentiam à peccatis, &c. Nec ille postmodum veniam meretur, cùm justum non sit, ut talis misericordiam inveniat, qui ex illa occasionem sumpsit gravissimè peccandi, & divinam misericordiam irritandi.

Quanam præsumptio destruat spē. Dicendum 3. præsumptio Pelagiana & Lutherana destruunt spem. Cùm enim illâ præsumptione amittatur Fides, corruit & spes, quæ supra fidem est fundata. Non tamen omni præsumptione perit spes cùm possit quis aliis mediis tendere in beatitudinem quam Deus constituit, sic ut de cætero nullo fidei, errore formali laboret, puta nimium de misericordia divina præsumendo, de quo in alia conclusione actum est. Ut autem Sciatur an præsumptio hæresim annexam habeat nec ne, videndum est an falsitas ex qua præsumptio nascitur, sit contra articulum fidei aut Ecclesiæ propositionem nec ne, ad cujus considerationem de hoc casu est dijudicandum.

Præsumptuosi alii. Dicendum ultimò, præsumtionis reus est, qui putat gentiliter vivendo, & interim Deiparam aut alios Sanctos colendo, se esse ex prædestinatorum numero. Deinde præsumptioni favent, qui voluntati partes tantas gratiæ efficacis adscribunt, quasi voluntas sit, quæ per consensum ad bonum opus se determinet. Ratio est, quòd salus æterna juxta divinum statutum, non sit obtinenda vitâ gentili, sed verâ fide operibus conjunctâ: Nec bona opera per voluntatis consensum principaliter, sed à gratia sint principaliter expectanda.

CA-



CAPUT SEXTUM

De Charitate.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Charitas.

DICENDUM primò *Charitas* variè à SS. PP. & scriptura Sacra describitur. Ab Apostolo vocatur ad Rom. 13. *Plenitudo legis*, vel quia tota lex ad dilectionem ducit: Vel quia dilectio perfectam mandatorum observantiam causat, vel denique quia lex amore justitiæ impletur, non timore pœnæ. Alibi rursum eam vocat *Vinculum perfectionis*, eo quòd omnis virtutum consummata perfectio, à Charitate necessariò dependeat, quod clarius innuit 1. cor 13. ubi docet nullam virtutem prodesse sine Charitate. *Charitatis laus & virtus.*

Quin, quòd Scriptura Sacra charitatem vocet ipsum *Deum*, dicens, Joan. 4. *Deus Charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ex quo forsan Magistri sententiarum error, quo statuebat charitatem esse Spiritum Sanctum, de quo alibi de justificatione actum est. Dicitur ergo Deus *Charitas*, increata scilicèt, uti dicitur *justitia, bonitas*, &c. Quâ ratione S. Bern. Epist. 11. distinguit charitatem in *substantialem*, quæ sit ipse Deus: & *accidentalem*, quæ sit Dei donum, quod in cordibus nostris infunditur per Spiritum Sanctum. *Dicitur rectè*, ait, S. Doctor, *charitas & Deus, & Dei donum: Itaque charitas dat charitatem: Substantialis accidentalem: ubi dantem significat, nomen est substantiæ, ubi donum, qualitatis.* *Charitas est Deus.* *Charitas accidentalis & substantialis.*

Uberiùs S. August. Epist. 29. charitatem dicit omnem omninò virtutem, dum ait: *Virtus est charitas,*

qua id quod diligendum est, diligitur. Et Epist. 25. *in hac vita virtus non est, nisi diligere, quod diligendum est.*

Definitio Charitatis Propriè tamen Theologis, *Charitas est virtus divinitus infusa, quâ Deus propter se diligitur, proximus autem propter Deum.*

Actualis & habitualis. Dicendum 2. Variè dividi charitatem ac primò in actualem & habitualem. Divisionem illam innuit aliquoties S. August. nunc charitatem *virtutem* vocans, ut mox ostensum est: Virtus autem de se habitum importat: Nunc rursum eamdem *cupiditatem boni* dicens, ut l. 2. ad Bonif. c. 9. nunc iterum *motum animi ad fruendum Deo*, ut l. 2. Doctrinæ Christ. quæ propriè & de se actum designant & important.

Perfecta & imperfecta. 2. Dividitur Charitas in perfectam & imperfectam. *Perfecta* unit perfectè cum Deo, Filium Dei constituit & hæredem Regni. De hac agit Apost. ad Rom. 5. & Concilium Trid. Sess. 6. c. 7. docens in ipsa justificatione cum remissione peccatorum, *Charitatem* cum fide & spe infundi. *Imperfecta*, est omnis omninò bona voluntas, etsi ad eam perfectionem non pertingat, ut Filios Dei constituat & hæredes Regni, & ut remissionem peccatorum infallibiliter conferat. Hæc est illa charitas, quæ in Catechumenis ante Baptisma, & in sese ad justitiam disponentibus reperitur juxta Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 6., docens de iisdem, *Quòd Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant* & *Quam dispositionem justificatio ipsa consequitur* ut ait initio capitis sequentis. Dictam distinctionem quoque innuit censura lata à Pio V. in hanc sequentem propositionem num. 61. *Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur: Alterius, quâ vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens.* Contra quem articulum scribens, facultas Theol. Lovan. c. 11. ita subdit. *In pœnitente ante suam justificationem esse aliquem amorem justitiæ.* Talem

lem imperfectum amorem admittendum esse, probatur quoque ex eo, quòd in peccatoribus sit vera spes & vera fides, quæ sine omni Charitate esse non possunt, uti probavi in antedictis. Idem innuit S. August. dum ait, quòd *Inchoata Charitas*, sit *Inchoata justitia*, & *Perfecta Charitas* sit *Perfecta justitia*, &c. Notat tamen Lensæus l. 7. de Charitate c. 3. Charitatem imperfectam rectiùs vocari *Amorem* aut *Dilectionem* quam *Charitatem*.

3. Dividitur Charitas in naturalem & supernaturalem de quibus egimus de gratia.

4. Dividitur charitas in charitatem efficacem sive prædominantem & inefficacem, prout cupiditatem contrariam efficaciter excludit, eique prædominatur, vel eamdem non excludit. *Charitas prædominans & non prædominans.*

Dicendum 3. Charitas hæc est virtus omnium excellentissima. Quòd sit virtus clarum est, cùm per charitatem rectè vivatur, juxta illud S. August. de moribus Eccles. c. 25. *Bene vivere est diligere illud, quod diligendum est*: Deinde nullus charitate malè utitur, cùm charitas non agat perperam; unde S. Aug. l. 15. de civit. c. 22. *creator*, ait, *si veraciter ametur, hoc est, si ipse non aliud pro ipso, quod non est ipse, ametur, malè amari non potest.* *Charitas est virtus excellentissima.*

Quòd verò sit virtus omnium excellentissima, patet 1. ex eo quòd juxta Apostolum, *major horum* (id-est virtutum Theologicarum) *sit charitas*. Ex quo sequitur, quòd etiam sit excellentior virtutibus moralibus, quibus præstant aliæ virtutes Theologicæ.

SECTIO II.

De objecto Charitatis.

DICENDUM primò, objectum materiale primarium, in quod tendit. Charitas, est ipse Deus. Confirmat hoc Scriptura Sacra ad Rom. 5. ubi dicitur, *Deus est objectum charitatis primariũ.*

citur, quòd *Charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris.* Ubi *Charitas Dei* dicitur, non tantùm quòd à Deo sit, sed etiam quia in Deum tendit. Ratio est, quòd voluntas præcipuè tendat in Deum, ratione suæ bonitatis infinitæ.

Cætera propter Deum. Nec solùm Deus est objectum materiale charitatis, sed etiam omne illud, quod propter Deum est amabile, quale est omnis creatura, cui quis potest velle existentiam, ut in ea reluceat divina sapientia.

Objectum formale Charitatis Dicendum 2. objectum formale charitatis est bonitas infinita, propter quam aliquid aliud diligimus. Per bonitatem intellige quamlibet perfectionem Dei, cùm omnis Dei perfectio reddat Deum propter se amabilem. Unde S. August. Charitatem describens eam dicit *Amorem justitiæ divinæ, immutabilis sapientiæ, inflexibilis legis*, &c.

Unde sequitur, quòd charitas sit virtus, quâ volumus Deo bonum propter Deum, idest, quia ipse Deus in se bonus est, vel quia justus est & Clemens, &c. In quibus bonitas divina relucet. Hinc patet, quomodò à spe differat Charitas, quæ Deum vult nobis, seu quia nobis bonus est.

Eadem est charitas Dei & proximi. Dicendum 3. Eadem est Charitas, quâ diligo Deum, & proximum propter Deum. Apertè id docet S. Aug. l. 8. de Trin. c. 8. ubi ait: *Ex una eademque Charitate, Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.* Plura de hac re dicam in sequentibus, agendo de Charitate proximi. Porrò variæ sunt rationes, ob quas proximus est diligendus propter Deum, quia ejus dilectionem Deus præcepit, quia homo est *Opus Dei, agricultura Dei, Templum Dei*, &c.

SECTIO

SECTIO III.

An, & quomodò Charitas possit augeri, minui & deperdi.

Dicendum primò, quòd charitas possit augeri, & de imperfectâ possit fieri perfecta. Innuit illud Ecclesia, dum rogat *Fidei Spei & Charitatis augmentum.* Idem confirmat S. Augustinus Enchridii cap. penult. ubi ait: *Minuetur cupiditas, crescente charitate.* Adde, quòd quilibet actus charitatis, mereatur ulteriorem charitatis fervorem. *Charitatis augmentum.*

Dicendum 2. Verius videtur, quòd charitas minui possit per peccata venialia, ut cæteræ qualitates, sic tamen ut iisdem non possit deperdi. Rationem dat S. Aug. l. 83. qq. ubi ait: *Venenum charitatis est cupiditas; ubi autem magna cupiditas, parva charitas; & ubi nulla est cupiditas, perfecta est charitas.* Idem probat alibi in confessionibus, ubi ait: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.* Sic Scriptura Sacra dicit, quòd abundante malitiâ refrigescet charitas multorum, idest, sensim à calore per teporem pertinget ad frigus cordis. Clarissimè autem id affirmat S. Fulgentius l. 2. ad Monimum, ubi ait: *Nam cum dona Spiritus Sancti sunt charitas, pax, gaudium........* & alia quæ commemorat, *hæc tamen*, inquit, *omnia possunt in hominibus & augeri & minui.* Quomodò tamen charitas minui possit, non tamen deperdi per peccatum veniale, declarat Lensæus prædictæ sententiæ defensor, similitudine ductâ à lineâ, quæ minutissimis detractiunculis minui potest, sic ut numquam eisdem ad indivisibile contracta, quantitatis suæ rationem amittat, etsi aliâ viâ lineam interire posse, certum sit. *Charitatis diminutio.*

Ut ut sit, certum est, quòd peccata venialia dispositivè concurrant ad interitum Charitatis, quatenus disponunt ad mortale. Denique certum est, quòd

Charitatis fervorem destruant & deperdant, ut alibi dictum est.

Peccatum mortale destruit Charitatem.

Dicendum 3. Charitatem deperdi per quodlibet peccatum mortale, definitum est in Conc. Trid. sess. 6. can. 23. de justificatione. Hinc etiam Christus admonet dicens: *Manete in dilectione mea*: Quod non admoneret, si charitas semel habita deperdi non posset. Hinc etiam Apostolus 1. Corinth. 6. docet, quòd neque fornicarii, neque adulteri, neque molles Regnum Dei possidebunt.

Idque demeritoriè non item Physicè.

Cùm vero quodlibet peccatum mortale gravissimam contineat offensam in Deum, adeòque mereatur rescissionem amicitiæ divinæ: Sequitur, quòd demeritoriè Charitas expellatur per peccatum mortale, non item physicè, cùm charitas cum actu mortalis peccati nullam habeat physicam repugnantiam: Potest enim Charitas consistere cum actu peccati mortalis indeliberato, aut primò primò, quocum æqualiter deberet repugnare, uti cum tali actu deliberato, si esset physica inter illa repugnantia, cùm sit eadem ratio Physica peccati mortalis deliberati & indeliberati. Idem conformiter dicendum est de destructione virtutum aliarum per opposita vitia, quòd scilicèt solùm demeritoriè destruantur per illa, non autem Physicè.

SECTIO IV.

An omnis Charitas justificet.

Aliqua Charitas per se justificat.

Dicendum primò, ex dictis patet, dari aliquam charitatem per se justificantem, quæ hæredem Regni faciat & remissionem peccatorum infallibili lege conferat. Patet hoc ex Conc. Trid. quod Ses. 14. c. 4. docet, contritionem aliquando Charitate perfectam, hominem reconciliare, etiam priusquam Sacramentum actu suscipiatur.

Dicen-

Dicendum 2. Ex dictis quoque patet, non omnem charitatem justificare, uti patet in charitate quæ in peccatoribus reperitur. Defectu hujus orta sunt insulsa dogmata in re Theologicâ; uti quòd status peccati mortalis conjungi nequeat cum charitate: quemlibet amorem mundi esse cupiditatem, aut laudabilem illam charitatem, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum: quamlibet charitatem conferre remissionem peccatorum, & alia, quæ innitebantur his argumentis. *Non omnis tamen.*

1. Quòd quâlibet charitate tollatur aversio voluntatis à Deo, adeòque & peccatum, quod in tali aversione consistit. *Objectionum solutiones.*

2. Quòd, si quis per amorem se convertat ad Deum, Deus se quoque convertat ad ipsum: cùm ipse dicat: *Ego diligentes me diligo.*

3. Quòd Deus cor contritum & humiliatum per amorem non despiciat. Ad quæ respondetur, quòd quidem per quamlibet charitatem tollatur aversio à Deo ex parte affectûs, sed non ex parte reatûs; sive quod idem est, affectus inordinatè per peccatum affixus creaturæ, tollitur per charitatem, non tamen ideò per illam tollitur aversio quoad reatum, neque omni charitate omnis culpa & pœna deletur.

Ad aliud Respondeo, quòd non semper, quando se homo per amorem convertit ad Deum, Deus se convertat ad illum; ita ut peccata remittat, eumque justificet: Idem est de timore, quo juxta aliquos ad Deum se homo convertit; non tamen omnis timor ideò justificat. Unde quando se homo perfectè convertit ad Deum, etiam Deus ita convertitur ad eumdem, ut simul peccata remittat. Ad confirmationem dico, quòd Deus diligentes se diligat, tum quia dilectionem ipsis inspirat; tum quia diligentes perfectâ charitate, ita diligat, ut simul remissionem peccatorum infundat, eaque remittat.

Ad ultimum Respondeo, timore quoque cor conteri & humiliari, non ideò tamen timore remittuntur

peccata; unde, si perfectè conteritur cor & humiliatur per amorem perfectum, Deus illud non despiciet, sed remittet peccata commissa.

SECTIO V.

An sine Charitate possit esse vera virtus.

Non est vera virtus sine Charitate.

DICENDUM primò, quòd ad omnem virtutem requiratur Charitas saltem imperfecta probatur ex alibi dictis, quòd ad actum undequaque bonum requiratur, ut ex charitate saltem virtualiter procedat. Hinc ait S. Thomas 2. 2. q. 23. a. 7. quòd *Sine charitate possit quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfectè bonus, quia deest debita ordinatio ad debitum finem.* Idem dicit S. August. docens non esse veras virtutes, vel quæ voluptati inservirent, ut Epicureorum; vel humanæ laudi & gloriæ, ut Stoïcorum, vel alteri cuivis fini, præter Deum ejusque gloriam. Audi S. Patrem l. 4. contra Jul. c. 3. ubi ait: *Cum non ad suum referuntur authorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti: Si quas habent virtutes, veras non habent.* Hinc & concludit: *Absit, ut veræ virtutes, cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus:* DEUS VIRTUTUM CONVERTE NOS. *Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt: Quæ autem nulli rei servire volunt nec ipse veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus.*

Non fides, nec spes, nec 4 virtutes Cardinales.

Dicendum 2. Non posse fidem aut spem esse sine charitate, uti in anterioribus comprobatum est. De quatuor virtutibus Cardinalibus illud idem probat S. Augustinus, docens illas ipsas esse amorem, officio diversum. Lubet rursum audire S. Præsulem de moribus Ecclesiæ c. 15. *illud*, (inquit) *Quod quadripartita virtus dicitur, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum*

quantum intelligo, dicitur: Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, ut temperantia sit amor, integrum se præbens ei, quod amatur: Fortitudo amor facile tolerans omnia, propter quod amatur: justitia amor soli amato serviens, & propterea rectè Dominans: Prudentia amor, ea quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens: sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, idest summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ. Vide eumdem l. 6. de Musica c. 15.

Dicendum 3. Idem de Religione dicendum est, quòd non possit esse sine charitate. Probat hoc idem S. Doctor Epist. 29. ad Hieron. & rogat: *Quid autem est pietas, nisi cultus Dei? Et unde ille colitur, nisi charitate?* Uti etiam in Psalm. 77. ubi expresse ait: *Hoc colitur, quod diligitur.* *Nec Religio.*

Dicendum 4. Ex dictis sequitur, quòd Charitas sit forma virtutum; quod verum est, quatenus per charitatem in debitum finem virtus ordinatur: Deinde, quatenus omnis virtus, de se eo tendit, ut Deo placeat, & operantem reddat Deo gratum, adeòque omnis virtus tendit in finem charitatis qui est Deo placere, ejusque bonum procurare. *Charitas est forma virtutum.*

Objici posset, quòd prædicta omnia damnata sint in hac: *Non est vera legis obedientia sine charitate.* Resp. per *charitatem* intelligebat author illius & aliorum articulorum, *charitatem perfectam*, qualis tunc juxta receptum usum per charitatem intelligebatur, ut antea ex Lensæo notavimus: Quo sensu indubiè falsa est dicta propositio. Quomodò tamen legem non impleat, nisi charitas, vide ex S. Augustino probatum in materia de legibus. Aliàs etiam dicta intelligendo de charitate imperfecta seu bona voluntate, vera est juxta dicta, objecta propositio. Aliàs in illa damnata erit illa Joan. 14. *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Unde stat firma hæc S. Aug. in Ps. 67. sententia, dum dicit: *Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei.* *Est vera virtus sine Charitate perfecta.*

Quomodò item non possit esse salutaris attritio sine charitate, dicam agendo de Sacramento Pœnitentiæ.

SECTIO VI.

De Charitate sui ipsius.

DICENDUM primò, juxta S. August. l. 1. de Doct. Christ. c. 23. & 26. *Quatuor ex charitate sunt diligenda. Unum quod est supra nos, idest Deus, ut summum nostrum bonum & ultimus finis, ad quem dirigenda sunt cætera. Deinde, aliquid quod nos sumus.* Ad hunc sui amorem homo à natura satis inclinatur, quâ ratione, qui sibi nequam est, nulli bonus esse agnoscitur. Unde pro adagio usurpatum est, *amor incipit à se ipso.*

Amor sui cuilibet naturalis.

Quæret quispiam cum S. Augustino l. de moribus Ecclesiæ c. 26. videtur de homine ipso, idest, de amatore ipso nihil actum in charitatis mandato; verum respondet idem S. Doctor: *Parùm dilucidè, qui hoc arbitratur, intelligit. Non enim fieri potest, ut se ipsum, qui Deum diligit, non diligat: imò verò solus se novit diligere, qui Deum diligit. Si quidem ille satis se diligit, qui sedulò agit, ut summo & vero perfruatur bono.* Idem docet Epist. 52. Respondent alii, implicitè satis amorem sui primo dilectionis mandato præcipi, dum amor sui ipsius assignatur pro regula, cui commensurari debet dilectio proximi, dum dicitur: *Et proximum sicut te ipsum.* Ex quo sequitur, etiam amorem sui esse præscriptum, primo dilectionis mandato: Etsi de cætero à natura ad eumdem satis inclinemur.

Amoris sui lex.

Dicet quispiam, si amor sui sit à Deo præscriptus, quomodò ergo sui amantes carpuntur ab Apostolo 2. Timoth. 3? Quomodò dicit S. August. Serm. 47. de diverſ. c. 2. ad illud Apostoli: *Prima hominis perditio, fuit amor sui?* Resp. Amorem sui carpit Apostolus & SS. PP. qui ita inordinatus sit, ut ex illo quis velit

Quisnam amor sui sit malus.

Deum

Deum mortaliter offendere. Deinde proscribitur ille amor sui, qui ad amorem Dei non refertur, qui non est charitas, sed cupiditas, *Quæ hominem habet authorem, vel hominis deceptorem, non hominis creatorem*, ut ait S. Aug. l. de gratia Christi c. 20. *Charitas enim*, juxta eumdem S. Patrem, *Est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se & proximo propter Deum.*

Dicendum secundò; Non licèt sibi appetere bona animæ, vel corporis, propter se ipsa. Etsi enim bona illa, præsertim bona animæ hominem maximè deceant, si tamen propter se appetantur, hominem non perficiunt, sed inficiunt, nec iisdem utentem adjuvant, sed iis fruentem corrumpunt: *Potest enim res bona amari, amore non bono.* Debent ergo tum bona animæ, tum bona corporis appeti, ut iisdem obtentis Deus glorificetur. Unde scientia ne inflet, adjunctam habere debet charitatem, quæ ædificet: & ut ait S. Bern. de arte & scientia Serm. 36. *Tantum appeti potest ad ædificationem sui vel proximi*, aliàs turpis curiositas est, aut turpis quæstus. *Bona animæ aut corporis non possunt expeti propter se.* *Quomodò scientia sit quærenda.*

Honor quoque appeti potest, cùm commendet Salvator Matth. 5. ut luceat Lux nostra coram hominibus, sed sollicitè addit: *Ut glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Idem est, de bonis corporis, quæ licitè appeti possunt, si adsit debitus finis. Illa enim propter se appetere, incommutabilis lex inhibet; aliàs iis inhærere brutale est, cùm os homini sublime dederit, nec imis inhærere possit, sed spectare superna. De illis singillatim ita docet S. August. tract. 10. in Joan. *salutem ait, corporis quæris? Adhuc noli ibi manere ......, quære illam, ne fortè impediat morbida valetudo, opera tua bona. Ergo non est ibi finis, quia propter aliud quæritur ...... quæris honores? Forte ad aliquid agendum quæris, ut peragas aliquid, ut placeas Deo. Noli ipsum honorem amare, ne ibi remaneas. Quæris laudem? Si Dei quæris, bene facis: Si tuam quæris, malè facis, remanes in via.* Hinc alibi amorem delectabilium, vocat *spiritualium pennarum viscum*, si nos detineant, nec ad amorem Dei progredi sinant. *Quomodò honor.* *Quomodò cætera.*

Quomodò audienda sit musica. Quinimò, quòd spiritualem & Ecclesiæ cantum, propter se audire, perversum dicat, ut ait l. 4. contra Jul. c. 14. *Movetur*, inquit, *animus ad pietatis affectum, divino cantico audito: tamen etiam illic, si sonum, non sensum libido audiendi desideret, improbatur.*

Voluptas propter se appeti non potest. Quòd verò voluptates propter se, etiam moderatè appeti sit vetitum, vide ad longum comprobatum de matrimonio. Concludo cum eodem S. Patre in meditat: suis, ubi ait: *Si ista diligis, ut subjecta dilige, ut famulantia dilige: ut arrham sponsi, ut munera amici, ut beneficia Domini. Sic tamen, ut memineris semper, quid illi debeas, nec ista propter se, sed ista propter illum, nec ista cum illo, sed ista propter illum, & per ista illum, & super ista illum diligas.* Quibus hoc adde Laurentii Just. mihi fol. 19. ubi ait: *Pudeat ergo hominem creaturis inhærendo, non amare bonum, unde bona sunt.*

SECTIO VII.

An, & quomodò diligendus sit proximus.

Dilectio proximi est præceptum. DICENDUM primò, datur præceptum naturale divinum de diligendo proximo. Quòd sit naturale, declarat illud S. Gregorius l. 10. mor. c. 6 ubi scribit, quòd fundetur in his duobus dilectio proximi, *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu alteri facias: & per semetipsum veritas dicit: quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* *Est naturale.* Deinde, homo est de se animal sociale, quod suapte naturâ communicationem bonorum expetit & desiderat. Hinc rectè S. Basilius Orat. 1. de amore in Deum & proximum ita ait: *Etenim nihil naturæ nostræ tam est proprium, quam societatis ad invicem commercium, mutuumque in communicando auxilium, & fraterni amoris studium.*

Divinum. Præceptum quoque illud divinum esse, confirmant lex & Prophetæ. Levitici 19. v. 19. dicitur: *Diliges amicum*

amicum tuum, sicut te ipsum: ubi nomen *amici* æquivalet *proximo*, ut vertunt septuaginta & alii. In lege autem novâ, nihil frequentiùs inculcatur, quam hoc dilectionis mandatum: *In hoc*, ait salvator, *cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Hinc vocat *suum mandatum*, ut se mutuò diligant, & mandatum illud discipulis suis testamento reliquit.

Dicendum 2. Etsi licitum sit diligere proximum ob mercedem, tamen diligendus est amore amicitiæ. Quòd licitum sit, eumdem amare propter mercedem, clarè patet ex obligatione gratitudinis; item licitum est eumdem amare ad eamdem retributionem, ad quam omnes conditi sumus, sic tamen ut ultimatè semper diligatur propter Deum. Sic S. Bern. l. de modo bene vivendi, de charitate serm. 5. docet, quòd *Pari dilectione sit optanda vita æterna omnibus hominibus: omnes homines affectu charitatis debeamus diligere, scilicèt ut Deo serviant, & salvi fiant.* Non debet tamen proximus diligi ultimatè propter nostram utilitatem, & ut vulgus, quod amicitias utilitate probat; sed ultimatè propter Deum: *Tunc enim verè amicus amatur, si non pro se* (nec pro amante) *sed pro Deo amatur*, ait sermone 13. loco cit. Doctor Mellifluus.

Diligi debet amore amicitiæ.

Vera dilectio proximi.

Quòd verò amari debeat amore benevolentiæ sive amicitiæ clarum est, cùm bonum illi sit appetendum, quia illi bonum est, si ordinata sit proximi charitas. Deinde, amor Dei est amor benevolentiæ, adeòque etiam amor proximi; cùm sit idem amor, quo diligimus Deum & proximum propter Deum, cùm habeant idem objectum formale, uti in anterioribus est probatum.

Dicendum 3. Proximus noster, est omnis creatura rationalis, quæ possit nobiscum particeps esse æternæ beatitudinis. Hinc non solùm homines, sed & Angeli sunt nobis proximus. *Proximitas enim*, ut ait Isidorus pelusiota l. 4. Epist. 123. *Naturâ æstimatur, non virtute: substantiâ, non dignitate: compassione, non loco*

Quis sit proximus.

loco; curationis modo, & non loci propinquitate. Et ut ait S. Auguft. in Pfalm. 118. conc. 8. *Nulla eft cogitanda longinquitas generis, ubi eft natura communis.*

Dilectio proximi non poteft effe fine dilectione Dei. Dicendum 4. Dilectio proximi, non poteft effe fine dilectione Dei. Probatur 1. Quia proximus diligi debet propter Deum. Idem probat S. Auguftinus l. 1. de Doctrina Chrift. c. 22. ubi ait, *Quod quifquis rectè proximum diligit, hoc cum eo agere debeat, ut etiam ipfe toto corde, totâ animâ, totâ mente diligat Deum: fic enim eum diligens, tamquam fe ipfum, totam dilectionem fui & illius* (proximi) *refert ad illam dilectionem Dei, quæ nullum à fe rivulum duci extra fe patitur, cujus derivatione minuatur.* Deinde cùm dilectio fui fit conftituta regula dilectionis proximi, & dilectio fui non poffit effe fine dilectione Dei, fequitur, quòd dilectio proximi quoque fine dilectione Dei effe non poffit. Denique idem probant SS. PP. Dum docent, quòd proximi diligendi fint ad vitam æternam, ideft ad amorem Dei; quòd proximi diligendi fint in Deo, & propter Deum, uti & alia his fimilia.

Prædicta omnia, folidè more fuo declarat Card. Bona in principiis Doct. Chrift. ubi confirmatis iis quæ hucufque diximus, ita demum fubdit §. 42. *Omnes homines naturali quodam inftinctu aliis placere, & ab illis amari concupifcunt: fed hæc ftabilis & fincera numquam erit, nifi divinus amor eorum animos fimul connectat.*

Omnis dilectio debet fundari in dilectione Dei. *Amicitia, quæ humanis dumtaxat officiis comparatur, mercaturæ quædam fpecies eft, tamdiu perfeverans, quamdiu hinc inde aliquid utilitatis percipitur. Comitas & urbanitas, quam fummo rigore ab amicis exigimus, ludus verborum eft, & vanitas & mera deceptio. Etenim qui profufiùs & elegantiùs hujufmodi officia præftare folent, multa quidem fpondent, fed cum aliquid ab illis petitur, tunc demum apparet, quam inanis fuerit ille verborum apparatus. Nihil in his verum, nihil folidum, nihil fincerum.* Ita verum eft, quòd quidquid non eft ex Deo, diffolvetur, ac vanum eft, uti quotidiana nos docet experientia.

Dicen-

Dicendum ultimò, quòd tunc proximus diligatur, sicut se ipse, cùm diligitur eo modo ad similitudinem, etsi non ad æqualitatem. To *sicut* enim non tantùm æqualitatem significat, sed & similitudinem, ut quando dicitur: *Estote perfecti*, Sicut *pater vester cœlestis perfectus est.* Similitudo autem illa in eo sita est, primò, ut ea quæ mihi velim, illa velim & proximo. 2. Ut sicut me diligo propter Deum, proximum quoque diligam propter Deum. 3. Ut eo affectu afficiar erga proximum, quo afficior erga memetipsum.

Quid sit proximum diligere sicut seipsum.

ECTIO VIII.

An debeamus proximum diligere actu interno, an verò sufficiat datâ opportunitate exhibere illi externa dilectionis officia, simul non odio illum habendo.

Dicendum primò, ut satisfiat præcepto diligendi proximum, non est satis ei exhibere signa externa dilectionis, simul eumdem non habendo odio, sed debet diligi actu interno. Probatur 1. ex Scriptura Sacra ac primò ex 1. cap. 1. Petri Apostoli ubi ait: *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis: In fraternitatis amore simplici, ex corde invicem diligite attentiùs.* 2. Eccli. 37. admonemur: *Ne obliviscamur amici nostri in animo nostro.* 3. Matth. 5. ubi dicitur: Diligite *inimicos vestros*, Benefacite *his, qui oderunt vos.* Ubi internus actus dilectionis, significatus per *diligite*, ab externo importato per *benefacite*, sejungitur: Deinde dicitur præceptum dilectionis proximi *simile* præcepto dilectionis Dei: Deum autem actu interno diligendum esse per se constat. Rursùm diligendus est proximus, *sicut nos ipsi*; quis verò adeò stolidus, ut se actu interno diligendum non esse dicere audeat? Denique idem confirmant alia Scripturæ loca, quæ dicunt proximum esse diligendum amore fraternitatis; non

Externa dilectione proximi sola non satisfit præcepto dilectionis proximi.

Ex scriptura.

non tantùm verbo & linguâ : Sed opere *& veritate* : *Ex animo, in simplicitate cordis* & alia hujusmodi.

Ex Patribus. Idem docent constanter SS. Patres. In primis S. August. variis locis id confirmat, & signanter exposit : 6. in Joan. ubi ait : *Interroga cor tuum, & si ibi est dilectio fratris, securus esto.* Et expositione anteriori : *Nemo interroget hominem : redeat unusquisque ad cor suum, si ibi invenerit fraternam charitatem, securus sit.* Idem docet alibi idem Doctor Locis quam plurimis.

Consonat S. Bern. qui Serm. de Passione Domini c. 23. ita ait : *Sic sunt amandi amici, ut affectus amoris erga illos conservetur.* Affectus autem actum internum per se importat. Idem tradit S. Gregorius homilia 28. ubi ait. *Quid ergo nobis agendum est, Fratres, nisi ut veræ charitatis affectum impendamus fratribus ?* Idem docent plerique SS. Patres quorum testimonia brevitatis causa prætereo.

A ratione Accedit his & ratio, quòd omnis proximus sit diligendus propter Deum, quod visceralem & internum affectum requirit : quòd sit omnibus optanda vita æterna : quòd proximus sit diligendus eo modo, quo dilexit nos salvator : Quod illud ipsa vox *diligo* requirit : Sola enim externa dilectionis signa, sunt tantùm dilectionis cortex & umbra : Quòd dilectio sit vera virtus, quæ internum actum necessariò requirit : Quòd ex verâ beneficentiâ sit proximus diligendus ; beneficentia autem est actus externus, quo alteri ex interno affectu benefacimus: ideò admonet Apostolus ad Coloss. 3. dum ait : *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Deo & non hominibus*. Et hæc est charitas de corde puro, quam Spiritus Sanctus in nobis operatur. Unde pro merito hæc damnata est ab Ecclesia : *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos* : Item hæc : *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.*

Aliud est hypocriticum. Dicendum 2. Qui solo externo opere absque correspondente affectu proximum diligit, hypocrisi favet

vet ac pessimè de humano genere meretur, uti & illi, qui adversam nobis sententiam persuadere satagunt. Probatur breviter, quia virtutem simulant, quam non habent, idest veram dilectionem, quæ vel potissimùm in affectu consistit: Deinde, malè de humano genere merentur, eo quòd communem satis verborum & officiorum corticem pro vero amore divendere velint. Nota enim est hujus sæculi urbanitas, quæ omnes labiis honorare & amare satagit, ubi cor eorum longè est ab illis. Ex quo quid aliud, nisi innumeræ fraudes & simulationes poterunt expectari.

Dicendum 3. Internus hic dilectionis affectus omni superiori perquam est necessarius. Hinc monet S. Petrus, *Ut præsint, non ut dominantes in cleris, sed ut forma facti gregis* EX ANIMO. Non enim subditorum animos devinciet sibi superior, quem constat solo verbo, sine correspondente interno affectu, subditos demulcere: Nec ad eumdem subditi appellabunt ut ad Patrem, cujus affectus paternus non correspondet. *Superiori interna dilectio omnino necessaria.*

Objici posset ad prædicta, quòd proximo debeamus solum amorem talem, quo possumus proximo prodesse, qualis non est amor internus: Hinc piorum praxis de interno amore vix solet esse sollicita. Ad quæ Resp. Quam maximè nos interno affectu proximis prodesse. Fit enim, ut ubi adest affectus internus, opus externum intensiùs & sæpiùs proximo exhibeatur. Talis erat in primitiva Ecclesia Christianæ fraternitatis amor & dilectio, de qua ait Scriptura act. 4. quòd non tantùm sibi mutuò officia amoris impendebant, sed quòd eorum *erat anima una & cor unum.* Piorum verò praxis maximè de interno affectu est sollicita, dum sola amoris officia, ut ab interno amore correspondente sunt sejuncta, ut fucata & simulata rejicit & condemnat: Novit piorum praxis, veram dilectionem in interno affectu quam maximè consistere. *Amor internus proximo prodest.* *Apiorum praxi.*

SECTIO

SECTIO IX.

An teneamur omnes homines æqualiter diligere.

Ordo proximum amandi.

Dicendum I. cùm S. Bern. l. de modo bene vivendi serm. 5. *Non debemus æqualiter omnia diligere; sed alia magis, alia minùs.* Et apologia ad Guilielm. *etsi*, ait, *sit una* (sponsa) *in charitate, divisa tamen sit in ordinatione.* Expressiùs hoc declarat S. August. l. 1. Doct. Christ. c. 28. ubi ait. *Omnes homines æquè sunt diligendi, sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, tibi quasi quadam sorte junguntur.*

Omnes æquè amandi.

Ubi nota, quòd dicat S. Præsul, omnes homines æquè sunt diligendi, idest ad eundem terminum, scilicèt beatitudinem; aut etiam *æquè* diligendi sunt omnes, idest omnes omnino, nullo excepto, uti dicitur, quòd Deo sit æquè cura de omnibus, non quòd æqualiter omnibus provideat, sed quòd nihil sit, quod ejus providentiæ non subjaceat.

Ordo amandi, & ordo subveniendi.

Dicendum 2. quo Conjunctio personæ nobis est proximior, eo cæteris paribus magis eidem est succurrendum. Pro cujus majori intelligentia, notandum est alium esse ordinem amandi, alium esse ordinem subveniendi: unde fieri potest, ut qui sit prior ordine amandi; sit posterior ordine subveniendi; uti ex dicendis constabit. Succurrendum ergo primò est iis, qui nobis sunt magis conjuncti. Unde primò cæteris paribus succurrendum est parentibus, utpote nobis cæteris conjunctioribus. An autem mater sit præferenda patri, non ita convenit inter authores: alii matrem præferendam volunt, eo quòd juxta illos sit principium nostræ generationis, & nostri causâ varia subierit incommoda, nos gestando utero, pariendo &c. Alii patrem præferunt, eo quòd sit principium

cipium principalius generationis, & ipsi principaliter cura nostri incumbat, æstimantes matrem non concurrere activè ad generationem, de quo disputent medici.

Nec etiam ita convenit, an ratione beneficij insignis, non liceat hic extraneos præferre Consanguineis: v. g. si pater filium voluisset occidere, & alter eum à nece liberasset. Neque desunt, qui eo casu affirmativæ sententiæ adhæreant: meliùs tamen alij docent, etiam eo casu, uti omni prorsus, gradum consanguinitatis præsertim primum, omni alteri conjunctioni esse præferendum.

An aliquando liceat hic externos Patri anteponere.

Aliud est de ordine amandi, quo ordine res magis dignas amare oportet. Dignitas autem hæc, ex majori conjunctione cum summo bono est metienda, quæ quô major est, eo major currit amandi obligatio.

Dicendum 3. sollicitè providendum est, ne prætextu servandi prædictum ordinem charitatis, charitas ipsa violetur: quod sæpiùs usu venit in communitatibus, in quibus particularis dilectio, communem sæpè destruit charitatem; quæ familiaritates & amicitiæ, teste B. Teresia de via perfectionis c. 4. *Raro eo tendunt, ut una alteram magis in Dei amore promoveat, imò verò idcircò eas à Dæmone induci credit, ut schismata & factiones in Religionibus excitet...... & id genus alias amicitias multas*, ait, *videre velim, ubi conventus multas alit personas. Hinc per amorem*, ait, *Dei vos rogo, à singularitatibus hisce, quantumvis eæ sanctæ sint, abstinete...... si verò consanguinei invicem sint, longè etiam deterius est, atque adeo pestis teterrima.* Plura habet de hac eadem re S. Basilius sermone 1. de Institutione Monachorum, & sermone sequenti, quem brevitati intentus prætereo.

Particulares amicitiæ communitatis pestes.

SECTIO

SECTIO X.

De dilectione Inimici.

Omnes tenentur diligere inimicos.

Dicendum primò non tantùm perfecti, sed omnes omnino ex precepto tenentur diligere inimicum: neque solùm in legè novà, sed & in veteri fuit hoc præceptum. Omnibus enim promiscuè dictum est Matthæi 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos:* & Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Quòd autem in lege veteri dilectio inimici quoque fuerit omnibus injuncta, patet ex Levitico c. 19. ubi dicitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Item exodi 23. jubetur, ut quilibet, proximi (etiam inimici) asinum & bovem sublevet & reducat. Unde patet perversus aliorum sensus, quo volunt in lege veteri non esse præceptam dilectionem inimici, eo quòd Levit. 19. dicatur. *Diliges amicum tuum, sicut teipsum*: ex quo à contrario inferebant, ergo odio habendi sunt inimici. Imò, quòd ipse Christus Matth. 5. dicat: *Audistis, quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Verùm ex dictis patet, to *amicum* idem esse quod *proximum*, adeòque nihil concludere objectum argumentum. Deinde, argumentum à contrario non valet, ubi est eadem ratio, quæ utrique convenit: hîc autem una & eadem ratio utrique competit, scilicet & inimicum & amicum diligendum esse propter Deum.

Omni tempore.

Quomodò dilectio inimici sit perfectorũ.

Quando autem S. Augustinus Enchridii c. 73. docet, dilectionem inimici esse tantùm perfectorum, intelligendus est de singulari illa dilectione, quâ ille, qui actualiter lædit, adhuc à læso beneficiis afficitur.

Odium abominationis ali.

Hoc tamen hîc ulteriùs notandum est, quòd Judæis præceptum fuerit odium abominationis saltem exter-

num

num erga quasdam gentes sibi inimicas, v. g. quòd numquam cum eis possent inire pacem, non quærerent eis bona, v. g. Chananæis, ac Jebusæis, &c. Internum tamen odium, numquam iis præceptum fuit, utpotè quod charitati repugnat.

tionis aliquando à Deo præceptum, numquam inimicitia.

Dicendum 2. Debemus inimicis generalia dilectionis signa exhibere: Illorum enim substractio ad vindictam & odium pertinet. Hinc si velis pro communitate rogare aut eidem dare eleëmosynam, non poteris tibi inimicum excludere, cùm exclusio illa vix fieri possit sine rancore odii aut vindictæ.

Quæ signa dilectionis debeant inimicis exhiberi.

Specialia tamen dilectionis signa inimico exhibere nemo tenetur, nisi adesset periculum scandali. Debet tamen ea velle præstare in præparatione animi, ut loco & tempore debitis, paratus sit ea præstare. Hinc patet, nos non teneri, inimicos invisere, pro inimicis rogare, eos invitare, nisi adesset ex contrario scandalum. Teneris tamen inimicum obvium salutare, si eumdem solitus sis salutare, aliàs odium prodis. Idem majori jure dicendum est de resalutatione, quæ ad generalia signa dilectionis spectare videtur: Excipe tamen casum quo offensus est superior, qui aliquando ad majorem cautelam resalutationem differre potest, etsi & hîc præcavenda sit inferioris exacerbatio. Simili ratione excusandi sunt parentes, qui Filios contra voluntatem aliquando maritatos, nolunt recipere ad aspectum, in qua aversione perseverantes, etiam absolvi possint, si sint rationabiliter inviti: Possunt enim parentes, ut superiores, tali negatione alloquii filium punire, & aliquando ad aliorum natorum cautelam ita castigare.

Dicendum 3. Præceptum hoc obligare, etsi sine aliqua difficultate observari non possit, nec satis est non odisse inimicum. Sic D. Hieron. in c. 5. Matthæi. *Multi ait præcepta Dei, imbecillitate suâ, non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicum: Cæterum diligere plus præcipi, quam humana natura patiatur.*

Præceptum hoc etsi difficile, tamen obligat.

SECTIO X.

De dilectione Inimici.

Omnes tenentur diligere inimicos.

DICENDUM primò non tantùm perfecti, sed omnes omnino ex precepto tenentur diligere inimicum: neque solùm in lege novà, sed & in veteri fuit hoc præceptum. Omnibus enim promiscuè dictum est Matthæi 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos:* & Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Quòd autem in lege veteri dilectio inimici quoque fuerit omnibus injuncta, patet ex Levitico c. 19. ubi dicitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Item exodi 23. jubetur, ut quilibet, proximi (etiam inimici) asinum & bovem sublevet & reducat. Unde patet perversus aliorum sensus, quo volunt in lege veteri non esse præceptam dilectionem inimici, eo quòd Levit. 19. dicatur. *Diliges amicum tuum, sicut teipsum*: ex quo à contrario inferebant, ergo odio habendi sunt inimici. Imò, quòd ipse Christus Matth. 5. dicat: *Audistis, quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Verùm ex dictis patet, to *amicum* idem esse quod *proximum*, adeòque nihil concludere objectum argumentum. Deinde, argumentum à contrario non valet, ubi est eadem ratio, quæ utrique convenit: hìc autem una & eadem ratio utrique competit, scilicet & inimicum & amicum diligendum esse propter Deum.

Omni tempore.

Quomodò dilectio inimici sit perfectorũ.

Quando autem S. Augustinus Enchridii c. 73. docet, dilectionem inimici esse tantùm perfectorum, intelligendus est de singulari illa dilectione, quâ ille, qui actualiter lædit, adhuc à læso beneficiis afficitur.

Odium abominationis aliẽ.

Hoc tamen hìc ulteriùs notandum est, quòd Judæis præceptum fuerit odium abominationis saltem exter-

num

num erga quasdam gentes sibi inimicas, v. g. quòd numquam cum eis possent inire pacem, non quærerent eis bona, v. g. Chananæis, ac Jebusæis, &c. Internum tamen odium, numquam iis præceptum fuit, utpotè quod charitati repugnat.

tionis aliquando à Deo præceptum, numquam inimicitia.

Dicendum 2. Debemus inimicis generalia dilectionis signa exhibere: Illorum enim substractio ad vindictam & odium pertinet. Hinc si velis pro communitate rogare aut eidem dare eleëmosynam, non poteris tibi inimicum excludere, cùm exclusio illa vix fieri possit sine rancore odii aut vindictæ.

Quæ signa dilectionis debeant inimicis exhiberi.

Specialia tamen dilectionis signa inimico exhibere nemo tenetur, nisi adesset periculum scandali. Debet tamen ea velle præstare in præparatione animi, ut loco & tempore debitis, paratus sit ea præstare. Hinc patet, nos non teneri, inimicos invisere, pro inimicis rogare, eos invitare, nisi adesset ex contrario scandalum. Teneris tamen inimicum obvium salutare, si eumdem solitus sis salutare, aliàs odium prodis. Idem majori jure dicendum est de resalutatione, quæ ad generalia signa dilectionis spectare videtur: Excipe tamen casum quo offensus est superior, qui aliquando ad majorem cautelam resalutationem differre potest, etsi & hîc præcavenda sit inferioris exacerbatio. Simili ratione excusandi sunt parentes, qui Filios contra voluntatem aliquando maritatos, nolunt recipere ad aspectum, in qua aversione perseverantes, etiam absolvi possint, si sint rationabiliter inviti: Possunt enim parentes, ut superiores, tali negatione alloquii filium punire, & aliquando ad aliorum natorum cautelam ita castigare.

Dicendum 3. Præceptum hoc obligare, etsi sine aliqua difficultate observari non possit, nec satis est non odisse inimicum. Sic D. Hieron. in c. 5. Matthæi. *Multi ait præcepta Dei, imbecillitate suâ, non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicum: Cæterum diligere plus præcipi, quam humana natura pa-*

Præceptis hoc etsi difficile, tamen obligat.

tiatur. Nec enim ideò legis observantia obligare desinit, quia in observantia illa difficultas advenit, imò moralis impossibilitas. Quòd autem non sufficiat, non odisse inimicum, clarè patet ex to *diligite* & *benefacite*, Matthæi 5. ubi dicitur: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Adde, quòd illud, quod grave videtur infirmitati, hoc leve efficiatur charitati, ut alibi ait S. Augustinus.

Non sufficit hic non odisse.

Dicendum 4. Dictum charitatis præceptum est naturale, fundatur enim in illo principio juris naturæ, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Deinde contra rationem est odisse naturam propter culpam: adeòque inimici ita odio habendi sunt, ut sit cum dilectione hominum & odio vitiorum, de quo ait Psalm. 118. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.*

Præceptũ hoc est naturale.

Dicendum ultimò: Diligere amicum est magis meritorium, quam diligere inimicum. Ratio est, quia amicus est objectum magis diligibile, adeòque magis participat de ratione charitatis, quam dilectio inimici. Deinde, actus dilectionis amici solet esse intensior. Dicta intellige, si cætera sint paria, potest enim dilectio inimici esse magis meritoria, quam dilectio amici, cùm sit actus magis Heroïcus, & dilectio amici aliquando vitiari possit pravo respectu, puta utilitatis & commodi proprii, aut simili.

Quid meritorium magis diligere amicum an inimicum.

SECTIO XI.

An, & quomodo magis debeat diligere se homo, quam Proximum.

PRo majori intelligentia subsequentium resolutionum, notandum est, triplicem distingui necessitatem, unam extremam, aliam gravem, & alteram communem. *Extrema* est, ut nisi eum adjuves, sit moraliter certò periturus. *Gravis* est, quando quidem alter absque tua ope salvari potest, sed valde difficulter.

Triplex necessitas, extrema, gravis & communis

ter. *Communis* denique, in qua sunt omnes communiter indigentes.

Notandum est ulteriùs, esse quædam bona spiritualia omnino necessaria ad amicitiam cum Deo conservandam, qualis est Gratia, Fides, Spes, Charitas, &c. Aliàs sunt bona spiritualia non omnino necessaria, ut amicitia cum Deo conservetur, sunt tamen valde utilia, ut observantia consiliorum Evangelicorum & opera supererogationis.

His positis, dicendum est 1. homo non tenetur se semper amare amore majori appretiativo, quam proximum: Debet tamen se semper amare majori amore benefactivo. Ratio ex dictis patet, quòd magnitudo amoris appretiativi æstimari soleat ex majori conjunctione cum summo bono; possit autem fieri, quòd proximus noster sit magis illi conjunctus, quam nos ipsi. Debet tamen sese magis diligere amore benefactivo, cujus major obligatio æstimari solet ex majori conjunctione secum: nullus autem est sibi magis conjunctus, quam ipse sibi. Hoc sensu intelligendus est S. Augustinus, qui homiliâ 37. inter 50. ita ait: *Primùm dilige Deum, deinde te ipsum: Post hæc dilige proximum tuum, sicut te ipsum.* *Quomodò homo se debeat amare in comparatione ad proximum.*

Dicendum 2. Tenetur homo seipsum magis diligere in bonis spiritualibus necessariis ad amicitiam cum Deo conservandam, quam proximum in iisdem aut aliis quibuslibet. Probatur breviter ex hoc Matth. 16. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*: Nec ideò culpandi sunt Moyses & Apostolus, quorum unus volebat deleri de libro vitæ pro populo: Alter pro fratribus volebat esse anathema: Moyses enim hoc petiit hyperbolicè, ad significandam amoris sui magnitudinem erga populum: Vel ut alii, petiit deleri de libro viventium, sicut numer. 11. *Sin aliter tibi videtur, obsecro te, ut interficias me.* Idem de Apostolo dici potest. Licitum tamen est, pro brevi tempore velle dilationem beatitudinis, exemplo S. Martini, qui dicebat:

bat : *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.*

Dicendum 3. Non licèt alium de salute sua graviter periclitantem adjuvare, cum periculo moraliter certo peccandi : talis enim interpretativè censeretur velle peccatum & malum, ut eveniant bona. Hoc pacto etiam hanc sequentem propositionem damnavit Theologica facultas Lovaniensis : *Licitum est quærere directè occasionem peccandi proximam, pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* Quam proscripsit jure merito, ut *Falsam, temerariam, perniciosam & ab auditu fidelium procul arcendam.* Quam nuper Sanctiss. P. Innoc. XI. censuram confirmavit.

Dicendum 4. In bonis animæ, quæ non sunt omnino necessaria ad amicitiam cum Deo conservandam, non debet quis se necessariò ex charitate præferre. Sic filius, ut matri suæ assistat, potest non ingredi Religionem, imò si ingressus jam sit, ex ea egredi, ob dictum finem.

Dicendum 5. Homo liber tenetur ex charitate, vitam, honores, & fortunam exponere periculo moraliter certo, pro salute proximi, si alter eamdem sine sua ope consequi nequeat. Probatur, quia si aliquo, saltem hoc casu habet locum illud Joannis 1. c. 3. *& nos debemus pro fratribus animas ponere.* Dixi *homo liber*, quia si foret persona publica, ut Princeps, Pastor, &c. Cujus vita necessaria foret bono communi, temerariè ageret, si pro salute alterius, vitam exponeret periculo moraliter certo. Hinc tenetur alius, intrare domum peste infectam, etiam cum periculo moraliter certo amittendæ vitæ, ut puerum in ea jacentem baptiset, qui alias sine illius ope, sine baptismo esset moriturus.

Dicendum 5. Etsi charitas urgeat, ut proximo in gravi necessitate constituto subveniam, si id sine magno incommodo possim : tamen, si sit periculum gravis damni, ad illud charitas quidem inclinat, sed non obligat. Probatur, quia præceptum Christi de

expo-

exponendâ vitâ periculo moraliter certo, vel amittendâ famâ & fortunâ pro salute proximi, non videtur extendendum ultra extremam necessitatem, maximè cùm tàlis gravis necessitas sæpius occurrere soleat, adeò que suavi Christi jugo non videatur esse conforme. Aliud esset, si sit Pastor aut Episcopus, qui etiam in gravi periculo salutis, tenentur etiam cum periculo vitæ subditis suis assistere. Ratio est, quòd hi ad illud non tantùm ex charitate, sed etiam ex justitia sint obligati, ratione cujus accipiunt stipendia, exhibentur ipsis honores, & conferuntur emolumenta à subditis, ut ipsis in tali necessitate assistant.

Dicendum 6. Non licèt pro alio mihi æquali in periculo vitæ versante, sese tali periculo exponere. Contrarium tradunt alii, eo quòd laudabile sit, ex motivo charitatis suam vitam periculo exponere, pro conservandâ vitâ alterius: Verùm his repugnare videtur S. August. de mendacio c. 6. ubi ait; *Si quis pro alterius temporali vita, suam ipsam temporalem perdit, non est jam diligere illum, sicut seipsum, sed plusquam se ipsum quod sanæ Doctrinæ regulam excedit.* Hinc regulam charitatis excedere videtur juxta eumdem Patrem qui vitam suam pro vita alterius periculo exponit, nisi aliquid aliud concurreret, ut puta, quòd illud exigeret bonum publicum, aut aliquid aliud; unde laudatur Paulinus Nolanus, qui se in servitutem vendidit, ut Filium Viduæ liberaret: Item illi qui inserviunt peste infectis & alii similes.

SECTIO XII.

De Præcepto dilectionis Dei.

DICENDUM primò, datur verum de dilectione Dei mandatum, per se & directè obligans, imò mandatum illud est omnium maximum. Nullum enim utroque testamento ita firmatum est, uti de *Dilectio Dei per se obligat.*

 dili-

diligendo Deo. In primis enim Deuteronomii 6. toti Israeli præcipitur, ut Deum diligeret ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ fortitudine: ut in dicto mandato meditaretur die ac nocte, sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligaret illud quasi signum in manu sua, scriberetque ea in limine & ostiis domûs. In nova lege autem, rursum arctè inculcatur idem præceptum: Matth. 22. dicitur *Primum ac maximum in lege mandatum*; Iacobi 2. dicitur *Lex regalis*: sæpissimè vocatur *mandatum Christi*, & passim in Paulinis litteris commendatur, ut mandatum singulare. Quòd autem tale præceptum sit admittendum per se & directè obligans, jam pridem contra aliquos, maximum illud mandatum enervare volentes, declaravit Alexander VII. de quo antea. Hinc

Quam stricte.

Ad aliud obligat, quam ad observantiam mandatorum.

Dicendum 2. quòd obligatio hujus mandati, non absolvatur in solâ mandatorum observatione. Ratio est, quòd scriptura de eo agens, agat de eo tamquam de præcepto speciali, imò de primo & omnium maximo, quodque specialem importat obligationem, ab aliis aliorum præceptorum obligationibus distinctam. Deinde dilectio Dei specialem habet honestatem & conformitatem cum rectâ ratione, per se humanam naturam decet, estque omnium virtutum eminentissima, unde distincta ejusdem obligatio est admittenda.

Debet diligi Deus ex toto corde, tota anima, &c.

Dicendum 3. dum dicitur, quòd Deus sit diligendus, ex toto corde, ex totâ animâ & ex totis viribus, importatur, quòd debeat omnibus diligibilibus anteferri, quòdque præcipuum hominis desiderium, & sui amoris naturale centrum, debeat esse Deus; adeò ut homo totus debeat esse in Deo, prout dicitur esse totus in studiis, in venatione, &c. Pulchrè declarat illud S. August. l. 1. de Doct. Christianâ c. 22. ubi ait: *Hæc regula dilectionis, divinitus constituta est*, DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TE IPSUM: *Deum vero ex toto corde, ex totâ animâ & ex totâ mente:*

Quid hoc sit.

te: ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, ex quo habes ea ipsa, quæ confers. Cum autem ait, toto corde, totâ animâ, totâ mente: nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut aliâ re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Quæ verba de amore generali in omni opere deliberato necessariò sunt intelligenda, quo omne opus in Deum refertur, ut in ultimum finem.

Præceptũ dilectionis Dei ex toto corde est possibile in hac vita.

Dicendum 4. præceptum de Deo diligendo ex toto corde, est possibile in hâc vitâ ad adimplendum, quoad obligationem, etsi non quoad omnimodam ejus perfectionem. Probatur prius, quia Scripturâ teste, David ex toto corde suo exquisivit Deum Psalm. 118. & 3. Reg. 4. Dicitur secutus Deum in toto corde suo, denique Lucæ 10. interroganti jurisperito, quid faciendo vitam æternam possideret, & alleganti primum hoc mandatum, subjunxit Salvator: *hoc fac & vives*, quo dicto satis innuit possibile esse, quod allegaret, scilicèt Deum ex toto corde esse diligendum. Perfectio tamen ejusdem præcepti reservatur in patria, in quâ omnibus modis absolute amabitur Deus ex toto corde, dum semper actualiter ejusdem amori inhærebunt Sancti. Et hoc modo intelligendus est S. Augustinus, qui docet l. de spiritu & littera c. ult. & l. de perfectione Justitiæ respons. 17. ubi ait præceptum illud in hac vita perfectè adimpleri non posse, etsi possit quoad obligationem.

Obligatio hac ex natura oritur.

Dicendum 5. obligationem Deum diligendi, ipsa lex naturæ imponit. Si enim solo naturæ instinctu constricti simus, ut genitores nostros diligamus: potiori jure constricti sumus ad diligendum Deum, à quo totum est, quidquid sumus, à quo potior nostra pars, scilicèt anima est profecta: adeò ut rectè quærat Scriptura Sacra Deut. 32. *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te & fecit te, & creavit*

te? Deinde, lex naturæ quemlibet inclinat & constringit, ut diligat summum bonum, quod est ipse Deus.

SECTIO XIII.

Quomodo, & quando diligendus sit Deus.

Modus diligendi Deum est, sine modo diligere.

DICENDUM primò, modus, quo diligi Deus debet, est sine modo, ait Doctor Mellifluus; cùm ex toto corde, tota mente & omnibus viribus diligendus sit, & ut ait idem Doctor de diligendo Deo: *Ex omni quod est, quod scit, & quod potest* Aliqualem tamen dilectionis divinæ modum nobis suppeditant SS. Patres, ut semper esse diligendum, & nullam vitæ nostræ partem debere relinquere, quæ à dilectione Dei vacare debeat, ut ait S. Augustinus supra. Deinde, omnia propter Deum diligenda esse, docent SS. Patres, de quo alibi egimus. Denique, modo quo potest optimo & perfectissimo, diligendus est Deus. Hinc ait Doctor Angelicus 2. 2. q. 184. a. 3. ubi quærit, *An perfectio consistat in præceptis*: & respondet. *Dilectio Dei & proximi non cadit sub præcepto secundùm aliquam mensuram, ita quòd id, quod est plus, sub consilio remaneat, ut patet ex ipsa forma præcepti, quæ perfectionem demonstrat, cum dicitur:* DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO (*totum enim & perfectum idem sunt*) *&c.* Et rursum. *Quia finis præcepti charitas est, ut Apostolus dicit 1. Tim. 1. in fine autem non adhibetur aliqua mensura, sed solùm in his, quæ sunt ad finem.*

Perfectio charitatis cadit sub legem charitatis.

Hinc etiam Richardus vict. de gradibus charitatis c. 2. agens de amoris insatiabilitate ita loquitur, prædicta confirmans: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. quod tamen in hac vita mortali, vel potius morte vitali, sicut à nemine constat posse impleri* (perfectè) *ita ab omni homine debet optari: unde & in justi*

Justi descriptione dicitur? IN MANDATIS EJUS VOLET NIMIS. *Quid est velle nimis, nisi plus velle, quam posse? quo sensu & ego dictum puto:* ADOLESCENTULÆ DILEXERUNT TE NIMIS. *Infinitus quippe est Deus, in quem tendit amor earum, ut nullus esse debeat finis vel mensura amoris. Amat igitur sic amans anima; etsi non minus posse suo, minus tamen velle suo, nec capit de hac impossibilitate solatium, sed potiùs desiderii suscipit incrementum.*

Dilectio nimia.

Dicendum 2. debet Deus super omnia diligibilia diligi non tantùm appretiativè, sed & intensivè. Ratio hujus est, quod firma stet hæc Christi sententia Matth. 10. *Qui diligit patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Ille autem plus patrem aut aliud diligit, qui intensiùs amat illud, quam Deum ipsum. Deinde, cùm Deus sit ultimis finis, ad quem dirigenda sunt cætera, inordinatum esset, si media diligantur magis, etiam intensivè, quam ipse Deus. Denique concludere quis posset; si debeat Deus diligi super omnia appretiativè, debet etiam super omnia diligi intensivè, cùm illa major appretiatio habeat quoque suos gradus intensionis.

Deus debet super omnia intensivè diligi ratione illius.

Objici posset, quod ergo peccaret mater, si teneriùs diligat Filium, quam Deum, imò quòd aliàs semper in amore erit anxia. Adde, quòd præcepta non obligent quoad conatum potentiæ. Pro cujus responsione prænotandum est, alium esse amorem merè sensualem, qui in parte sensuali potissimùm consistit; alium rationalem, de quo hîc ubique est sermo. Hoc posito resp. si talis mater tam ex parte sensitiva, quam rationali, præferat aut diligat intensiùs filium, quam Deum, peccati rea est, & facit contra edictum Christi superiùs allatum: si verò ex parte sensitivâ dumtaxat, se teneat amor ille, sic tamen ut rationali voluntate intensiùs Deum diligat: rectè procedit ejusmodi mater, nec umquam hoc casu erit anxia, maximè si amorem filii referat ad amorem Dei, uti debet. Ad Confirmationem dico,

Amor sensualis per rationem debet dirigi ad amorem Dei.

Modus legis quando cadit sub legem. dico, quod præcepta etiam obligent quoad modum conatûs, quando modus ille præcepto adjungitur, uti hîc fit, ubi diligendus est Deus ex toto corde, id est, modo quo possit perfectissimo, uti mox ante ostendi.

Quandonam obligat lex dilectionis Dei ex toto corde. Dicendum 3. Præceptum dilectionis Dei super omnia, ut est speciale mandatum, per se & ratione sui obligat 1. dum homo ad usum rationis perductus, divinam bonitatem satis apprehendit. Docet hanc sententiam Doctor Angelicus, 1. 2. q. 89. a. 6. & q. 28. de verit. a. 3. ad 4. ubi ait: *Cùm quilibet teneatur peccatum vitare, & hoc fieri non possit, nisi præstito sibi debito fine: Tenetur quilibet cum primo suæ mentis est compos, ad Deum se convertere, & in eo finem constituere.* *In primo rationis usu.* Quandonam autem homo rationis sit compos, prudenti judicio est determinandum. Ratio autem summi boni ab homine rationis compote, dudum abscondi nequit: Nam ut ait S. Aug. tract. 106. in Joan. *Hæc est vis veræ divinitatis, ut creaturæ jam ratione utenti non omnino ac penitus abscondi possit.*

In articulo mortis. Dicendum 4. Per se obligat in articulo mortis præfatum dilectionis mandatum. Amor enim Dei super omnia tali tempore est maximè necessarius, in quo de æternitate jacitur alea, ut hominem muniat contra tentationes tum maximè ingruentes, & de cætero actum illum elicere non valebit, adeò ut tunc temporis actum illum non elicere, ad contemptum pertinere, meritò judicetur. Dictam obligationem rectè extendunt aliqui etiam ad casum, quo quis in tali articulo copiam habet Sacramenti Eucharistiæ aut pœnitentiæ suscipiendi, cùm eo tempore, sibi providere debeat quoad animam, modo quo possit securissimo.

Sæpè in decursu vitæ. Dicendum 5. Non solùm in principio usûs rationis, & in ultimo vitæ, sed sæpius in decursu vitæ obligat hoc dilectionis mandatum, etsi præcisè determinari nequeat, quo præcisè tempore obliget. Nec malè tempus illud determinant aliqui, quod currat ejusmodi obligatio, pro eo tempore, quo insigne à Deo beneficium *Dum à Deo insigne beneficium quis impetravit.*

nefcium impetravit; imò pro feſtis principalioribus, ut Paſchæ, Nativitatis, Reſurrectionis, &c. Quæ principaliter ad colendum Deum modo perfectiori inſtituit Eccleſia: Jam autem teſte S. Auguſtino, *Non colitur Deus; niſi amando.*

Quod indirectè quoque ac per accidens hoc præceptum obliget, certum eſt toties, quoties alteri præcepto ſine tali amoris actu ſatisfieri non poſſit. *Indirecta ejus obligatio.*

Dicendum 6. Etſi ſententia, quæ tenet hoc præceptum non obligare in primo inſtanti rationis, à variis tradatur ut probabilis; imò ab aliquibus aliter procedentibus parentum praxis obtendatur, & Paſtorum de ea re vix ſollicitorum objiciatur conſuetudo: Tamen in praxi tenenda eſt noſtra ſententia, uti oſtendit timoratorum praxis, quæ pueris jam ratione uti incipientibus, oſtendit divitias bonitatis Dei, cui primitias ſuæ libertatis conſecrent. Hinc Catechiſmus Rom. in præfat. c. 10. Agens de præcipuo Paſtoris officio, Paſtores admonet, *Ut oſtendant Populo Chriſtiano divitias bonitatis divinæ, adeò ut quivis perſpiciat, omnia perfectæ Chriſtianæ virtutis opera, non aliunde, quam à dilectione ortum habere, neque alium finem, quam ad dilectionem referenda eſſe.* Hinc Paſtores Catechiſtæ in primis ſollicìti ſunt, ut exercitium amoris Dei, uti & aliarum virtutum Theologicarum, pueris inculcent & eos doceant: Si qui hoc negligant, officio ſuo deſunt, nec piorum, ſed deficientium praxim imitantur.

Conclude ergo quo jure hæ ſequentes ſint ab Eccleſia condemnatæ: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Item hæc: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum.* Item hæc: *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſumus.*

SECTIO

SECTIO XIV.

De Eleëmosyna.

Quid eleëmosyna. DICENDUM primò, *Eleëmosyna* sæpè sumitur pro re quæ in eleëmosynam traditur: propriè tamen est traditio alicujus rei, quâ alterius miseriæ subvenimus, estque actus externus misericordiæ, ab interno charitatis proximi elicitus, etsi ab aliis virtutibus possit imperari, v. g. à pœnitentia, si adhibeatur ad satisfaciendum, à justitia ad restituendum, &c.

Est præcepta. Dicendum 2. Datur verum de eleëmosyna præceptum. Pro quo notandum est esse duplicem eleëmosynam, corporalem & spiritualem. Prioris generis eleëmosynæ comprehenduntur hoc versu:

Quotuplex. *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo:*

Posterioris autem hoc:

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Probatur ergo conclusio, quia Matthæi 25. mittuntur maledicti in ignem æternum, ob neglectas eleëmosynas. Deinde 1. Joan. 3. dicitur, quòd charitas Dei excludatur ab eo, qui habens substantiam hujus mundi, claudit viscera sua à fratre indigente. Rursum Eccli. 4. dicitur eleëmosynam prætermittens, defraudare eleëmosynam pauperis. Denique fundatur præceptum illud in illo naturæ principio: *Quod tibi vis fieri, facias alteri*: unde patet esse naturale divinum.

Est præceptum naturæ.

Obligat ex justitia. Dicendum 2. Verius videtur, quod præceptum eleëmosynæ obliget ex justitia, & non solùm ex charitate. Probat hoc Albertus in 4. Sent. distinct. 15. a. 16. dum hoc eleëmosynæ præceptum revocat ad præceptum, *Non furaberis.* Idem docet Scriptura Sacra dum eleëmosynam nomine *Justitiæ* sæpè exprimit, ut Matth. 6. dum dicitur: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*: Ex quo loco sententiam nostram docet S. Gregorius. Deinde Psalmo 111. ubi

Sacra Scriptura.

ubi dicitur : *Dispersit dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Rursum Eccli. 4. dicitur negligens dare eleëmosynam, *defraudare* eleëmosynam pauperis.

Consentiunt SS. Patres, qui dicunt eleemosynam negligentem esse *furem, spoliatorem, &c.* Imò teste S. Augustino in psalm. 147. *Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur.* Et S. Basilius oratione ad divites: *At tu, inquit, nonne spoliator es, qui quæ dispensanda accepisti, propria reputas? .... quo circa tot pauperibus injuriam facis, quot dare valeres.* Hinc & S. Bernardus Epist. ad Henricum Episc. Senonensem ita inducit pauperes divitibus eleëmosynam negligentibus occlamantes : *Nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter substrahitur, quod vos inaniter expenditis.* *SS. Patres.*

Sententiam prædictam confirmat & ratio petita ex eo, quòd superflua divitum sint bona pauperum : *Esto enim* (ut verbis Card. Bellarmini utar de arte moriendi, c. 5. l. 1.) *Divites hujus sæculi Domini sint opum suarum, si comparentur ad alios homines, tamen si comparentur ad Deum, Domini non sunt, sed administri aut œconomi aut villici.* Quod deinceps ostendit ex Scriptura Sacra ubi dicitur Psalmo 23. *Domini est terra & plenitudo ejus.* Item Aggæi 2. *Meum est argentum, & meum est aurum.* Denique quod Lucæ 16. divites comprehendantur nomine *villici*, dum ibidem dicitur : *Redde rationem villicationis tuæ.* Vide S. August. Serm. 15. de diversis c. 1. ad dictum Aggæi locum. *A ratione.*

Ne verò opponat aliquis nomen *justitiæ, fraudis, &c.* Impropriè sumi in Scriptura & SS. PP. cùm firma stet sententia, S. Scripturam & SS. Patres in propriâ verborum significatione interpretandos esse, nisi aliquid ex propria interpretatione sequatur absurdi, quod hîc non est timendum, ut ex hucusque dictis patet, & ex dicendis constabit uberiùs. Quidquid interim sit, concludo cum laudato Bellarmino l. 4. c. 9. ubi ait : *Quod, si quis fortè contendere velit, ex rigore juris, non esse supervacanea danda pauperibus, tamen negare non poterit, saltem ex charitate id esse faciendum : Parum*

rum autem refert, utrum quis ex defectu justitiæ, aut defectu charitatis in gehennam descendat.

Fructus eleemosynæ. Dicendum 3. Dicuntur eleëmosynâ aliquando peccata redimi, à morte liberari, omnia munda fieri, &c. Non quòd effectus illos infallibiliter operetur, ut quidam opinati sunt, aut eosdem effectus conferat, quamdiu quispiam vel solo affectu in peccatis hæret; cùm sine virtuali saltem Pœnitentia peccata actualia non deleantur; quo sensu docet Concilium Trid. Sess. 14. c. 4. quovis tempore contritionis motum necessarium esse, ad impetrandam remissionem peccatorum. *Sine pœnitentia non remittitur peccatum.* Hinc contra fidem est, dicere, quod aliquando aliquos dixisse refert S. August. l. 21. c. 22. de civitate Dei, quòd eleëmosynarii non damnentur, etsi in peccatis perseverarent, vel saltem à damnatione liberarentur: Qui enim ad vitam vult ingredi, debet servare mandata. Habet tamen eleëmosyna ex motione Spiritûs Sancti facta, virtutem peccata delendi mediatè, quatenus de congruo misericordia misericordiam impetrat, & accipientem excitat, ut pro eleëmosynario Deum roget pro peccatorum veniâ: Denique quatenus Deus sibi datum reputat, quod pauperibus quis elargitur. *Misericordia misericordiam meretur.* Sic etiam eleëmosyna aliquando avertit aut differt plagas temporales, prout teste D. Hieronymo factum fuit Nabuchodonosori, cui eleëmosyna per annum dilationem pœnæ contulit, etsi postea in superbiam elatus, vindictam senserit.

SECTIO XV.

De quibus danda sit Eleëmosyna.

Quinam habeant superflua. DICENDUM primò, cum Salvatore Lucæ 11. *Quod superest, date Eleëmosynam.* Quod tamen hic veritas adstruit, humana fallacia destruere visa est, dum aliqui docuerunt, vix inter sæculares reperiri, qui superfluum habeant, quorum Dogma censu-

censuravit anno 1657. Facultas Theolog. Lovaniensis in hac propositione: *Superfluum non est, quod homines servant, pro status sui vel parentum qualitate habitâ vel adipiscendâ: ideòque vix poterit inter saeculares inveniri qui superfluum habeat.* Quam ut *falsam & elidentem obligationem eleëmosynae* proscripsit eadem Facultas. Unde & haec nuper damnata ab Ecclesia: *Vix in saecularibus invenies etiam in Regibus superfluum statui & ita vix aliquis tenetur ad Eleëmosynam quando tenetur tantùm ex superfluo statui.*

Dicendum 2. cum S. Augustino in Psalm. 147. quod *multa superflua habeamus, si non nisi necessaria teneamus.* Pro cujus intelligentia notandum est, alia bona temporalia esse supervacanea, alia esse necessaria. Alia rursum necessaria victui, idest sine quibus competenter ad statum nostrum vivere non possumus: alia sunt necessaria ad conservandam vitam. Hinc generaliter Venerab. Beda superflua dicit, *quae necessario victui vel vestitui supersunt.* Et S. Chrysostomus in Epist. ad Hebr. c. 12. homil. 28. ubi ait: *sine quibus vivere possumus, ea sunt supervacanea, & ut semel dicam, extra sunt posita.* Ubi S. Doctor varia enumerat superfluorum genera. Quae tamen alicui ad statum vel ad vitam superflua sunt, Christianâ prudentiâ est disjudicandum. Quamvis hoc falsum sit, illud non esse superfluum, quod ad statum suum vel suorum meliorandum censetur opportunum: sic enim nulla forent superflua, cum nullus omnino, quin suum aut suorum statum possit meliorare.

Ut autem rectè procedat Christiana discretio, in judicando quaenam superfluâ dicenda sint, attendi solet ad alios ejusdem secum conditionis homines, non decoctores, sed qui competenter ad suum statum vitam ducunt: quorum statu & vivendi formâ attentis, rectè de superfluis poterit judicari.

Quot autem praetextus, humana iniquitas congerat, ne bona sua superflua reputet, pulchrae ob oculos ponit S. Basilius, homilia in divites avaros, ubi ait: *Praetextus humani quoad necessaria.*

ait: *sit, inquiunt,* (divites) *res partim in usu, partim condita sepositaque: ista serviat sumptibus domesticis, ista præsto sit ad externas phantasias: ut iter facienti equitatus, ornatus, viaticum pro conditione fiat. Hæc domi permanenti vitam reddant splendidam, & illustrem, ita ut mihi miraculum sit, quomodo tot inanes sumptus excogitentur. Innumeri instruuntur currus, quibus vel sarcinæ, vel ipsi mortales vehantur, illique ære, vel argento obtecti. Equi comparantur per multi........ fræna, zonæ, frontalia argentea omnia aureaque. Insuper topeta purpurea, ipsos velut sponsos ornantia equos...... curatores, promi, coloni, ministri injustæ artis sive necessariæ sive voluptuariæ periti. Præterea coci, pistores, pincernæ, venatores, fictores, pictores, voluptatis omnimodæ commentatores...... Domus omni marmorum genere corruscantes, phrygio, laconico, thessalico, è quibus, alia hieme calida, alia æstate frigida esse oportet. Sic igitur in mille usus supervacaneos distractæ opes, etiam in terra conduntur, & in secretis arcanisque custodiuntur. Incertum est, inquis, quid futurum sit: necessitati, quæ nos quandoque urgere posset, providendum est....... sed inquiunt; ob filios necessaria sunt. Plausibilis est illa avaritiæ excusatio: liberos pretexitis, & interea cordibus vestris satisfacitis.* Hactenus S. Basilius, ex quo patet, quot prætextus & excusationes à danda eleëmosyna, adinveniat humana iniquitas, & mentiatur sibi.

SECTIO XVI.

Quando danda sit Eleëmosyna.

Danda eleëmosyna in extrema necessitate.

DICENDUM primò: quando proximus est in extrema necessitate, tenetur quilibet habens superflua, eidem de iisdem subvenire. Probatur, quia si unqnam, certè pro hoc casu, currit Eleëmosynæ obligatio. Deinde divisio bonorum, cum ea conditione

ditione facta est, ut in necessitate extrema omnia sint communia. De hac resolutione satis constat inter Doctores.

Dicendum 2. non tantùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi tenetur quilibet de superfluis proximo subvenire. Probatur, quia aliàs valde raró obligaret præceptum eleëmosynæ, extremâ necessitate vixdum occurrente. Deinde, multi sunt damnandi juxta Scripturam Sacram qui nudos non operuerint, hospites non collegerint, &c. Quos omnes non nisi in gravi necessitate solummodò fuisse, est verisimile. Nec refert, quòd proximo subvenire non teneamur, in gravi periculo animæ constituto, quia suâ culpâ in tali statu agit, & se sine tua ope, ab illa necessitate potest eximere. *Etiam in gravi.*

Dicendum 3. Non tantùm in extrema aut gravi necessitate, sed & in communi tenentur divites hujus sæculi de superfluis dare eleëmosynam. Ratio est, quòd 1. Tim. 6. dicat Apostolus: *Divitibus hujus sæculi præcipe, facilè tribuere, communicare, &c.* Si verò solùm obligati essent in gravi aut extremâ necessitate facere eleëmosynam, *certè non facilè tribuerent*. Deinde notandum est, omnes communes necessitates simul sumptas, facere unam gravem, quam quivis pro suo posse, sublevare tenetur; imò si nemo eis occurreret, fierent sæpè graves aut etiam extremæ, quod quilibet avertere tenetur. Denique nihil sanctis Patribus magis familiare, quam in divitibus taxare & condemnare omnem superfluorum retentionem. *Etiam in communi.*

Opponunt aliqui, ergo juxta nostra principia, quibus docemus ex justitia obligare præceptum eleëmosynæ, divites continuò peccabunt, superflua retinendo, cùm semper occurrat communis necessitas, adeòque semper habeant secum pauperes, quibus eleëmosynas debent. Deinde, sic pauperes illi communes, possent superflua à divitibus sibi surripere, utpotè sibi debita. Resp. Cùm præceptum eleëmosynæ sit affirmativum, solùm pro occasione occurrente obligat: *Peccant divites data opportunitate non dantes eleëmosynam.*

Unde, si occasione occurrente non dent de superfluis suis eleëmosynas, verè peccant eadem retinendo. Ad aliud Resp. Hoc quidem licitum admitti in extrema necessitate, non itidem in gravi, neque in divisione bonorum exclusus censetur casus gravis necessitatis, prout extremæ. Quare, esto bona illa superflua debeantur pauperibus illis, non ideò continuò sequitur, quòd possint eadem surripere, uti hoc usuvenit in multis aliis, quæ alicui ex justitia debentur, quæ tamen surripere non licet.

Quid cum superfluis agendum.

Opponunt ulteriùs, ergo nullus ascendere potest ad meliorem statum, cùm superflua debeant dare pauperibus. Deinde possent superflua illa reservari, danda Monasteriis, ædificationi templorum, &c. Resp. cùm superflua habeant suam latitudinem, dicimus quòd non omnia sint in eleëmosynas distribuenda. Unde aliqua superflua retineri possent, si ad statum meliorem verosimiliter prævideretur adscensuri, quod novos titulos essent consecuturi. Absit tamen ut superflua retineantur præcisè ad statum, per novos titulos pecuniâ superfluâ acquirendos, meliorandum: sic enim numquam alicui foret superfluum ut ante notavimus. Denique notandum est superflua illa primò danda esse pauperibus, qui sunt templa Dei viva, deinde templis mortuis, cùm Deo plus placeat misericordia, quam Sacrificium. Possunt ergo dari superflua pauperibus, & templorum ædificationi, cùm unum oporteat facere, & alterum non omittere. Verùm de hoc latiùs in sequentibus.

SECTIO XVII.

Quinam ad Eleëmosynam dandam sint obligati.

Dicendum primò, cùm eleëmosynæ largitio importet translationem dominii, sequitur quòd eleëmosyna danda sit ab alicujus rei Domino, ejusque

que libero administratore. Hinc mancipia sine expresso aut tacito consensu Domini, non possunt dare aliqua in eleëmosynam.

Dicendnm 2. uxor potest dare eleëmosynas de iis, quorum liberam habet administrationem: talia sunt bona paraphernalia, idest quæ supra dotem contulit, aut quæ labore suo & studio, ad quæ non tenebatur, lucrata est; quæ, etsi jure Cæsareo sint uxoris, in his tamen partibus ea bona sunt utrique communia, unde de his bonis, uti de aliis est judicandum. Potest tamen uxor de superfluis familiæ facere eas eleëmosynas, quales aliæ fœminæ similis conditionis facere solent. Item pro libitu suo, posset eas elargiri, si administratio familiæ ad eam principaliter pertineret, ut si vir sit amens, diu absens &c. nisi expressè hoc inhibuisset.

Dicendum 3. Possunt filii familias dare eleëmosynas de bonis suis Castrensibus, aut quasi Castrensibus, cùm illorum bonorum administratio & Dominium ipsis competat. Idem est de iis bonis, quæ illis dantur à parentibus ad honestam recreationem, & aliis, quibus implicitè censentur parentes consentire.

Aliud est de minorennibus & pupillis, qui sine consensu suorum Tutorum non possunt de suis bonis liberè disponere, etsi possint facere parvas eleëmosynas, sicut faciunt alii similis conditionis. Idem dic de prodigis illis, quibus Respublica Tutor est, & vocàmus *Urbis pueros.*

Dicendum 4. Superior Religiosus potest facere eleëmosynas de superfluis, juxta cujusque ordinis statuta. Imò ad hoc obligatur Superior Conventûs satis fundati & dotati. Superior enim, tamquam fidelis dispensator constituitur, ut primò suorum necessitatibus provideat, & superflua pauperibus eroget. Talis enim fuit fundatorum intentio, cui sese conformare tenentur. Unde graviter peccant, qui superflua, in vana & curiosa expendunt. Audi S. Bernardum similes arguentem in declamat: ad illud: *Ecce nos reliquimus*

 omnia,

omnia, *&c.* ubi ait: *Esto studiosè quis laboret, dignus est planè operarius mercede sua: ut qui altario servit, de altario vivat, ut juxta eumdem Apostolum, alimenta & quibus tegatur habens, his contentus sit. Tertium hoc ei periculum est: de altario, inquit, vivat: Non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur, nec contra Sancti cujusdam planè dignam omni acceptione sententiam, ex clericatu ditior fiat. Non sibi de bonis Ecclesiæ ampla Palatia fabricet mutans quadrata rotundis. Nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut superfluitate disperdat, nec extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut neptes (ne Filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sanè Patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum: & sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri & dispensatores non utique Domini vel possessores ultra victum accipiunt & vestitum.* Vide eumdem Epistola 42. ad Henricum Episc. Senonensem. De qua tamen praxi, satis suo tempore communi, ita loquitur in Psalm. *Qui habitat* Serm. 6. in fine. *Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia, in turpem quæstum & tenebrarum negotium transiere. Nec in his salus animarum, sed Luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant. Pro Episcopatibus & Archi-Diaconatibus, Abbatiis, aliisque dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut Ecclesiarum reditus in superfluitatis, & vanitatis usus dissipentur.*

Decentia status Ecclesiastici.

Hinc, sicuti sæcularium vitæ decentia, suos habet limites, ita & Religiosorum, maximè cùm fundatorum intentio sit primò suis providere de necessariis, sic ut superflua debeant dari pauperibus, nec in vana & curiosa sint expendenda. Nec de necessitate aut infortunio sibi metuant, cùm teste Patre nostro S. Noberto, Hospitalitatem in dies commendante, *Non possit domus aliqua egere, supra id, quod possit sustinere, quæ Hospitalitatem sollicitè studuerit observare.* Unde & S. Augustinus in regula: *melius*, ait, *est minus egere, quam plus habere.*

Hospitalitas commendatur.

Dicen-

Dicendum 5. Pastores tum regulares tum sæculares, tenentur quoque de superfluis dare eleëmosynam. De sæcularibus per se constat, cùm illi sint bonorum suorum liberi administratores. Regulares verò, etsi dum ad curas Parochiales destinantur, non sint aut fiant exempti à paupertatis voto: tamen de proventibus suis liberè disponunt, ac de superfluis eleëmosynas dare non tantùm possunt, sed & debent: Ratio est, quòd hæc quoque fundatorum Parochialium sit intentio, ut Pastores primò domui suæ de necessariis provideant, superflua verò pauperibus reddant. Unde & in Ordine nostrô, talis dispositio Pastoribus relinquitur, eo tamen excepto, ne notabilem quantitatem bonorum, amicis aut consanguineis elargiantur, quod statuta nostra prohibent, liberum tamen iisdem permittentes, elargiri sua ad pias causas. *Pastores possunt & debent dare eleëmosynas.*

Quin imò quòd Pastores principaliter curam pauperum gerere oporteat, cùm teste Zypeo in consultationibus Canon. l. 3. de Paroch. consult. 7. num. 1. apertum sit, quòd nemo tam ignarus sit veteris Historiæ, ut nesciat Templi & pauperum curam fuisse penes Sacerdotes & Levitas. Hinc bona pauperibus addicta, dicuntur esse *Patrimonium Christi*, cujus proinde dispensatio, tamquam quid spirituale, ad viros Ecclesiasticos pertinet. *Eleëmosynarum dispensatio est Ecclesiastica.*

Si verò Ædiles aut Magistri mensæ Spiritûs Sancti alibi adhibeantur, solùm illi secundariò & in subsidium adhibentur ab Ecclesia, partim ut videntes aliorum necessitates, promptiùs contribuerent; partim ut tamquam testes adhibeantur, quòd bona pauperum fideliter administrentur. Adde, quòd sæcularibus plerumque magis vacet, obire plateas, & eleëmosynas congregare quam viris Ecclesiasticis, principaliter divino cultui, & Templo obeundo intentis ac destinatis. Hinc tales Ædiles sæculares, sunt ad summum curatores & adjutores Parochorum, uti ex dictis constat. *Ad quid adhibeantur ædiles.*

SECTIO XVIII.

Quibus danda sit Eleëmosyna.

Quibus danda sit eleemosyna. DICENDUM primò, omni indigenti eleëmosynam esse dandam, sive ille justus sit, sive injustus, sive quicumque alius, cùm quilibet sit noster proximus, cui indigenti subvenire tenemur. Recensentur autem communiter pauperes triplicis generis, ut sunt omnino voluntarii, quales sunt ii, qui Evangelica consilia secuti, Christum sequuntur, amore perfectionis Christianæ omnia relinquentes, ut sunt Religiosi: alii sunt quidem in se involuntarii, sunt tamen voluntarii in causa, quales sunt indigentes ex eo, quòd laborare renuant, quo possent se à paupertate expedire. Alii denique sunt omnino involuntarii, uti sunt ii, qui contra suam voluntatem paupertatem subeunt, nec modum sciunt, quo possint se ab illâ eximere.

Religiosis etiam Monachis. Dicendum 2. Pauperibus voluntariis, ut sunt Religiosi, danda est eleëmosyna, cùm sint veri pauperes, & amore perfectionis Christianæ paupertatem voluntariè subeant: deinde, accedit eorumdem servitus, in Catechismis, concionibus, visitandis ægris, ratione quorum ipsis aliquid conferri potest per modum eleëmosynæ. Quod quoque locum habet in iis, qui profitentur vitam merè monachalem: etsi enim illi primitus labore manuum victum & amictum compararent: non erat labor ille tam ad eadem comparanda, quam ut ait S. Hieronymus, ut eos diabolus semper reperiret occupatos, ac aliis vitiis resisterent, dum otio resisterent omnium vitiorum matri ac fomento. Poterit tamen laudabiliter illis dari eleëmosyna, cùm sint verè indigentes & vicissim opera spiritualia aliis exhibeant, diu noctuque pro proximis Deum rogando.

Dicen-

Pauperes præferendi hic sunt extructioni templorum, &c.

Dicendum 3. pauperes in gravi necessitate constituti priùs sublevandi sunt, quam bona templis & monasteriis ædificandis elargienda, maximè si pauperes alicui sint sanguine juncti, & Ecclesiæ de cætero satis sit provisum. Constans hæc meritò laudatur S. Elisabethæ sententia, dicentis, plus curæ habendum esse templorum Dei vivorum, quam mortuorum. Hinc etiam S. Augustinus vasa dominica frangi & conflari jubebat, ut captivos redimeret, & pauperes recrearet, quos tamen non nisi in gravi necessitate fuisse, est vero simile. Idem fecit Ambrosius ab Augustino apud Possidonium in vita ejus laudatus c. 24. Acarius Episc. apud Socratem l. 7. c. 21. Cæsarius Arelat. apud Surium 27. Augusti. Unde & jus Canonicum c. 12. q. 2. capt. *aurum*, docet pietatem esse justam causam, alienandi bona Ecclesiæ, ut captivos redimerent, pauperes alerent, &c. Vide L. *Sancimus* 21. c. de Sacrosancta Ecclesia & Barbosam de jure Ecclesiæ l. 3. c. 30. numero 18.

Lubet audire S. Chrysostomum homiliâ 60. ad populum Antiochenum: ubi inter cætera ait: *Cùm vagus & peregrinus indigens tecti circumeat, tu verò eum prætermittens, suscipere, pavimentum ornas & columnarum capita, & argenteas quidem catenas ad lucernas suspendis, ipsum autem in carcere vinctum, ne vis quidem visere: & hæc dico, non prohibens in his gloriari, sed & hæc cum illis, quin potius ante illa commonens fieri.*

Quis Dei cultus sit nimius.

Objiciunt aliqui, quòd Deo nullus cultus, aut ornatus possit exhiberi nimius: unde Salomoni tam splendidum templum jussit sibi ædificari. Ad quæ Resp. etsi per se nullus cultus aut ornatus respectu Dei possit esse nimius, per accidens tamen potest esse talis, dum dato Deo, quod Dei est, ad pauperes vix attenditur, dum superflua suppetunt; quod & docet S. Bernardus apologiâ ad Guilielmum Abbatem, circa finem ubi ait. *O vanitas vanitatum, sed non vanior, quam insanior. Fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget. Suos lapides induit auro, & suos*

filios nudos deserit. De sumptibus egenorum, servitur oculis divitum. Inveniunt curiosi quod delectentur, & non inveniunt miseri, quo sustententur, &c. Vide eundem ibidem multa ad rem nostram adferentem: adde, quòd hoc casu non sit actus Religionis, sua bona monasteriis aut templis erogare, dum pauperes & maximè consanguinei suppetunt, cùm actus ille Deo non sit gratus, cui plus placet misericordia, quam Sacrificium. Unde familiare illud S. Augustini quod ait sermone 49. de diversis: *Quicumque exhæredato filio, Ecclesiam vult facere hæredem, quærat alium, qui suscipiat, non Augustinum, imò Deo propitio neminem inveniat.* Hinc multis egit ad Alipium Epist. 239. ut bona volentium ingredi clericorum in communi viventium communitatem, non reciperentur: imò quòd Leporium virum prædivitem ad communitatem recipere noluerit, nisi bona sua in pauperes distribuisset, de quo Baronius ad annum 409. Hinc etiam laudatur praxis illa variorum ordinum, alios sine respectu ad facultates recipiendi, dotatos satis, si communitati congruos & idoneos. Aliàs fit, quod aliquando maritatis evenit, qui opes ducunt, non uxores, & quod tandem infausta subsequantur.

Ad illud autem, quod de templo Salomonis obtendunt, Resp. cum D. Hieronymo ad Nepotianum: *Neque verò mihi aliquis opponat dives in Iudæâ templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola, &c. ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecorum erat redemptio peccatorum, hoc est, quando carnalis lex vigebat, quæ in præmium observationis suæ permittebat abundantiam rerum temporalium, & ideo congruebat illam ædificatione templi sumptuosissimi ostentari.* De cætero, *Deus non tam politis marmoribus, quam ornatis moribus delectatur: & puras magis diligit mentes, quam superauratos parietes*, ait S. Bern. ad milites templ. 5.

Nec ideò in universum omnem pretiosum orna-

tum

cùm in Ecclesiis damnare præsumimus, neque omnem elargitionem locis sacris factam, uti quidam causantur, quamvis immeritò. Potest etenim unum fieri, & alterum non omitti. Unde cum Eximio D. Joanne Molano l. 2.imag.c.40.in simili dicimus, quòd pretiosus ille ornatus minimè sit condemnandus, si illi, quorum interest, in casu necessitatis memores sint ejus, quod fecit Ambrosius, qui confregit vasa mystica, ut captivos redimeret; & ejus quod fecit Augustinus, qui propter captivos & quam plurimos indigentes de vasis dominicis quædam frangi & conflari jubebat, & indigentibus dispensari. Postremò ejus, quod dicit Bernardus, si propter materiale templum non permittant interire viva templa.

Dicendum 4. Pauperibus secundi generis rectè quoque datur eleemosyna, si ex bonâ intentione detur, puta ut proximo indigenti succurratur. Arceantur tamen à Republicâ plerumque tales ab eleëmosynis, quibus abuti solent ad suam & aliorum perniciem. Unde meritò talis hominum fæx, ut Reipubl. perniciosa, exilio sæpè relegatur, & si deprehendantur mendicare, carceri, radulatorio aut aliò destinantur. Debet tamen moraliter certò constare, eos posse & non velle laborare, ne eleëmosyna subtrahatur, cùm præstet misericordiam abundare, quam deficere. *Pauperes 2. generis.*

Dicendum 5. Pauperibus tertii generis, rectè quoque dari potest eleëmosyna, cùm sint verè indigentes. Indifferens autem est, sintne ii interni & concives; an verò externi, quibus eleëmosyna datur, etsi, quia ex promiscuâ exterorum & vagabundorum mendicatione, plurima incommoda nata sunt evenire, varia circa illos statutæ sint leges, quas videre quis posset in codice Belgico V. *Aelmoessen.* Quamquam concives cæteris paribus externis pauperibus sint præferendi, utpote nobis magis conjuncti. *Tertii generis.*

Dicendum 6. Non satisfacit præcepto eleëmosynæ, qui mutuando, vendendo dilatâ solutione, aliovè con- *Non satisfacit præcepto eleemosyna pauperi mutuans & c.*

contractu onerofo fuccurrit proximo extremè indigenti. Talis enim non ponit actum misericordiæ, qualis est eleëmosyna: nec aliàs fæpè obligaret eleëmosyna, cùm indigentiæ alterius tali viâ fatis poffet fubveniri. Hinc de eleëmosynario dicitur Pfalmo 111. *Difperfit, dedit pauperibus*, non mutuavit, vendidit, &c. Etfi autem mutuando, vendendo, &c. fatis poffit obtineri finis præcepti eleëmosynæ, qui eft fublevare inopiam proximi: hoc tamen minimè fufficit, ut præcepto eleëmosynæ fatisfiat: non enim præcepto alicui fatisfit quando poteft haberi finis præcepti. V. g. per cilicia & alias Mortificationes haberi poteft finis præcepti de jejunio, tamen ille non fatisfacit, fi negligat abftinentiam à cibis vetitis. Præcipitur ergo eleëmosyna, ideft actus misericordiæ, qualis non eft mutuum, venditio, &c. aliud effet, fi folius rei ufu fatis fubveniri poffet alterius indigentiæ, aut fi quis folùm in hoc loco indigeret, & in alio abundaret: tunc enim fatisfaceret quis mutuando, vendendo, &c.

Qui ficto paupertatis titulo eleemosynas corradunt, tenentur ad restitutionem.

Dicendum 7. Qui ficto paupertatis titulo eleëmosynas corradunt, tenentur illas reftituere. Ratio eft, quòd nullo prorfus titulo eas poffideant, & fit error in fubftantiâ actûs. Eleëmosyna enim non confiftit merè in pofitione rei in manu alterius, fed in manu indigentis, aliàs non erit actus eleëmosynæ. Securè autem reddi poteft ipfi domino, fi inveniri poffit, aliàs poffet reddi pauperibus, cùm eâ intentione illam à fe abdicaverit eleëmosynarius, ut cederet pauperibus, quæ intentio cenfetur moraliter perfeverare, nec effe retractata.

SECTIO

SECTIO XIX.

An de injustè acquisitis possit dari eleëmosyna.

Non debet dari eleëmosyna de injustè acceptis.

Dicendum primò, de injustè acquisitis, quæ etiamnum debentur alteri, ut sunt furto ablata aut rapinâ, non potest dari eleëmosyna. Debet enim eleëmosyna dari de bonis propriis, aut alienis ex commissione, qualia non sunt bona, quæ clamant Dominum, nec quorum administratio nobis est commissa.

Dicit quidem Salvator Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Ad quod respondet S. Aug. Serm. 85. de Verb. Domini, In hunc modum: *Intellectus ille corrigendus est, imò de tabulis cordis vestri omnino delendus est: nolo sic intelligatis; de justis laboribus facite eleëmosynas: ex eo quod rectè habetis, date.* Aliter hîc respondet Card. Bellarm. de arte moriendi l. 1. c. 5. ubi ait: *Quod autem in extremâ parabolâ Dominus dicit, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, non significat eleëmosynas esse faciendas de injustis divitiis, sed eleëmosynas esse faciendas de divitiis, quæ revera non sunt divitiæ, sed umbræ divitiarum.* Ita quoque exponit S. Cyprianus l. de opere & eleëmosyna: S. Aug. l. 2. qq. Evang. q. 34.

Aliud aliquando est de acceptis ex opere vetito.

Dicendum 2. de acquisitis ex opere illicito, quæ tamen Respublica in pœnam facit esse acquirentis, qualia docent esse acquisita ex opere meretricio, quod alibi permittunt, dari posset eleëmosyna. Cum enim bona illa, etsi opere illicito acquisita, fiunt alterius, de iisdem possunt liberè disponere, & dare eleëmosynam. Aliud est de aliis bonis ex opere illicito acquisitis, quod neque Respublica tolerat, neque datum in alterius potestatem transfert, qualia sunt acquisita ex adulterio, rapinâ, &c. Quæ probabilior sententia docet esse restituenda, nec transire in dominium illa ex tali opere acquirentis, unde de iis eleëmosyna da-

ri

ri non potest. Vide quæ dicentur de hac re agendo de dominio. Similia sunt bona, quæ nec licitè tenentur, nec licitè priori Domino redduntur, qualia sunt simoniacè accepta, quæ pauperibus restituenda sunt, ut communis docet opinio.

SECTIO XX.

De Intentione, quâ debet dari eleëmosyna.

Intentio dantis eleemosynam debita. DICENDUM primò, cum S. Chrysost. hom. 19. in c. 5. Matthæi, *Non enim tantummodò dedisse eleëmosynam, sed quemadmodum oportet, & propter hoc dedisse, virtutis est.* Unde requiritur debita intentio in dante eleëmosynam, ut virtuosè & meritoriè eleëmosyna concedatur. Modum autem illum dandi eleëmosynam exprimit Salvator Matth. 6. ubi ait: *Cum facis eleëmosynam, noli tuba canere ante te..... & nesciat sinistra tua, quid facia dextera tua.* Ad quod S. Augustinus tract. 6. in Ioan. Epist. per *sinistram* intelligit intentionem placendi hominibus, per *dexteram* intentionem placendi Deo, faciendi eleëmosynam propter Deum, ejusque gloriam. Noverat enim S. Pater, quòd licet quis omnes suas facultates distribueret in pauperes, charitatem autem non habeat, nihil prodesset. Quam Apostoli sententiam, etsi aliqui exponant de charitate proximi, eandem tamen exponendam & intelligendam esse de charitate Dei, probabo, agendo de contritione. Deinde actus eleëmosynæ est actus charitatis proximi, qui sine amore Dei esse non potest, sed debet esse propter Deum.

Danda est in abscondito. Alium modum eleëmosynam largiendi dedit Salvator, scilicèt ut fiat in abscondito, ne quod foris ostenditur, intus à mercede evacuetur. Deus enim qui videt in abscondito ejusmodi eleëmosynam remunerat.

Dicendum 2. Neque ideo culpandi sunt, qui in signum datæ eleëmosynæ, sua nomina aut insignia

rebus

rebus ex eleëmosyna extructis, inscribunt aut affigunt: cùm recta possit esse illorum intentio, ut alii videant eorum opera bona & glorificent Patrem, qui in Cœlis est: Provocent alios ad opera misericordiæ præstanda; ut illi, quibus eleëmosyna datur, ad gratitudinem admoneantur, &c. Omnia tamen ultimatè agendo propter Deum: Si alium finem cum exclusione hujus intendant: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Laudabiliter tamen alibi non permittitur, ut in sacris indumentis familiarum ponantur insignia, ne sub pietatis Religionisque specie, in res sacras mundanus fastus irrepat. Simile statutum habent constitutiones Clericorum regularium.

CAPUT SEPTIMUM.

Ce Correptione Fraternâ & de scandalo.

SECTIO PRIMA.

De Correptione Fraternâ.

DICENDUM primò, *Correptio Fraterna*, quæ & sæpè *correctio* dicitur à fine, correptionis, definitur à S. Thomâ. *Actus misericordiæ, quo quis subvenit necessitati spirituali proximi, enitens à peccati malo ad virtutis bonum revocare, per convenientem aliquem atque idoneum ad id Sermonem.* Sub *Sermone* comprehendi possunt scripta & alia quævis signa, ad admonendum proximum idonea. Patet hinc correptionem fraternam esse actum charitatis, cùm sit actus misericordiæ, & ejusdem virtutis sit procurare bonum, & amovere malum proximi. Quamvis à diversis virtutibus assumi possit & imperari, quatenus quis de diversis vitiis, diversis virtutibus oppositis quispiam corripitur. *Quid sit correptio fraterna.*

Dicen-

Est præcepta de jure divino naturali. Dicendum 2. Correptio Fraterna est in præcepto, ut patet ex hoc Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum, &c.* Item Eccli. 19. *Corripe amicum, corripe proximum* : Fundatur autem hoc præceptum in hoc primo naturæ principio: *Quod vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis* : Vellet autem indubiè quilibet à se averti malum spirituale, quod proinde aliis est faciendum. Adde, quòd honor & gloria Dei nos semper urgeat, ut ejus honori semper intendamus, quantum commodè possumus, quod fit per correptionem fraternam.

Materia correptionis. Dicendum 3. Omne peccatum & præsertim mortale, est materia correptionis fraternæ. Quòd mortale peccatum, sit propria correptionis materia, patet ex Matth. c. 18. ubi dicitur : *Si audierit te frater tuus, lucratus es fratrem tuum*, ergo jam antea perierat, utique per peccatum mortale. Ita S. Aug. Serm. 16. de Verbis Domini.

Etiam veniale. Peccatum etiam veniale est materia correptionis, maximè si sit occasio peccati mortalis, scandali, aut vergeret in detrimentum boni communis. Quin imò verior apparet sententia, quæ docet, quòd sub veniali etiam venialiter delinquentes sint corripiendi, si commodè quis possit : ratio est, quòd non impedire damnum temporale cum possis, quod tamen non est ita grave, sit peccatum veniale : ergo à fortiori, non impedire damnum proximi spirituale, etsi non ita grave, erit peccatum veniale. Deinde, licèt per peccatum veniale non pereat, diminuitur tamen per illud habitus charitatis, vel quoad fervorem, vel etiam quoad habitum, juxta ante dicta. Denique non semper abest, hic spes fructûs, præsertim in iis, qui perfectioni student.

Omnia mortalia. Dicendum 4. Peccata mortalia sive in Deum, sive in proximum, sive publica sive occulta, sunt quoque materia fraternæ correptionis. Quòd autem Scriptura Sacra solùm meminit peccati in se admissi, dum dicit, *Si peccaverit in te frater tuus*, tamen in hoc a majori

jori censetur meminisse peccati in Deum admissi. Adde, quòd omne peccatum in Deum commissum, etiam aliquo modo sit in nos, tamquam in Filios Dei, in quos offensa Patris suo modo redundat.

Neque ideò, dum corripimus peccata publica, sequentur graviora mala, ob quæ à Republicâ tolerantur, si audierint corripientem; neque ideò se quis opponit Magistratui: Quia si spes affulgeat, quòd corripientem audient, solummodo studeret aliorum emendationi, quod à nullo potest impediri. Nec ita publica peccata semper permittuntur, ut hucusque judicant aliqui.

Quandonam peccata futura. Dicendum 5. Etiam peccata futura possunt esse materia correptionis fraternæ, si periculum sit illud à proximo committendi. Etsi enim proximus nondum perierat, est tamen in periculo proximo pereundi, à quo periculo proximum liberare quilibet ex charitate constringitur, dum commodè potest.

Quomodò corrigendus qui peccat ex ignorantia. Dicendum 6. Quicumque videt, quòd proximus ex ignorantiâ mortaliter peccet, si sit spes fructûs, tenetur eum corripere, aut potius instruere, maximè si sine suo incommodo id possit. Si verò quis operetur malum ex ignorantiâ crassâ juris humani aut divini, si per admonitionem non speretur emendatio, non tenetur ad admonitionem: Excipe tamen casum, quo ex omissione correptionis sequeretur malum aliquod tertio, v. g. ex tali ignorantiâ doceret Hæreses, aut etiam si sit Superior, aut alium ex officio instruere teneatur, ut sunt Concionatores, Pastores, Confessarii, &c. Idem dic de iis, qui peccant ex ignorantia juris naturæ, maximè cùm juxta opinionem à nobis datam, nulla ejusmodi ignorantia sit invincibilis.

Qui verò ex ignorantia invincibili juris divini peccant debent admoneri, si sit spes fructûs, nec timeantur graviora mala: illa enim ignorantia est grande malum: cùm scientia eorum sit necessaria ad rectè vivendum, quod quilibet à se averti vellet, adeòque à proxi-

à proximo idem avertere debet, dum commodè potest. Deinde peccata materialia, quæ ex tali ignorantiâ sequuntur, per se dedecent naturam rationalem. Adde, quòd sæpè fit periculum peccatorum formalium, si v. g. inciperet ignorantia fieri vincibilis, quæ ante fuerat invincibilis. Ex eo autem, quòd jus humanum non cum tanto rigore obliget, etiam in eo jure non tanta occurrit obligatio ignorantem corripiendi. Unde si aliqua ratio occurrat non admonendi illum, cessare censetur ejus obligatio.

SECTIO II.

Quinam corripere debeant, & quinam corripi.

Superiores in primis debent corripere subditos.

DICENDUM primò corripiendi obligatio primariò spectat ad illos, qui alios ex officio tenentur instruere, ut sunt Pastores, Superiores, Parentes &c. Secundariò autem ad omnes omnino currit ea obligatio, cùm quilibet sit alteri proximus, quem corripere quilibet tenetur, dum occasio corripiendi occurrit, maximè cùm unicuique mandatum sit de proximo suo. Aliis tamen præ aliis magis principaliter adest talis obligatio, illis scilicet, qui aliis magis sunt conjuncti.

Superior non debet temere in subditorum vitia inquirere.

Dicendum 2. tenentur Superiores & Patres Familias, & alii quibus aliorum cura ex officio incumbit, in aliorum sibi subditorum vitam & vitia inquirere, non ut aliquid corripiant, sed ut eadem emendent, ait S. August. hoc tamen notandum est, non temerè in alicujus vitam esse indagandum, de quo constat, eum esse probum, cùm quilibet debeat præsumi bonus, donec probetur malus aut appareat eum esse malum. Ut autem Superiores efficaciùs corripere possint ejusmodi, obligantur se custodire innoxios, maximè ab eodem peccato, de quo alium corri-

corripiunt, ne cadat in eos illud axioma: *medice cura te ipsum.*

Omnes peccatores sunt corripiendi, dum spes emendationis adest.

Dicendum 3. omnes omninò peccatores, dum speratur emendatio, sunt corripiendi. Hinc etiam infideles peccantes, consuetudinarii, inferiores ac superiores sunt corripiendi. Quilibet enim cuilibet est proximus, quem spiritualiter indigentem proindè sublevare tenetur, si commodè possit. Quòd autem etiam superiores aliquando sint corripiendi, patet ex eo, quòd sint ii etiam nobis proximi, imò eo magis præ cæteris sunt illi admonendi, quo magis sunt diligendi, & quo malum aliquod in ipsis censetur gravius, quam in aliis. Deinde, cùm in periculo majori versentur, & plus carere soleant comite correptore, quam comite assentatore; etiam plusquam cæteri sunt admonendi superiores.

Etiam superiores.

Varias tamen volunt alii hîc adhibere cautelas, ne si bestia tangat montem, lapidetur: ac primò, ut superiorem corripiens sit spectatæ virtutis: secundò, ut ejus admonitio plus fiat rogando, quam objurgando. Tertiò, ne fiat publicè, nisi peccatum ejus, de quo corripitur, esset quoque publicum.

SECTIO III.

Conditiones requisitæ ad debitam correptionem.

Ut correptio rectè fiat requiritur ut moraliter certò constet de peccato.

DICENDUM primò, cùm præceptum, correptionis fraternæ sit affirmativum, non obligat, nisi occurrentibus certis circumstantiis, quarum prima est, ut moraliter certò tibi constet, peccatum à fratre esse admissum: unde non sufficit de eo dubitatio, aut quævis opinio probabilis; cùm enim correptio sit odiosa, meritò conquereretur proximus se corripi de delicto, cujus est insons, ac de alterius judicio temerario. Adde, quòd in dubio semper standum sit, pro innocentia alterius.

Vt sit spes emendationis. Secunda conditio est, ut sit probabilis spes emendationis. Aliàs enim foret correptio inutilis, & similis esset corripiens medico, qui daret portionem amaram ægro, quam tamen nosset non profuturam. Unde si prudenter timeatur, quòd proximus eâ correptione excitabitur ad mala graviora, cessabit lex de corripiendo. Idem esse solet, de consuetudinariis, peccatoribus publicis, &c. In quorum admonitione sæpè deest spes emendationis, ratione cujus ab illorum admonitione sumus liberati.

Quid agendum in dubio spei & timoris. Si verò sit dubium, an profutura sit correptio necne, tenet corripiendi obligatio, si de cætero non timeantur incommoda: quorum si sit probabilis timor, meliùs omittetur correptio, cùm in omissione ejus sint minora & pauciora mala timenda, quam in eâdem adhibendâ; cùm omittendo solùm manebit in suo peccato proximus; si verò adhibeam correptionem, addet forsitan plura & graviora. Aliud esset in ultimo vitæ, in quo casu præstat eum cum aliquali spe salutis corripi, quam ex voluntate ejus pravâ graviùs damnari. Si verò proximus sit initio futurus pejor, postea tamen sit emendandus, & hoc certò sciam, tenebor eum corrigere, si verò illud ignorem an postea emendabitur, à correptione erit abstinendum, ob timorem quòd ex ea fiet deterior. Hoc tamen notandum, sæpè corripiendum esse, etiamsi non speretur in proximo emendatio; sic blasphemi, proditores & similes admonendi sunt, etiam sine spe emendationis, quia ad hoc nos obligat honor Dei debitus, bonum Reipublicæ, &c.

Debet fieri tempore opportuno. Tertia conditio est, ut fiat correptio tempore opportuno: correptio enim, quæ uno tempore prodest, alio tempore oberit. Hinc consultum, non illicò post admissum peccatum, quamdiu durat passio, alium corripere, nec aliis præsentibus, sed in secreto, & alterius animo jam moderato.

Vt sit necessaria. Quarta conditio est, ut sit necessaria correptio: tunc autem censetur esse necessaria, dum non est

alius

alius, qui corriget, nec sit alia via ipsum deducendi ad emendationem. Si enim probabile sit, quòd vel per se, vel per alium proximus emendabitur, cessat obligatio corripiendi.

Ex dictis sequitur plebeos sæpius ad corripiendum non esse obligatos, eo quòd prudenter præsumere possint, se suâ correptione vix aliquid profuturos. Idem est de scrupulosis, qui ab hac obligatione sæpè liberantur, ob grave damnum, quod timetur, puta continuas anxietates conscientiæ & alia. *Vix plebei ad correptionem obligantur, & quare.*

SECTIO IV.

Ordo Correptionis Fraternæ.

Dicendum primò, ordinem hunc assignat Christus Matthæi 18. ubi ait: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum, inter te & ipsum solum: Si te audierit lucratus es fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus.* *Quo ordine fieri debeat correptio.*

Hinc primò sequitur; ordinem hunc esse juris naturæ, quod dictat, ut cum minimo famæ proximi dispendio fiat correptio, quod fit hoc ordine servato. Primò enim corripiendus est proximus inter te & ipsum solum, nam ut ait S. Hieron. in c. 18. Matth. *Corripiendus est Frater seorsim, ne si semel pudorem ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato.* Hoc autem, observandum est, si peccatum fratris sit occultum; nam si sit publicum, cessat finis, ob quem correptio debeat fieri in occulto, scilicèt, ut quantum fieri potest, consulatur famæ proximi, quæ jam inde perdita est. Deinde, si alii viderint, publicè peccantem manere indemnem, facilè scandalisabuntur: Unde de iis ait Apost. 1. Tim. 5. *Peccantes* (publicè) *coram omnibus* *Inter 4. oculos.*

 argue.

Publici peccatores sunt publicè arguendi. *argue.* Idem dic de peccato occulto quidem, sed quod vergit in damnum tertii. Ratio est, quòd minor cura sit habenda proximi peccatoris famæ, quam boni innocentis tertii. Unde si quis occultè Hæreses spargeret, aut occultè tractaret pro urbe tradendâ, poterit absque prævià secretâ admonitione denuntiari. Nec refert quòd Apostolus dicat, *Hæreticum hominem post unam aut alteram monitionem devita*; Cùm alloquatur hîc Episcopum Titum, qui præviè hominem Hæreticum admonere debet, antequam eumdem ut vitandum rejiciat.

An possit quis cedere suo juri ad suam famam. Idem dicendum de casu, quo quis in illud consentiret, ut sine monitione prævià peccatum suum superiori denuntietur, qualis praxis dicitur esse in Societate Jesu, posset enim homo, qui est Dominus suæ famæ, in hoc consentire, maximè ratione boni alicujus spiritualis, quod ex hoc casu expectari posset. Quæri hîc posset, an dicta constitutio Societatis esset licita, seclusâ renuntiatione juris ad famam? Resp. Quidam etiam generaliter dictam Constitutionem Societatis condemnarunt, tamquam planè injustam, quam sententiam ut probabiliorem secuta est Academia Salmanticensis anno 1627. teste Hieron. Rodrí. compendii qq. Reg. resolut. 36. Ratio eorum est, quòd etsi homo sit Dominus suæ famæ, & proinde ob aliquod bonum possit in ea pati aliquod detrimentum: Quia tamen præceptum correptionis naturale ac divinum, non solùm respicit famam proximi, ut quam minimè lædatur, sed etiam attendit bonum correptionis, puta ut convenientiùs fiat, & pacem communem procuret, rixas devitet & alia damna & incommoda, quæ ex tali manifestatione criminum oriri solent: Sequitur, quòd quilibet privatus non possit cedere juri ad famam in dicto casu. Addunt insuper, quòd sæpè superior sit minùs aptus ad emendandum, quam alius particularis, tum quòd superior sit illitteratus & peccanti minus bene affectus: Quo casu volunt non esse licitum omissâ privatâ correptione, procedere

cedere

cedere ad inutilem privatam denuntiationem. Ita aliqui. Verùm alii veriùs docent talem constitutionem esse planè licitam, maximè cùm statutum illud ut & alia ejusdem Societatis approbata sint à Gregorio XIII. prohibente ne eadem statuta quis impugnare audeat, etiam causâ indagandæ veritatis, idque sub excommunicatione.

Seclusâ tamen eâ renuntiatione juris ad famam, docet P. Amicus etiamnum licitam esse talem constitutionem Societatis, maximè ob ingens bonum Religionis, quod ex eâ constitutione consequitur, aut speratur, quod prævalet bono privati, quod ex conservatione famæ apud Prælatum potest expectari. Resp. Tamen seclusâ tali renuntiatione juris ad famam, tale statutum fore illicitum: Cùm enim lex illa correptionis sit generalis & omnes omnino obliget, sequitur quòd non possit descendi ad secundam vel tertiam monitionem in Evangelio præscriptam, omissâ primâ secretiori, sine injuria fratris, qui jus habet ad suam famam, quod dicto modo violatur. Deinde expressè docet S. Thom. 2. 2. q. 33. a. 7. ad 5. Prælato non esse obediendum, dum aliquid præcipit contra jus divinum, quod hoc casu fieret. Neque dici potest, aliquando licitè præcipi aliquid à Superiore, si gravis necessitas illud suadeat, aut ob majus bonum, uti prætendit P. Amicus, quiaècontra ex tali privatâ delatione, omissâ secretâ monitione, nata sunt in communitate oriri plura incommoda, quam sperari commoda, dum vident subditi omnia sua delicta occulta, nota esse Prælato, dum amissâ famâ liberiùs peccant, unde odia, rixæ, invidiæ, detractiones, judicia temeraria, &c. Denique, cùm Superior non sit Dominus famæ subditorum, non potest absolutè seclusâ renuntiatione juris naturalis ad famam, sine injuriâ subditi velle, ut occulta ejus delicta ad se immediatè deferantur, dum speratur correctio per secretam admonitionem.

Restat inquirendum, quomodò Religiosus possit cedere illi juri naturali, cùm illud sit planè invariabi-

 le

le & indispensabile, uti diximus agendo de legibus. Ad quod respondemus, talem constitutionem non variare nec dispensare in jure divino naturali, sed solùm invariare ejus legis materiam: cùm denuntiatio facienda Prælato ante secretam monitionem, quæ tali jure prohibetur, solùm illa intelligatur, quæ fit invito delinquente nec juri suo renuntiante, cùm sit illi eo casu injuriosa, quod factâ renuntiatione dictâ absolutè cessat, nec ulla fit renuntianti injuria.

Quare testes sint adhibendi.

Dicendum 2. Si peccatum fratris sit occultum, nec correptus occultè emendetur, possunt adhiberi testes, non tantùm peccati conscii, ut volunt aliqui, sed & peccati inscii: Quamvis autem hoc casu fiat aliquod detrimentum famæ proximi, tamen hoc nihil obstat, cùm sit major cura habenda conscientiæ proximi, quam famæ ejusdem, si utrumque haberi nequeat. Neqne hac inductione testium proximus infamatur, cùm non dicatur peccatum ejus animo infamandi, neque illi, cui dici non possit, quod tamen ad formalem infamationem requiritur.

Rationes autem, quare testes sint adhibendi, sunt, primò quia hâc ratione potest correptus illorum ore convinci, si neget se fecisse peccatum. Secundò si neget se illud fecisse, possit à testibus observari, si iteret. Tertiò Si postea denuntiandus sit, possit denuntians testari se fecisse suum officium. 4. ut monitio plurium sit ad emendationem efficacior.

Posset sine testibus dici superiori ut testi & patri, non ut judici.

Dicendum 3. Si proximus neque secretâ admonitione, neque testium adhibitione factus sit melior, sive non sit emendatus, deferendus est Ecclesiæ id est superiori quâ tali, quem si non audierit, sit tamquam Ethnicus & Publicanus. Dixi *qua tali*, quia verius videtur, posse proximum secretâ admonitione non emendatum, sine adhibitione testium prævia, deferri superiori, non ut Judici, sed ut Patri & testi, maximè si superior sit vir pius, nec contra alium præoccupatus. Probat hoc S. Augustinus in regula, ubi ait. *Sed antequam aliis demonstretur per quos convincendus*

cendus est, si negaverit, prius præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi. Vult ergo S. Præsul, post admonitionem secretam proximum non emendatum Superiori vel Præposito, ut testi & privatæ personæ esse ostendendum, idest denuntiandum, idque ut ait *antequam aliis*, idest testibus, *per quos convincendus est, si negaverit, demonstretur.* Hinc quando idem ibidem ait: quòd prius debeat alteri vel tertio demonstrari, antequam Præposito indicetur, considerat Præpositum ut talem, sive ut judicem.

Dicendum 4. debet in corripiente adesse bona & recta intentio, ut proximi bonum procures, & ejus malum impedias, non ut idem infametur, ut bonum ejus impedias, quod sub correptionis specie sæpè palliat invidia & ambitio, ita ut sæpè falsa pro veris deferantur. Unde S. Augușt. serm. 16. de verbis Domini, ità rogat: *Quare tu illum corripis? quia tu doles, quòd peccaverit in te? absit. Si amore tui id facias, nihil facis, si amore illius facis, optimè facis.* Præstaret ergo, quòd superior tales delatores rejiceret, si desideraret requiem & subditorum amorem, nam ut ait Scriptura Sacra Eccli. 28. *Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem.* *Intentio corripientis debita.* *Delatores detestandi.*

SECTIO V.

Quid, & quotuplex sit scandalum.

Dicendum primò, *scandalum* nihil est aliud, quam dictum vel factum minùs rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. Sub *dicto* & *facto*, comprehende eorum omissiones. Dicitur quoque præbens *occasionem*, non *causam*, ut significetur, voluntatem à causâ externâ ad peccatum impelli non posse, nisi ipsa consentiat. *Quid scandalum.*

Dividitur scandalum in activum & passivum. *Activum* est, jam jam definitum. *Passivum* est, ruina spiritualis, *Activum & passivum.*

ritualis, sive peccatum, in quod alter inducitur, quod non semper scandalo activo conjungitur, si scilicèt alter constans, ex malo alterius exemplo non cadat, vel non accipiat occasionem ruinæ spiritualis.

Occasio directa & indirecta. Potest autem tripliciter quis alteri præbere occasionem ruinæ. Primò *directè* & *formaliter* intendendo ruinam alterius, quod propriè diabolicum est. Secundò, *directè* quidem, sed non *formaliter* intendendo alterius malum, v. g. si alterum inducam in luxuriam, non quia illa mala est, sed quòd ex illa lucrum recipiam. Tertiò *interpretativè* & *indirectè*, quando alterius malum quidem non intendo, sed tamen talem actionem pono, ex quâ prævidere possum & debeo alterum esse casurum.

Ex ignorantia, passione & malitia. Aliud quoque est scandalum ex infirmitate seu passione, aliud ex ignorantia, aliud denique ex malitia seu pharisaïcum.

Ex *infirmitate* est, quod merè ex impulsu concupiscentiæ contingit: v. g. si quis ex aspectu speciosæ mulieris inducatur ad libidinem.

Ex ignorantiâ est, quod contingit ex ignorantiâ ejus, quod opus cohonestat. v. g. videt quis aliquem in quadragesimâ comedentem carnes, ad quod ille habet licentiam, quam alter nescit: & ex illo exemplo perducitur ad idem faciendum.

Ex malitia seu *pharisaicum* est, quod oritur merè ex alterius malitiâ, seu quod nullâ passione, aut ignorantiâ aut occasione externâ malâ, sed solâ voluntatis malitiâ contingit.

Scandalum est speciale peccatum. Dicendum 2. Scandalum activum est speciale peccatum, à peccato in quod inducit: deinde contrahit malitiam ejus peccati, in quod inducit. Probatur prius, quia qui alterum inducit ad peccandum, peccat contra charitatem proximi, idque verum est, sive directè id fiat, sive indirectè, quia indirecta intentio sufficit, ut constituat speciale peccatum. Probatur posterius, quia omnis virtus prohibet alteri da-

ri occasionem etiam indirectè, oppositi vitii, adeoque peccat contra virtutem hoc prohibentem. Deindè, qui alium inducit ad peccatum, est quoque causa moralis talis peccati, adeoque tali peccato peccat.

Objiciunt hîc aliqui, ergo qui vel indirectè alium induxit suo exemplo ad furtum tenebitur ad restitutionem, cùm peccarit peccato furti. Resp. negando sequelam, & dico sæpè peccari contra justitiam, ubi tamen non occurrit obligatio restitutionis, maximè si vitium illud tantùm reductivè spectet ad injustitiam, & quando læsus non habet jus obligandi aliquem ex eâ actione malâ. v. g. sit aliquis, qui inducit alium, ut sibi det ad usuram: Inducens procul dubio peccat contra justitiam, non quòd sibi ipsi volens injuriam faciat, sed ideò, quòd alteri occasionem præbeat, inducendo ut tibi injuriam faciat. Nec ideò inferri potest, quòd consulens alteri furtum, non teneatur ad restitutionem, eo quòd etiam indirectè tantùm furto coöperetur. Consulens enim furtum directè vult alterius damnum & aliorum furtum, adeoque authorem furti principalem se facit. Aliud est in eo, qui malo suo opere ad furtum alium inducit, etsi enim occasionem ejus det, tamen non est ejusdem causa efficax, sed solùm occasio. *Sæpe peccatur contra justitiam, etsi non sit obligatio restituendi.*

Dicendum 3. Ex dictis patet, quòd in Confessione debeat exprimi peccati species, in quod alterum tuo malo exemplo, induxisti; nec sufficiat dicere, dedi scandalum peccati mortalis, cùm malitia peccati, in quod inducitur, contrahatur à scandalisante. Etsi secundùm sententiam veriorem, etiam circumstantiæ graviter aggravantes, etsi speciem non immutent, sint in confessione exprimendæ, de quo postea.

Dicendum 4. Dum quis paratus est facere duo mala, licèt sine peccato scandali consulere, ut faciat minus malum, saltem conditionatè; sic Apost. 1. cor. 7. suadet Corinthiis, ut vitent malum fornicationis, & cognoscant uxores solâ voluptatis causâ, quod peccatum est veniale, prout ex S. Augustino docebitur in *Licet suadere minus malum parato facere majus malum.*

materia

materia de matrimonio. Deinde dictam sententiam apertè tradit S. August. l. 2. de adult. conjugiis, ubi ait: *Si enim facturus est, quod non licèt; jam faciat adulterium, & non faciat homicidium, ut vivente uxore alteram ducat, & non humanum sanguinem fundat.* Idem docet Epiph. l. 2. contra hæres. hæresi 61. Chrysost. hom. 27. ad populum Antioch. Ratio hujus est, quòd eo casu, non ita suadeatur minus malum, quam dissuadeatur majus malum. Adeòque non fit malum, ut eveniat bonum: sed datur prudens consilium, quale ab amico deberet expectari. Neque inde sequitur, quòd illud minus malum exequens, non peccet, eò quòd consulens non peccet; quia hæc solùm sequuntur, ubi consilium est absolutum & non conditionatum, idest, si alterum malum facere velit. Quin imò, quidam dicta etiam intelligunt, etsi alter de malo illo minori non cogitaret, quod suadetur; quod probant exemplo Loth, qui ut Sodomiæ crimen hospitibus à conjuratis Sodomitis inferendum averteret, obtulit filias suas iis stuprandas, quam oblationem à peccato excusant S. Ambros. l. 1. c. 6. de Abraham, D. Thomas q. 1. de malo a. 5. ad 14. & alii.

SECTIO VI.

De variis, qui coöperantur malo alterius.

Non licèt domum elocare meretricibus.

DICENDUM primò, peccant mortaliter, qui domos suas elocant meretricibus. Ratio est, quòd tali elocatione dent occasionem ruinæ, tum meretricibus, tum accedentibus ad eas. Deinde, accedit judicium sæcularium honestiorum, qui id nefas esse existimant, neque hoc casu licitum elocare domos. Nec dici potest, eos jure suo uti; quia ad hoc jus non habent; deindè sub mortali aliquando à jure suo est abstinendum, v. g. ut evitem ruinam proximi. Et quamvis alibi habitarent, hoc nihil excusat, cùm necesse

cesse sit, ut eveniant scandala, væ tamen est homini illi, per quem scandalum venit.

Aliud esset, si domus non ita commodè aliis posset elocari, v. g. si sita foret in plateâ meretriciâ, vel dudum in eâ domo meretrices habitassent, nec vellent honestiores in eâ habitare, tunc cum magno suo incommodo, non tenetur quis alterius malum impedire. Cavendum tamen ne domus meretricibus cariùs elocetur, cum illam majorem caritatem nullo justo titulo exigere quis possit aut recipere.

Dicendum 2. peccant famuli & famulæ signantes locum concubinæ, domino suo, deferentes ad eam litteras vel internuntia, ut eam ad venerem excitent, dicentes concubinæ, Dominus meus ad te de nocte veniet, &c. Dominus enim illis actionibus, absolutè peccat, ergo & alii eisdem actionibus coöperantes, uti sunt hîc famulus & famula. Deinde peccant omnium judicio lænones, qui meretrices adolescentibus procurant; ergo etiam dicti famuli, cùm nihil faciant, nisi lænonum officia meretricem procurando. Deinde, qui procuraret Domino suo venena, indubiè peccaret: ergo multò magis, qui eidem procurat venena spiritualia. Debent ergo similes famuli, etiam cum damno suo & incommodo, Dominos dictos deferere, & sese aliis elocare: præstat enim monoculum etiam ad vitam ingredi, quam duos oculos mitti in gehennam ignis, quare etiam oculus, pro vita spirituali amittendus est, idest, res sibi aliàs charissima. Unde & subsequens propositio ab Innocentio XI. est proscripta: *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum adscendere per fenestras adstuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile coöperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

Famuli peccant subservientes dominorum libidini

Lænones

Dicendum 3. Peccant caupones & tabernarii, parantes cibos vetitos nolentibus jejunare, eo quòd hoc

sit

ſit clarè coöperari peccato alterius. Nec refert, quòd alii idem facerent, quia neceſſe eſt, ut veniant ſcandala; væ tamen homini illi, per quem ſcandalum venit. Sic etiam, ſi prævideam, quòd alius ſe veneno occidet, non poſſum illi illud vendere, etſi alius ſit, qui idem vendet.

Materialis coöperatio peccati. Dicendum 4. Licitum tamen eſt quandoque coöperari materialiter alterius peccato, quando juſta cauſa ſubeſt, uti ſi alterius peccatum impedire non poſſis aut debeas, ſi actio tua ſit indifferens, &c. Videndum tamen ad gravitatem cauſæ & gravitatem delicti, & juxta illud, quod præponderat, erit disjudicandum. Sic Parochus poteſt dare Euchariſtiam occulto peccatori publicè eam petenti; ſic poteſt moribundo conſuetudinario, Hæretico, &c. dare abſolutionem, conjux tenetur reddere debitum uxori caſtitatis voto adſtrictæ, ſi petat, eo quòd ſit rationabilis cauſa, peccata alterius permittendi, & ſolùm eſt coöperatio materialis alterius peccato, non itidem formalis.

Feminæ laſcivè ſe ornantes peccant mortaliter Dicendum 5. Peccant mortaliter mulieres laſcivè ſeſe ornantes, prout ſunt eæ, quæ vel ex parte ubera ſua detegunt, & mediâ parte nuda publicè oſtentant. Ratio eſt, quia præbent occaſionem ruinæ tali ornatu, ideſt laſciviæ. Deinde ſecundùm omnes peccant mortaliter, qui pingunt picturas inhoneſtas, eo quòd illas adſpicientes ad libidinem excitare, natæ ſint: Ergo eo magis talis ornatus, cùm magis, quam tales picturæ, tali fini ſubſerviat. Neque hic ullus titulus, vel conſuetudinis vel libertatis, vel alius quiſpiam poterit excuſare, uti mox videbitur.

SECTIO

SECTIO VII.

Referuntur falsi prætextus, peccatum scandali permittendi.

DICENDUM primò, jus libertatis propriæ, absque alio incommodo, non potest esse causa sufficiens, scandali admittendi. Ratio est, quòd quandocumque de lege aliquâ certò constat, tunc obligatio ipsi libertati est imposita. Cùm ergo lex charitatis vitandi scandali sit certa: obligatio ejus libertati censetur imposita. Deinde, aliàs nulla omnino lex obligabit, cùm omnis lex sit libertati imposita, eique odiosa. Unde clarè patet, quòd jus solius libertatis non excuset, sed alia insuper requiratur justa causa. *Non excusat hìc jus libertatis.*

Dicendum 2. Nec consuetudo patriæ est titulus sufficiens, ad peccatum aliquod in se vel in proximo permittendum. Quasi vero leges naturæ, divinæ & humanæ, consuetudini flagitiosorum hominum cederent; unde Dionys. Carthus. de non dando scandalo, in directorio vitæ nobilium art. 15. docet, quòd illud omne, quod contrariatur bonis moribus, Scripturis, seu juri divino, sit corruptela, non autem bona consuetudo, imò sit *Tantò vitiosius, quantò consuetiùs*. Pulchrè idem docet Tertull. de velandis Virg. ubi in initio ait: *Ostendam Virgines nostras velari oportere, ex quo transitum ætatis suæ fecerunt. Hoc exigere veritatem docebo, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinium personarum, non privilegia Regionum. Ex his enim ferè consuetudo initium ab aliquâ ignorantiâ, vel simplicitate sortita in usum, per successionem roboratur, & ita adversùm veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit. Si semper Christus, & prior omnibus æquè veritas sempiterna & antiqua res est.* Rectè proinde cum Cypriano Epist. 73. ad Jubajanum hic dici posset, *frustra quidam, cum ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consue-* *Nec mos patriæ.*

consuetudo sit major veritate. In simili casu dicebat S. Bernardinus tom. 3. Serm. 35. p. 1. p. *Nec valet dicere, ita est consuetudo Paduæ, quòd feminæ vadant caudatæ & cum capillis alterius, quia non est bona excusatio, nec est consuetudo approbata, sed corruptela.*

Nec intentio indeterminata.

Dicendum 3. Neque excusantur à scandalo, eo quòd tantùm indeterminatè alteri præbeant occasionem ruinæ. Hinc aliqui excusant puellam quæ vanè se ornat, videntem quòd alicui in confuso, suo ornatu erit peccandi occasio, dummodo non sciat in particulari, aliquem suo ornatu in peccatum lapsurum: sed planè infundatè. Sicut enim, qui vult peccatum aliquod mortale committere, etsi illud sit indeterminatum, peccat tamen mortaliter: Ita etiam, qui aliquem indeterminatum, ad peccatum perducit, omnino peccat. Quòd enim illum, quem ad peccatum trahit noscat, nec ne; est planè indifferens: Unde Lactantius l. 3. de divinis institut: c. 5. *nihil interest*, ait, *quo animo facias, quod fecisse vitiosum est: quia facta cernuntur, animus non videtur.* Et S. Thomas in Epist. ad Timoth. *ornatus*, ait, *provocat* (ad libidinem) *non intentio.*

Nec spes utilitatis spiritualis.

Dicendum 4. Neque ob spiritualem utilitatem, scandalum est admittendum. Hinc ait S. Bern. Epist. 82. *Libenter carebo quantolibet etiam spirituali quæstu, qui non potest acquiri, nisi cum scandalo. Ubi enim scandalum, ibi procul dubio charitatis est detrimentum: Ubi autem diminutio charitatis, miror, quod vel quale possit, spiritualis exercitii sperari lucrum.* Non possunt tamen propter scandalum omitti opera ad salutem necessaria, cùm nemo debeat peccare, ut alium à peccato liberet: Hinc Innocent. capt. 2. *De novi operis denunt. illa opera*, ait, *quæ sine peccato mortali omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo dimittenda, neque ea debent pro vitando scandalo committi, quæ sine mortali peccato committi non possunt.* Bona tamen spiritualia ad salutem non necessaria, aliquando omitti, aliquando differri possunt ob scandalum pusillorum, non item ob Pharisaicum.

risaïcum. Ratio est, quia hoc condonandum est alterius infirmitati, non item alterius malitiæ est consulendum. Quin imò, quòd præcepta affirmativa juris positivi cedant, ut scandalum pusillorum evitetur, cùm præceptum de non dando scandalo sit naturale, quod consequenter legi positivæ præponderat. Sic docent, quòd mulier quæ sciret suo aspectu in Ecclesia aliquem lapsurum, ex peccato, quod aperit in confessione aliquem confessarium casurum: non tenetur audire sacrum vel integrè confiteri, cùm lex naturalis vitandi scandali proximi, præponderet legi positivæ de audiendo sacro vel integrè confitendo.

Dicendum 5. Infundatè excusant mulieres lascivè se ornantes, maritatas quidem ut placeant viro, liberas autem, ut sponsum acquirant. Generaliter enim verum est, quòd non sint facienda mala, ut eveniant bona. Deinde, priorem causam à maritatis falsò prætexi, declārat S. Chrysost. homiliâ 10. in Epist. ad Coloss. ubi ait: *Quid ornaris? dic quæso. Ut viro placeas? Igitur domi hoc facias. Hîc verò contrarium fit, scilicèt domi summa incuria, si foras itur, annus est, dum comuntur.* Si *autem proprio vis placere viro, aliis ne cura, ut placeas, si verò aliis placere vis, non potes placere tuo.* *Nec ut maritis placeant, aut eos venentur.*

Ad alias resp. quòd lascivus ornatus, non sit medium ordinatum ad medendum incontinentiæ. Tali enim ornatu, plus à Matrimonio juvenes arceri, experientiâ constat; nec in onere Matrimonii tactus & aspectus carnales quærent, dum hæc extra Matrimoninm concedunt puellæ.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

De Bello & Duello.

SECTIO PRIMA.

Quid Bellum, & quotuplex.

Bellum quando sit licitum

DICENDUM primò de fide est, bellum certis conditionibus vestitum, esse licitum. Est contra Manichæos, qui docebant peccatum esse, bellum gerere. Ita contra Lutherum & Erasmum, quorum prior peccatum docebat, bellare contra Turcas, cùm hoc sit Deo repugnare, qui per illos visitat iniquitates nostras: posterior autem ait in lege veteri Judæis quidem permissum fuisse bellum; tamen in lege gratiæ esse illicitum. Contra quos probatur conclusio. Primò enim Genesis 14. Abraham bellum gessit, & victor redux à Melchisedech est benedictus, de cujus belli justitiâ vide S. Ambr. de Abraham c. 7. & 8. deinde Deus sæpè jussit Israëlem bellum movere contra Amalec, Madian; laudat viros bellatores, & Sampsonem, Gedeonem, &c. Item in lege novâ Joannes Lucæ 3. rogatus à militibus, quid facere deberent, si ad vitam vellent ingredi: respondit Joannes *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & estote contenti stipendiis vestris.* ad quod S. August. *quibus* ait, *proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit.* Deinde Christus ipse Matth. 22. dixit reddenda esse tributa Cæsari, quæ dantur ad bella gerenda. Denique Ecclesia sæpè hortata est Principes Christianos ad bella movenda, quibus adde & rationem, quòd vim vi repellere servato moderamine inculpa-

tæ

tæ tutelæ, sit licitum jure naturæ: adeòque bellum defensivum saltem est licitum, si adhibeatur debitum moderamen. Cùm verò principi incumbat populum liberare ab injuriâ, latrociniis, &c. Rectè etiam bellum offensivum erit licitum, cùm ad illa præpedienda bellum hoc aliquando sit necessarium. Quòd verò Christus jubeat nos non resistere malo, & dicat, quòd qui arripuerit gladium, gladio peribit: item quòd arma nostra juxta Apostolum non carnalia, sed spiritualia sint, nihil dictis obest, cùm solùm intentione Christi ille gladio peribit, qui privatâ authoritate gladio utitur. Deindè agit Apostolus de armis, quibus Diabolum oppugnamus, quæ indubiè spiritualia sunt; vel etiam alloquitur viros Ecclesiasticos, quorum arma spiritualia esse debent, qualia sunt excommunicatio, suspensio &c. Hoc tamen quoque notandum est, quòd bellum sæpè taxetur, imò ab Ecclesiâ aliquando sub gravi pœnâ sit interdictum, non præcisè ratione belli, sed quòd hoc non conveniret aliquorum statui: vel quòd debitis conditionibus non esset vestitum; vel quòd principes illi, qui bellum movebant, essent idololatræ, schismatici aut alii, qui Christianos bella gerentes cogebant ad idololatriam. Nec verum est, quòd bellare sit contra charitatem, quin potius sit ad eandem via, & illa, quæ bellum comitantur mala, fiunt merè per accidens, nec bella inseparabiliter concomitantur. Falsum quoque est Lutheri fundamentum, bellare enim non magis est repugnare Deo, quam sit mederi pesti & aliis morbis, quibus Deus nos solet visitare, in castigationem vel emendationem.

Quod bellum ab Ecclesiâ sit taxatũ.

Dicendum 2. Prima conditio gerendi bellum est legitima authoritas, qualis est in Principe non habente in temporalibus sibi superiorem, vel etiam in Republicâ liberâ, quæ talem superiorem non habet, aut de ejus consensu, consuetudinem obtinet bella indicendi. Bellare enim, spectat ad justitiam vindicativam, quæ propriè penes superiores residet. Dico *Superiorem*

Requiritur ad justum bellum authoritas legitima.

in temporalibus : Quia, etsi Reges & alii Principes Pontificem habeant superiorem, tamen hoc solùm est in spiritualibus, nec propriè aut directè in eos Pontifex habet jurisdictionem temporalem, sed solùm indirectè, quatenus hoc ad finem spiritualem est necessarium. Et hæc de bello offensivo, cùm quilibet jure naturæ etiam privatus sese liceat defendere, servato debito moderamine.

Iusta causa. Dicendum 3. Secunda conditio est justa causa, id est gravis injuria illata, vel sibi vel legatis suis; si alteri contra se bellanti injustè, præbuerit alter auxilium; si pactum majoris momenti violaverit, &c. Debet autem injuria illata esse gravis, adeò ut non timeantur ex bello graviora mala, quam sint illa, quæ per injuriam illata sunt. Deinde notandum est, quòd aliâ viâ, nisi per bellum satisfactio habere nequeat, quæ si spondeatur, cessare censetur injuria. Hinc docet S. August. quòd *Bellum habere debeat necessitas, pacem voluntas.* Si verò satisfactio offeratur post bellum inchoatum, & illa sit sufficiens, nec bellum jam perductum sit ad eventum sibi favorabilem, tenetur quoque talis satisfactionem acceptare. Si verò de justitiâ causæ non ita constet, primo à viris doctis sedulo de eadem est investigandum: Quô factô si dubium perseveret, à bello prorsus erit abstinendum, eò quòd in re tam periculosâ, tutius sit eligendum. Si verò dubium sit de jure Regni, non potest alter, qui in possessione est inde deturbari, quia hìc melior est conditio possidentis. Si verò utrimque sit dubium, non potest pro toto bellum moveri, nec illud, ad quod ambæ partes habent æquale jus, potest uni totum cedere: sed licitum erit pro medietate vel compensatione in alio (si res divisionem non patiatur) bellum gerere.

Quando possint & debeāt milites bellare. Militibus autem, etsi iis de justitiâ belli non ita liquidò constet, possunt tamen sequi suum ducem, cùm in dubio sit præsumendum pro superiori. Nec ideò dici potest, eosdem agere cum conscientiâ dubiâ, quæ

etsi

etsi sit speculativè dubia, est tamen practicè certa, cùm moraliter certò sibi constet, sibi hîc & nunc esse obediendum & militandum. Aliud esset, si absolutè iis constaret de injustitiâ belli, nec tantùm dubitarent de justitiâ belli, sed etiam an liceret sibi bellare; vel etiam, si sciant principem de justitiâ belli dubitare, quibus casibus bellare non possunt. Hæc autem dicta intellige de militibus subditis: Non subditi enim in dubio, non habent obediendi necessitatem, nec ulli faciunt, non militando injuriam.

Potest dari bellum utrimque justũ materialiter. Dicendum 3. Potest materialiter bellum esse utrimque justum, cùm utraque pars bonâ fide ex ignorantiâ possit credere sibi bellum esse licitum, quamvis certum sit, alteram partem, non habere à parte rei justam causam, cùm veritas tantum possit à parte rei stare ab unâ parte contradicentium.

SECTIO II.

Quænam in bello sint observanda.

Regula belli. DICENDUM primò, debet princeps providere de expertis belli ducibus: Unde mala, quæ defectu horum reipublicæ obtingunt, ipsi principi imputantur. Deindè debet statis temporibus dare militibus sua stipendia, aliàs sunt causa damnorum, quæ aliis ex necessitate militum obveniunt; quæ stipendia militibus ægrotantibus etiam dare debent. *Stipendia* Notant tamen alii, stipendia militum posse pro parte minui, aut non ita promptè solvi, si princeps necessitate coactus bellum gerat. Excusari quoque possunt, quibus stipendiorum cura commissa est, ab eorumdem persolutione, si aliqui secessionem meditentur, quo casu ab illa secessione arceantur. Si autem hinc inde à talibus malum aliquod inferatur aliis, omnino hæc toleranda sunt, ne reipublicæ & bono communi sequantur pejora. Verùm in persolvendo militum stipendia non

una in omnibus locis servatur consuetudo; alibi enim trium aut 4. mensium stipendia retinentur, forsan ut sic milites à fuga coërceant: Si dimittantur, aliquid alibi retrahitur de stipendio, idque velut in pœnam, quòd contra voluntatem principis prædas egerint, quâ de causâ, si moriantur, nihil datur amicis. Quæ omnia culpari non possunt, cùm justa hîc causa subsit, & milites talem praxim scientes, in illud consentire censeantur.

Peccata Ducum belli. Dicendum 2. Peccant graviter belli duces, si temerè exercitum magno periculo objiciunt: Non enim sunt vitæ subditorum Domini, sed gubernatores, qui bona militum ob commune bonum periculo objicere possunt, aliàs sunt tyranni. Peccant quoque graviter, qui plures subornatos milites repræsentant, ut sic plura stipendia sibi acquirant. Ratio est, quòd stipendia illa excedentia furentur: Deinde, causa sunt gravissimorum damnorum, quæ inde reipublicæ obveniunt, credenti tot sibi esse milites, quot repræsentantur, cùm multi reverà desint.

Peccant insuper belli duces, si ob negligentiam aut furtum, necessaria ad bella parantes, parent ea corrupta, ex quibus mors militum evenit: Vel etiam, si necessaria non præparent, aliquando fingentes se eadem preparasse, & pretium sibi retinentes.

Peccant itidem belli duces, si transeuntes aliquo, in viâ hæreht, tenentes loca vicina suspensa, nescientia quâ viâ sint progressuri, ut sic ad se cæteros attrahant, & offerant magnam pecuniæ summam, ne per suas partes transeant. Etsi enim liberum aliquando sit belli ducibus transire quà voluerint; non tamen iis licitum est, ut electionem unius loci, præ alio faciant venalem, & sibi pretium retineant.

Peccant quoque, qui pro militibus præparant panes, hoc artificio & fraude: calefaciunt primò aquam magis quam necesse sit ad subigendam farinam, cui aquæ subitò infundunt aliam frigidam, ad eam temperiem, quæ subigendæ farinæ sufficiat. Quo artificio

ficio hoc efficiunt, ut panis sit ponderosior, eo quòd aqua frigida sit ponderosior calidâ, sicque in pondere lucrantur, ut testantur artis pistrinæ periti.

Dicendum 3. peccant milites in bello, contra fortitudinem, si sine causâ & temerè se periculo objiciunt: si stationem suam, etiam cum periculo mortis deserant; si arcem defendere nolint, si spes satis magna supersit eamdem defendendi; peccant quoque, si sine veniâ superiorum, castra deserant, unde hoc facientes, graviter puniuntur. Nec facilis debet esse superior in dandâ hîc licentiâ, maximè tempore belli, & ubi in viâ prædas agunt & viatores opprimunt. Peccant insuper, qui in distributione hospitiorum 3. vel 4. schedulas à Magistro hospitiorum exigunt, cum quibus vadunt ad hospitia, à quorum Dominis pretia pro hospitii cessione extorquent. In hospitio autem contenti debent esse, suo *servitio* ut vocant, idest, lumine, igne, lecto, & paleis. *Militum peccata.*

Dicendum 4. etsi privatâ authoritate neminem liceat occidere, tamen in bello id licitum est, si sit necessarium ad belli finem consequendum. Per se quoque ob immanissima scelera, non licèt urbem captam dare in prædam militibus, nisi aliter victoria obtineri non posset, vel urbs fuisset alteri rebellis, vel timor esset injuriam ulciscendi. *Non facilè est urbs danda in prædam.*

Possunt quoque innocentes spoliari eis rebus, quibus adversus hostes sunt usuri, ut sunt arma, equi; aliàs enim finis belli haberi non potest. Deinde possent ii dari in captivitatem, si aliter non posset haberi satisfactio. Nec refert, quòd innocentes in bello directè occidi non possint, quia respublica in bona illorum habet Dominium universale, quibus proinde ob delictum reipublicæ spoliari possunt innocentes: Vitæ autem illorum non habet respublica Dominium. Possunt tamen innocentes indirectè occidi, si v. g. in turri aliqua sint inclusi, sine cujus dejectione urbs non potest obtineri, quo casu intenditur solùm dejectio

turris & victoria civitatis, & innocentium mortes solùm permittuntur.

Ecclesia a vi belli immunes

Quod autem attinet ad Ecclesias: si non sint *incastellatæ*, idest instar arcis munitæ, non possunt per se expugnari, & illas evertentes gravissimè delinquunt, & tenentur ad restitutionem: ita capt. *conquesti* de sententiâ excommunicationis. Si tamen hostes eo confugerint, & inde alios oppugnent, si necessarium sit, ut per eorum conflagrationem obtineatur victoria, possent igne comburi: mala autem quæ hinc eveniunt, fiunt præter intentionem gerentium justum bellum. Hoc quoque notandum est, quòd bona Ecclesiæ & Ecclesiasticorum in bello occupare non liceat, eo quòd à jurisdictione sæculari sint exempta, & constituant Ecclesiasticum corpus à republicâ diversum, adeòque ob culpam Reipublicæ puniri non possunt. Imò non desunt, qui putent hâc immunitate gaudere omnia bona ad Ecclesiam delata, in custodiam: imò si hostes ad Ecclesias fugiant eo animo, ut immunitate Ecclesiasticâ gaudeant, non magis ex eâ possunt extrahi, quam alii noxii eo fugientes. Aliud esset, si ex illâ hostes oppugnassent; cum enim priùs immunitatem Ecclesiæ fregerint, non possunt eâ gaudere. Idem etiam est, si timeantur ii, qui in Ecclesiam fugerunt, bellum renovaturi: aut si hoc sit necessarium ad finem belli consequendum. Sic etiam Ecclesiastici actualiter pugnantes possunt occidi, cùm tunc sint aperti hostes. Si verò eorum superior sit quoque Princeps sæcularis, contra quem geritur bellum: possunt partâ victoriâ in pœnam sui Principis, suis bonis temporalibus spoliari.

Cujus sint bona in bello capta.

Dicendum 5. Bona immobilia in bello capta, communi jure fiunt Principis, ob satisfactionem injuriæ, periculorum & expensarum compensationem. Mobilia veró fiunt occupantis, hoc tamen notato, quòd si sint res alterius injustè ablatæ, & Dominus etiamnum illas insequitur, nec adhuc censeantur esse in loco tuto, sint Domino insequenti reddendæ, si is non

sit

fit hostis. Si verò jam sint in loco tuto, vel Dominus jam eas à se abdicaverit, nec ampliùs insequatur; fiunt eas occupantis; quod rectè statutum est à jure, ad cavendas lites inde oriri natas: Deinde ut hoc pacto milites in bello sint ardentiores. Hinc statutum fuit, ut talia bona, quæ capiunt milites nostri in Arthesiâ & aliis Belgii partibus non fiant occupantis; secùs quæ recipiunt ejusmodi in Franciâ, &c. Partibus inimicis.

SECTIO III.

De Represaliis.

Dicendum primò, *represaliæ* sunt occupatio bonorum ab aliis alterius Reipublicæ civibus, etiam innocentibus, ut fiat compensatio injuriæ occupanti illatæ. Unde dicuntur *Represaliæ* à *re* & *prehendo*, quia recuperatur, quod erat perditum. Ut autem sint licitæ, variæ requiruntur conditiones, quarum prima est, ut constet subditos alterius Reipublicæ intulisse damnum, & quidem grave alterius Reipublicæ civibus. *Quid represalia.* *Conditiones requisita ad represaltas.*

2. Ut superior Reipublicæ, quæ damnum intulit, rogatus de satisfactione, eam dare renuat, aut negligat.

3. Debet constare alteram rempublicam nolle facere justitiam. Si enim in eo sit inculpabilis, v. g. si eam facere non possit ob urgentem causam, non poterit eum represaliis punire, cùm non delinquat, aut deliquerit.

4. Debet superior Reipublicæ læsæ adiri, & ab eo peti represaliæ, cùm ille solus possit eas concedere, qui possit bellum indicere.

5. Cavendum est, ne alteri Reipublicæ plus damni inferatur, quam sit necesse ad plenam injuriæ satisfactionem.

6. Ne concedantur represaliæ in Ecclesiasticas

 perso-

personas innocentes. Ita apertè statuitur sub excommunicatione c. *unico* de injuriis in 6.

Represaliæ, si his conditionibus vestitæ sint, absolutè sunt licitæ. Quando enim in bello necessarium est ad plenam satisfactionem, licitè etiam innocentes suis bonis possunt spoliari, ut ante probatum est. Si quando represaliæ reprehendantur, non illæ, sed aliæ accusantur, quæ fiunt sine superioris licentiâ per violentiam; quæ fiunt inter subditos ejusdem Principis, aut quæ aliquibus ex dictis conditionibus non sunt vestitæ.

SECTIO IV.

Quibus liceat bellum gerere.

Clerici non possunt bellare.

DICENDUM primò, Prohibitum est Clericis bellare: cùm enim illi sint specialiter Deo ejusque servitio addicti (à quo militia multum avocat) non poterunt se militiæ implicare. Deinde, Clerici Christum repræsentant, qui proprium sanguinem fudit, non alienum. Prohibitio hæc est sub mortali, quod patet ex pœnis gravissimis illi appositis, quòd priventur usu ordinum, quòd recludantur in Monasterio, & si in bello moriantur, non offeratur pro iisdem sacrificium. Prohibitio hæc, pertinet ad omnes omnino, qui gaudent privilegio Canonis, etsi sint Laïci, & in minoribus constituti. Hinc etiam Laïci bellantes capt. *Eos qui* 20. q. 3. mandantur excommunicari, non tantum ob Apostasiam à Religione, ut quidam volunt, sed propter bellum.

Etiam Religiosi Laici.

Quæ causæ possint esse in bello Clerici.

Dicendum 2. Excusantur ab irregularitate Clerici bello interessentes; primò, si justa subsit causa, puta ut administrent spiritualia, ad quod, etsi olim necessaria erat Pontificis dispensatio, jam tamen consuetudo aliter obtinuit. Deinde non incurrunt irregularitatem, si in bello injusto, quo impetuntur sese defendant,

fendant, aut etiam suam urbem, cùm cuilibet jure naturæ & se, & bonum commune defendere liceat, servato debito moderamine. Sic non fit irregularis qui alium occidit pro defensione vitæ, uti patet ex Clement. *Si furiosus.*

Clericis vetatur bellare jure Ecclesiastico tantum.

Dicendum 3. prohibitio dicta tantùm oritur ex jure Ecclesiastico, bellare enim olim licitum fuit Sacerdotibus, v. g. Abraham, Jonathæ, Simoni & aliis: nequè id prohibetur jure divino positivo, cum neque in Scripturâ, neque in traditione hujus prohibitionis sit vestigium. Deinde, potest Pontifex committere clerico, ut sit judex in causâ sanguinis, ut dicitur fieri Romæ. Denique potest clerico committere, ut sit dux belli; ut iis sit, qui supremam in temporalibus habent potestatem, cùm in jure suo tuendo & prosequendo, non sint clerici pejoris conditionis, quam alii: & hoc illis apertè conceditur capt. *Episcopus* tit. *ne clerici vel monachi in* 6.

Quibus dolis liceat uti in bello.

Dicendum 4. licitum est in bello uti insidiis, modo non mentiatur, aut violetur promissio alteri facta. Non enim tenemur alteri, maximè hostibus, aperire consilium nostrum, quod solùm facit, qui insidiis utitur; sic Poëta ait: *dolus, an virtus sit quis in hoste requirat?* sic licitum est, in bello mutare vestes, signa militaria, locum &c. dixi, *modo non mentiatur aut violetur promissio*, hoc enim semper est illicitum, unde & 2. reg. 21. Domus Saul legitur punita ob violatam fidem datam Gabaonitis. Aliud esset, si fides data, etsi jurata, contineret gravem injustitiam respectu innocentis: vel etiam, si absque incommodo gravi boni communis servari non posset, vel si ipse hostis priùs fregerit fidem, juxta illud: *frangenti fidem, fides frangatur eidem*: & in datione fidei censeatur apposita hæc conditio, *si prior fidem non frangas.*

Dicendum 5. etsi naturâ suâ non sit illicitum Catholicis vocare in auxilium infideles aut hæreticos, ut licitè olim fecerunt fœdus Machabæi cum Romanis;

nis: ordinariè tamen non licet, aut etiam eosdem adjuvare, tum quòd maxima inde oriri soleant scandala; tum quod hæreticis pronum sit, non servare pactum, tum quòd Sacra prophanent &c. Hinc 2. paralip. 19. improperatur Josaphat, quòd impio præberet auxilium. Hinc etiam in juramento Imperatorum Romanorum, continetur, quòd numquam cum infidelibus, paganis, &c. fœdus belli inibunt.

Dicendum 6. peccant regulariter Catholici qui militiæ hæreticorum cooperantur: partim quòd iis in bello desit copia spiritualium & in articulo mortis defectu eorumdem, sæpè sit periculum æternæ damnationis: tum etiam, quòd Hæreticis aliquando coöperentur in sacrorum & templorum prophanatione, Religionis diminutione, & aliis sceleribus, quæ Hæreticorum bella solent comitari.

SECTIO V.

An peccent milites, qui rusticos hospites & viatores molestant & gravant.

Qui milites peccent viatores molestantes. DICENDUM primò, Peccant graviter milites, quibus stipendia solvuntur, & interim rusticos & viatores molestant, verberant, & eosdem defurantur. Ratio est, quòd nullâ authoritate ad illud sint constituti, nec ulla ratio eosdem ad hoc faciendum excuset. Idem est de iis, qui etsi non recipiant stipendia sua, tamen aliunde sufficienter possunt vivere. Jus enim bellandi, non tribuit eis jus alios divexandi.

Dicendum 2. milites, quibus stipendia non persolvuntur, ratione cujus deveniunt ad extremam aut gravem inopiam, excusantur à furto, si ut necessitatem sublevent, tantum surripiant, quantum necessarium est; in extremâ enim necessitate omnia sunt communia; Deinde gravem necessitatem militum tenetur quilibet privatus sublevare, dum eidem necessaria

ria desunt, & proximum aliquando periculum est in extremam necessitatem incidendi. Debent tamen abstinere à contumeliis & percussione, juxta monitum Joannis, imò si ab aliis possint rogando impetrare, quo egent, debent illud prævie rogare.

SECTIO VI.

Quid Duellum, & quotuplex.

DICENDUM primò *duellum*, sive *monomachia*, est duorum (etsi aliquando assumant alium, quem vocant *secundum*) ex condicto utrimque suscepta pugna, ad certum locum & tempus cum periculo occisionis. Dicitur *ex condicto*, ut distinguatur à rixâ, quæ non est de condicto, sed de repente. Aliud autem est solemne, aliud privatum. *Solemne* est, quod quibusdam solemnitatibus iniri solet, datâ fide, adhibitis sponsoribus, quos vocant *patrinos*, datione chirotecæ, &c. *Privatum* est, quod sine ejusmodi solemnitatibus initur. *Duellum quid sit.* *Aliud solemne, aliud privatum.*

Dicendum 2. Jure naturæ, divino, Ecclesiastico & civili, duellum est interdictum: illud novissimè acriter Conc.Trid. sess. 25. reform. 19. insectatum est. Rationem addit, quòd sit diabolo authore inventum: quòd repentinas hominum mortes, & animarum perditiones secum trahat, quòd nova odia disseminet inter amicos, &c. Quæ omnia omni jure sunt inhibita. *Interdictum Ecclesiæ, natura & Dei.*

Dicendum 3. Duellum non est licitum propter veritatem investigandam, ad ostendendas vires, ad ostendendam peritiam artis gladiatoriæ, ad oblectandum spectantes, neque ad defendendum honorem; nec denique si injustè sis accusatus, & non possis aliâ viâ vitam conservare, quam duello. Primum enim reputatur inter purgationes vulgares, quæ ab Ecclesia damnantur, & spectat ad Dei tentationem, à quo *Fines illiciti duelli.*

veri-

veritas expectatur mediis ad id inordinatis. Cæteri casus sunt quoque insufficientes: ut quis occidendi se periculo exponat. Quod verò ad defensionem honoris spectat, notandum est, hoc acceptando neminem reputari apud viros honestos, tamquam animosum, sed ipso jure fieri talem infamem. Hinc quivis provocatus, ut ignaviæ notam non incurrat, respondere poterit, se nolle iniquam provocationem acceptare, tamen ubi impetitus erit, se ostensurum se paratum se defendere modo legitimo. Sic etiam, etsi provocati, non possunt consentire ad bibendum ad æquales haustus, etsi timeant derideri. Rectè proinde ab Alexandro VII. damnata est hæc propositio: *Vir equestris ad duellum provocatus: potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Quod verò ad ultimum casum attinet, certum est, quòd hîc non liceat; cùm tali casu alter non tam se defendere, quam alium aggredi censeatur. Deinde defensio tantùm est necessaria, ubi vis infertur; hîc autem non infertur vis, sed calumnia, quæ non armis, sed declaratione veritatis est repellenda: nec quia veritatem illam præstare nequeas, ideò ad arma confugiendum est, sed calumnia veritate propulsanda. Hinc ab Alexandro VII. hæc est iterum condemnata: *Licèt interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non possit innocens damnum evitare.* Et antè hanc facultas Theol. Lovan. proscripsit sententiam: *Licitum est occidere calumniosum actorem, testes, & injustum judicem ad servandam vitam, honores vel res familiares.*

Causa duelli licita. Dicendum 4. causa sufficiens permittendi duellum, est ad terminandum bellum, modo per illud victoria non trahatur ad eventum magis dubium. Sic olim licitum fuit duellum Davidis cum Goliath & nuper duellum circa Sylvamducis inter 10. Hispanos & 10. Confœderatorum ordinum milites, quem conflictum vocant conflictum *Lackerbetjen.* Sic etiam licitum est duellum, si fiat ex divinâ authoritate, quæ est

est domina vitæ & necis. Denique licitum est ad defensionem vitæ, cùm sit justa defensio.

- Pœnæ verò duellantium ac duello coöperantium multæ sunt, eæque gravissimæ, de quibus videri potest bulla Clementis VIII. 1592. quæ incipit *Illius vices*; ubi Pontifex renovans decreta Concilii Trid. sess. 25. c. 19. de reform. & Pii IV. & Gregorii XIII. excommunicat pugnantes in duello, ubicumque pugnarint; proscribit eorum bona, declarat perpetuo infames, & si in duello moriantur, Ecclesiasticâ sepulturâ eos privat. Eisdem pœnis subdit eorum patrinos. Idem facit Principibus, duellum in suo loco permittentibus, responsa & scripturas transferentibus, & quoquo modo ad duellum coöperantibus. *Pœnæ duellantium.*

Reservatio absolvendi duellantes in prædicta bulla reservatur soli Pontifici, si sit publicum & ad forum contentiosum deductum: aliàs, si non sit ita publicum, poterit Episcopus absolvere, in vim Concilii Trid. ses. 24. c. 6. reform. cùm motus proprius Clementis, non censeatur derogare juri Concilii. Prædictam potestatem, aliqui in vim suorum privilegiorum concedunt Patribus Societatis, sed in Sacrâ Congregatione super casibus reservatis habitâ 1601. & 1602. nominatim de talibus patribus hoc est negatum, teste Dianâ. *Reservatio duelli.*

SECTIO VII.

De vitiis aliis Charitati oppositis, ac primò de odio.

Dicendum primò, *odium* nihil est aliud, quam aversio voluntatis ab aliquo, quod apprehenditur ut malum. Est autem duplex odium, scilicèt abominationis & inimicitiæ, prout amori benevolentiæ aut concupiscentiæ repugnat. Sicut enim amore benevolo volumus alteri bonum, quia illi bonum est: ita odio inimicitiæ, quod amori illi opponitur, volumus *Odium inimicitia & abominationis.*

lumus alteri malum, quia illi malum est: & sicut amore concupiscentiæ aliquid amamus, quia nobis bonum est; ita odio obominationis illi opposito aversamur aliquid, quia nobis malum est.

Deus potest odio haberi.

Dicendum 2. Quamvis Deus, utpotè summa bonitas, non possit odio haberi; tamen multi sunt, qui eundem odio habent, idque non secundùm se, sed ratione effectuum, qui nobis non conveniunt. Sic damnati odio habent Deum, propter pœnas, quas ipsis infligit. Odium illud Dei est omnium peccatorum gravissimum, tum quòd bonitati infinitæ directè repugnet, ab eâque voluntatem avocet: tum etiam, quòd contrarietur virtuti summæ, idest Charitati Dei. Si verò expresè quis Deum odio habeat, indubiè est distinctum peccatum: Secùs de omni peccato mortali, quod odium aliquod Dei implicitè in se continet.

Odium Dei est omnium gravissimum.

Odium proximi est mortale.

Dicendum 3. Odium proximi est peccatum de se mortale, repugnans charitati proximi, unde, *qui odit Fratrem suum homicida est.* Quando autem Scriptura Sacra dicit, quòd Pater & Mater sint odio habendi, vel intelligitur, quòd sint amori Dei postponendi: Vel etiam odio habendos esse, si sint nobis impedimento circa animæ bonum: quo sensu ait S. Hieron. *Per calcatum vade Patrem*: jubemur itidem aliquando odisse alios, ut sunt ii, qui nobis sunt occasio peccatorum; quod tamen ut rectè fiat, debet fieri cum dilectione hominum & odio vitiorum: Sic etiam jussit Deus Israëli odisse Chananæos & alios. Odium proximi non est gravissimum peccatum, quod in proximum committi potest. Ratio est, quòd gravitas peccati in proximum juxta D. Thomam, pensanda sit ex gravitate nocumenti, quod proximo infertur: adeòque homicidium odio hoc est gravius, cùm causet proximo majus nocumentum.

Dicendum 4. Si malum quod quis alteri ex odio desiderat, sit notabile, item si persona, cui hoc desideratur sit dignior, notabiliter peccatum odii aggravat; etsi secundùm veriorem sententiam non varie-

tur

tur specie, tamen in Confessione, tum qualitas mali, tum personæ, est aperienda, uti omnes omninò circumstantiæ notabiliter etiam intrà eamdem speciem aggravantes.

SECTIO VIII.

De Acediâ, Invidiâ & Discordiâ.

DICENDUM primò, *Acedia* est torpor sive tædium circa bona spiritualia, quatenus ea prosequi renuit, ob molestias adjunctas. Acedia hæc est peccatum, quatenus hominem à bono avocat, & si quidem avocat ab iis, quæ sunt necessaria ad salutem, est peccatum speciale. Tristari autem de festo, de jejunio, &c. Non est speciale peccatum, sed refertur ad vitium Religioni, temperantiæ, oppositum, aut ad alterum vitium, quod oppositum est bono de quo quis tristatur. Acedia hæc solet vocari vitium capitale, cùm ex eo soleant nasci tamquam ex capite, desperatio, torpor, rancor, evagatio mentis, &c. *Quid acedia.* *Est peccatum.*

Tristari de ingressu Religionis, est peccatum mortale, si habeat annexam voluntatem aliqua non exequendi, quæ sub mortali jubentur. Si verò quis nudè tristetur de eo, volens interim omnia quæ sunt ordinis observare, à peccato mortali excusari potest. Dicitur tamen esse peccatum veniale, ob periculum voluntatis, aliqua quæ sunt ordinis non observandi. *Tristitia de ingressu Religionis.*

Superatur verò acedia, superando molestias bonorum operum, varia spiritualia exercitia exequendo: unde S. Bern. Epist. 78. *Tædium, ait, & acediam procul pellit Sanctarum varietas observationum.* Nova enim & varia delectant. *Remedia Acediæ.*

Dicendum 2. *Invidia* est tristitia de bono alterius, ut diminutivo proprii boni, gloriæ aut excellentiæ. Est peccatum ex genere suo mortale, eo quòd inconvenienter *Invidia quid.* *Quale peccatum.*

nienter feratur in suum objectum, de eo tristando, de quo erat gaudendum. Deinde invidi annumerantur ab Apostolo Galat. 5. iis, qui talia agentes, Regnum Dei non possidebunt. Differt autem invidia à *Zelo* & *Nemesi*: Quòd Zelus sit tristitia de bono alterius; non quòd ille hoc habeat, sed quòd ipse eo careat, cùm idem posset habere, si vellet allaborare. *Nemesis* verò est tristitia de alterius bono, quo est indignus, & solet vocari *indignatio*.

Quid Zelus, Nemesis, &c.

Invidia vicinorum mercatorum.

Quæres, quale peccatum sit invidia mercatoris respectu mercatoris vicini? Resp. Posse illud esse æmulari, seu non ita tristari de bono vicini, quam de carentiâ proprii lucri, quod potest sibi quoque conquirere debitis mediis, vocando ad se emptores, &c. Solent tamen vix à peccato excusari, cùm plerumque sint de bono proximi, & periculum creent discordiæ, aversionis animorum & aliorum.

Est quoque invidia peccatum capitale, cujus filiæ sunt susurratio, cùm invidus in occulto studet alterius famam denigrare: exultatio in adversis, afflictio in prosperis, odium, &c.

Discordia & concordia.

Mala discordia & bona.

Dicendum 3. *Discordia* est dissensus voluntatum, uti concordia earumdem est consensus. Potest autem discordia esse bona, si sit discordia à malo v. g. ab hæresi. Mala autem si sit discordia in bono, v. g. à sanâ Doctrinâ, &c. Est autem discordia in bono peccatum de se mortale; cùm Galat. 5. statuantur dissensiones inter opera mortalia: Et prov. 6. dicitur illum Deus maximè odisse, qui seminat inter Fratres discordias.

SECTIO IX.

De Contentione & Schismate.

Contentio quid.

DICENDUM primò, *Contentio* est concertatio vehementior, eaque verbalis. Potest autem fieri contentio, vel pro defensione veritatis, vel exercitii gratiâ;

gratiâ, etiam veritatem oppugnando, ut magis illa elucescat, quæ contentiones ambæ bonæ sunt, atque laudabiles, etsi aliquando per accidens propter immodestiam sint culpabiles. Si verò fiant, ut seriò veritas aut fides oppugnetur, erunt peccatum mortale, aliàs si sit veritas Philosophica, quæ oppugnetur, erit solùm veniale. Denique potest quis contendere eo fine, ut alter irritetur, publicè confundatur, ejus authoritas evertatur, nisi fortè alter errore suo alios pervertat; quod aliquando poterit esse mortale. Damnatur quoque contentio, ex quâ alii à fide deflectunt, de quâ contentione ait Apost. 2. Timoth. 2. *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Estque hoc vitium de se peccatum mortale, cùm ad Gal. 5. annumeretur iis, quibus regnum Dei interdicitur: & Rom. 1. Annumeratur gravibus peccatis, quæ digna sunt morte: qui repleti sunt *Contentione, dolo, malignitate* &c. *Quandonam mortale peccatum.*

Dicendum 2. *schisma* est divisio, quâ quis se voluntariè scindit ab unitate Ecclesiæ, servatâ tamen professione nominis Christiani. Potest esse sine hæresi, si servatâ fide, separat se à Pontifice legitimè electo. Hæresis tamen, sine Schismate esse nequit, cùm unitas Ecclesiæ importet unitatem fidei. Potest verò Schisma esse tam à capite, quam à membris: à capite, quando se quis à Pontifice vero segregat, nec eum vult agnoscere. A membris, quando quis non vult communicare cum membris, ut capiti sunt annexa, v. g. Gallis in eis, quæ sunt fidei. Posset & fieri schisma utroque modo, tam a capite, quam à membris, uti ex dictis satis patet. Est autem schisma de se peccatum mortale, cùm grave sit, se ab unitate Ecclesiæ separare, unde & gravissimis pœnis iidem afficiuntur, ut quod amittant jurisdictionem, etsi characterem Sacramentalem retineant, excommunicentur, inhabilitentur ad officia obtinenda, ordinati à schismatico suspendantur ab usu ordinum, collatio beneficii à schismatico facta invalidetur &c. *Quid schisma. Potest esse sine hæresi. Tam bene schisma est à membris, quam à capite. Gravitas schismatis*

TRACTATUS V.

CAPUT PRIMUM.

De Virtutibus Cardinalibus.

SECTIO PRIMA.

De Prudentia.

Quid virtus Cardinalis.


DICENDUM primò, contra vulnera quatuor animæ potentiarum, dantur 4. virtutes morales, quas & *principales* vocant, seu *Cardinales*, eo quòd tota rerum honestas in illis ut Cardinibus vertatur. *Prudentia* enim perficit intellectum contra ignorantiam: *Justitia*, voluntatem contra malitiam: *Fortitudo* irascibilem contra infirmitatem: *Temperantia* denique concupiscibilem perficit, contra concupiscentiam. Sunt autem hæ virtutes sibi mutuo indivulsè connexæ, ut teste S. Gregorio in lib. Job. 22. c. 1. *Nec prudentia vera est, quæ justa, fortis & temperans non est: Nec perfecta temperantia, quæ fortis justa & prudens non est: Nec fortitudo integra, quæ prudens, temperans & justa non est: Nec vera denique justitia, quæ prudens, fortis & temperans non est.*

Sunt omnes connexæ.

Aliæ sunt infusæ, aliæ acquisitæ.

Porro aliæ sunt virtutes Cardinales infusæ, aliæ acquisitæ. Acquisitæ rectè disponunt hominem circa media ad finem naturalem, supernaturales rectè disponunt hominem, circa media ad finem supernaturalem, de quibus ita loquitur S. Prosper l. 3. de virtute contempl. c. 18. *Hoc tenere debemus, quòd quatuor illæ virtutes ..... dona sint Dei, & quòd nullus eas habet, habuit aut habebit, nisi cui Deus .... contulerit.*

Distin-

Distinguuntur autem virtutes Cardinales acquisitæ ab infusis, tam ex parte finis jam dicti, quam ex eo quòd acquisitæ solùm attendant honestatem moralem naturalem: Infusæ verò altiùs adscendant & hominem supra se extollant, adeò ut quidquid agant, ex amore Dei agant. Unde sicut *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas facit*: Ita *fortitudinem Christianorum Dei charitas facit*; & ita conformiter hîc de aliis tribus virtutibus cardinalibus est intelligendum. Imò quòd quadripartita virtus Cardinalis, non sit aliud, quam ipse amor, officio distinctus. Vide dicta de charitate. *Differunt inter se.*

Dicendum 2. Prudentia est *Rerum appetendarum & fugiendarum scientia*, sive quod idem est, *Est virtus intellectûs, quâ in quovis negotio occurrente, novimus quid tamquam honestum sit amplectendum, & tamquam turpe fugiendum.* Subjectum enim prudentiæ est intellectus practicus, ideòque actus ejus præcipui constituuntur, *consultare, judicare imperare*, qui propriè ad intellectum spectant: Deinde, scientia & notitia, qualis est prudentia, ad intellectum pertinent. Unde consequens est, quòd prudentiæ objectum non possit esse falsum, sicut virtus moralis in voluntate subjectata non potest habere objectum malum; cùm sicuti harum objectum proprium est bonum; ita illius est verum. Hoc tamen notandum est, quòd judicio prudentiæ possit adesse aliud judicium speculativum falsum, sic tamen ut judicium prudentiæ semper sit verum. v. g. judicium quo Jacob accedebat ad Liam, quam putabat esse suam, erat falsum; tamen judicium prudentiæ, quo judicabat se in his circumstantiis licitè posse ingredi ad eam, quæ sibi objiciebatur, erat verum: verum enim est, quòd stante invincibili ignorantiâ Jacob, poterat cum illâ in his circumstantiis congredi. Quod verum est pariformiter in omnibus, quæ ex ignorantiâ invincibili homo operatur. Dictum quoque est *in quovis negotio occurrente*, quia qui in aliquibus actibus scit quid turpe sit & fugiendum, aut quid rectum sit

Quid sit prudentia

Ejus actus proprii.

Iudicium prudentiæ practicum semper est verum, speculativum conjunctum potest esse falsum.

Quis prudens absolute.

& amplectendum, non item in omni opere quod agit, non erit prudens absolutè, sed solùm secundùm quid, & in certâ materiâ. Deinde, non sufficit ea nosse in generali, quid v. g. generaliter rectum sit aut turpe, sed debet nosse moraliter certò, quid hîc & nunc agendum sit, aut omittendum.

Prudentia nequit sub esse falsū. Dicendum 3. Ex dictis patet, quòd prudentiæ non possit subesse falsum, neque possit habere formidinem adjunctam de opposito, quæ sit practica. Ratio prioris est, quòd ex modo tendendi in objectum proprium, non possit falli: Considerat enim omnia, quæ consideranda sunt, ac juxta eadem resolvit ac dirigit operantem. Ratio posterioris est, quòd operari cùm conscientia aut judicio practicè anxio seu dubio, sit operari cum conscientia practicè dubia, quod numquam licet. Non ideò tamen debet habere adjunctam omnimodam & Metaphysicam certitudinem, sed satis est, quòd habeat moralem certitudinem de honestate actûs, unde patet, quòd imprudenter operetur, qui agit innixus sententiæ merè probabili, cùm talis sententia moralem certitudinem de honestate actûs non conferat, uti probavi in materia de conscientia.

Actus alii prudentiæ. Dicendum 4. Præcipui actus prudentiæ sunt, inquirere de mediis, judicare de iis inventis, & applicare consiliata & judicata ad actum, ne videant meliora probentque, deteriora sequantur. Hinc prudentia Christiana, quam Christi charitas facit, inquirit de mediis quæ necessaria sunt, ut homo suo ultimo fini adhæreat, de iisdem judicat, ac demum eadem ad operationem deducit, & omnia disponit tamquam directrix, quæ necessaria inventa sunt, ad Deo tamquam ultimo fini placendum.

Partes prudentiæ. Dicendum 5. Constat autem prudentia tamquam partibus integrantibus, *Memoriâ præteritorum, intelligentiâ præsentium, providentiâ futurorum, circumspectione circumstantiarum, solertiâ sive competenti adinventione mediorum, sollicitudine vitandi omnia incommoda, &c.* His accedit ratio bene consiliativa, seu *Eubulia*: Ratio

tio bene judicandi secundùm communes regulas, quam vocant *Synesim* : & *Gnome*, quæ est ratio de actione judicandi secundùm principia altiora, quam sint communia; ad prudentiam quoque spectat *donum Consilii*, quod est lumen quoddam, quo homo quasi divinitus accepto consilio probè novit, quid in rebus arduis, potissimùm spiritualibus ad salutem spectantibus, sit agendum. *Donum Consilii.*

Dicendum ultimò. *Imprudentia*, quæ per defectum opponitur prudentiæ, aliquando est peccatum veniale, aliquando mortale, idque distinctum ab eo peccato, quod quis ex eâ committit. Mortale erit, si adsit contemptus divinorum documentorum, vel negligentia eorum, quæ sub peccato mortali quis scire tenetur: aliàs erit veniale peccatum. Continet hæc sub se præcipitationem in agendo, sine debitâ circumspectione, inconsiderationem, & inconstantiam seu mutationem judicii ob nullum vel leve fundamentum, & negligentiam seu omissionem diligentiæ debitæ. *Quid imprudentia.*

Per exessum verò opponitur prudentiæ, *prudentia carnis*, quæ solerter excogitat media necessaria ad sequendos instinctus naturæ corruptæ, unde solet stipari *astutiâ*, *fraude*, *dolo &c.* quæ naturæ corruptæ subservire possunt. *Prudentia carnis.*

SECTIO II.

Quid sit Justitia, & quotuplex.

Dicendum primò *Justitia* juxta S. Aug. l. 19. de civit Dei c. 21. *Ea est virtus, quæ sua cuique distribuit.* Hinc proprius ejus actus nihil est aliud, quam reddere unicuique quod suum est, ait S. Thomas 2. 2. q. 58. a 11. in Corp. unde ulteriùs justitia benè disponit voluntatem ad alterum. *Quid justitia, ejus actus proprius.*

Dividitur justitia in distributivam & commuta-

Justitia distributiva & commutativa. tivam. *Commutativa* est virtus, quæ tribuit unicuique quod suum est, servatâ æqualitate rei ad rem. *Distributiva* verò est virtus servans æqualitatem proportionis ad proportionem in divisione bonorum & onerum communium. Possunt ea membra dividentia esse inter se connexa, si quis ex justitiâ aliquid distribuere debeat servatâ æqualitate Geometricâ, uti fit in contractu societatis, in quò lucrum per partes secundùm proportionem inter socios debet distribui. Ex quibus patet, quòd justitia commutativa requirat æqualitatem in suo objecto secundùm *proportionem Arithmeticam*, justitia distributiva verò secundùm *proportionem Geometricam*, quæ proportiones in eo distinguuntur, quòd *Arithmetica* sit æqualitas rei ad rem, non respiciendo qualitatem personæ: *Geometrica* verò considerat proportionem rerum inter se, ut qui dignior v. g. est officio, alteri præferatur & sic de cæteris.

Sola commutativa est justitia propriè dicta. Dicendum 2. sola justitia commutativa est propriè dicta justitia, non autem distributiva, quæ non reddit quod alteri stricto jure est debitum: etsi enim unum membrum communitatis sit dignius & magis capax ad beneficium aliquod; non est tamen beneficium illud stricto jure illi debitum. Unde inferunt, quòd justitia distributiva violata non obliget ad restitutionem, eo quòd illius violatione, non violetur jus alterius. Ratio autem à priori, quare justitia commutativa violata, magis obliget ad restitutionem, quam distributiva, est hæc, quòd justitia commutativa velit dari unicuique, quod suum est; & ne quis suâ re privatus maneat, quod etiam justitia illa intendit, etsi jam violata sit. Justitia verò distributiva intendit quidem, ut juxta proportiones bona communia distribuantur; verùm illâ semel violatâ, cessat hoc intentum, cùm non ampliùs bona illa sint distribuenda, veluti qui die festo non audit Missam, non satisfacit eam audiendo sequenti die, sed quod factum est, jam transiit, nec resarciri potest.

SECTIO

SECTIO III.

Inter quas personas possit esse Justititia.

Dicendum primò potest inter Deum & hominem esse vera justitia, cùm hoc nihil in Deo dicat absonum, & honestum sit unicuique reddere, quod suum est. Unde Scriptura Sacra vocat beatitudinem *Coronam justitiæ, depositum, denarium diurnum*, quæ omnia ex justitiâ dari debent. Hinc etiam S. August. Epist. 108. *nam* ait, *si accepturus est vitam æternam; Justitiæ stipendium est.* Unde & Apostolus Heb. 6. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Et quamvis omnia sint ipsius Dei bona, unde videri posset non posse hîc intervenire rationem dati & accepti: tamen stante illo Dei dominio generali in omnia creata, nos quoque sumus veri Domini nostrorum actuum, quos proinde eidem dare possumus. Hinc ulteriùs S. Augustinus l. 6. de verb. Apost. Docet, quòd Deum alloqui possimus, ut nostrum debitorem, & dicere, *redde quod promisisti, quia fecimus, quod jussisti.* Nec ideò fit Deus nobis subjectus, eo quòd fiat noster debitor, quia non fit debitor noster ratione necessitatis aut inopiæ alicujus, aut etiam subjectionis; sed ratione propriæ benignæ voluntatis, unde totum provenit, quòd nobis sit debitor. Aliàs præcisè vi operis nostri, absque promissione prævià, non fit nobis debitor, quo sensu intelligendus est S. August. l. 1. Confess. c. 4. dum dicit de Deo, quod sit *nulli debens*. *Inter Deũ & homines esse potest justitia.* *Quomodò Deus nulli sit debens.*

Dicendum secundò, quandocumque peccator peccat mortaliter, facit Deo injuriam. Probatur ex D. Augustino l. 19. de Civit. c. 21. ubi ait, *An qui aufert fundum ejus, à quo emptus est, & tradit ei, qui nihil in eo habet juris, injustus est? & qui se ipsum aufert dominanti Deo à quo factus est, & malignis* *Peccans mortaliter peccat contra Deum contra justitiam.*

N 4 *servit*

servit spiritibus, justus est? Unde sicut servus conando fugere à suo Domino, facit illi injuriam: ita peccator fugiens per peccatum à Deo, & diabolo adhærens, facit Deo injuriam. Quamvis autem Deus, sicuti bonorum nostrorum non eget, ita & malorum nostrorum seu peccatorum non sentiat propriè incommodum aliquod; tamen per peccata nostra patitur damnum in honore suo extrinseco: Deinde etsi non sentiat inde incommodum, nihil refert, aut dictis obstat, cùm sæpè peccetur & fiat alteri injuria, etsi nullum alteri inde accedat damnum. Sic v.g. qui viro probo diceret eum esse infamen, sic tamen ut nullus ei dicenti crederet, peccaret tamen alter, & faceret viro illi injuriam. Denique peccatum fit Deo invito, cùm sit Deus nolens iniquitatem, etsi illa permittendi habeat rationes justissimas, eo quòd creârit hominem liberum & per actus liberos debeat ad finem suum pervenire.

Ex quo ulteriùs deducunt, quòd si per peccatum mortale Deo sit illatum damnum aliquod v.g. in honore extrinseco, v.g. persuadendo aliis, Deum esse crudelem: statim contrariâ persuasione damnum illud esse resarciendum. Quod & alii extendunt ad omnem casum mortaliter malum: quamvis hoc alii meliùs negant, quando nullum Deo creatum est damnum, præter usum contra Dei voluntatem, cùm nullum tunc damnum existat, quod illam accelerationem exigat.

Potest justitia sita esse inter Patrem & Filium, Dominū & servum &c.

Dicendum 3. Potest intercedere vera justitia inter Patrem & Filium, Dominum & servum, virum & mulierem conjugem. Ratio est, quòd Filius Patri suo detrahens, aut notabilia furto ab eo rapiens, violet justitiam & verè sit injustus: quibus casibus duplici peccato peccat, contra pietatem & contra justitiam. Idem dicendum est de Domino & servo, &c.

SECTIO

SECTIO IV.

De Jure & Dominio.

Dicendum primò, Quòd *jus* ſit propriè poteſtas moralis diſponendi de re aliquâ, in ſuum commodum, per ſe obſtans, ne alius de eâ re diſponat, te rationabiliter invito. Sumitur etiam aliquando *jus* pro *lege*, quomodò dividitur in jus naturale & poſitivum, de quo vide materiam de legibus. *Quid ſit jus.*

Porrò dividitur jus, in jus in re & jus ad rem. *Jus in re* eſt, quod tribuit actionem realem, ſive ad quem res ipſa devincta eſt, ſic ut ad quemcumque res illa devenerit, manet tamen illi obſtricta. *Jus ad rem eſt*, quod non tribuit actionem realem, ſed ſolùm perſonalem, ideſt non ad rem, ſed ad perſonam, eo quòd res ipſa nobis devincta non ſit, ſed ſolùm perſona ad nobis rem illa tribuendam. *Ius in re & ius ad rem.*

Dicendum 2. Dominium duplex eſt, juriſdictionis & proprietatis. *Dominium juriſdictionis* eſt poteſtas gubernandi ſubditos illis, præcipiendo, prohibendo, &c. Dominium hoc aliud eſt divinum, eſtque perfectiſſimum, quale habet Deus in omnia creata: aliud verò eſt humanum, quod dividitur in Eccleſiaſticum & politicum: *Dominium Eccleſiaſticum* eſt, poteſtas gubernandi ſubditos in ſpiritualibus, in ordine ad finem ſpiritualem. *Politicum* autem, eſt poteſtas gubernandi ſubditos in ordine ad pacem & felicitatem temporalem ſive politicam. *Dominii diviſio.*

Dominum proprietatis eſt jus diſponendi de re aliquâ tamquam ſuâ, ad omnem uſum, lege non prohibitum: quod ultimum additur, quia jus illud ſæpè per leges particulares reſtringitur, aut impeditur, uti patet in pupillis, qui ſunt Domini ſuarum rerum, ſed tamen uſus earum diverſis legibus impeditur. *Dominiũ proprietatis.*

Dominium illud dividitur in perfectum & imperfectum *Perfectum & imperfectum.*

ctum. *Perfectum* sive *plenum* est illud, quod simul complectitur proprietatem Rei & emolumentorum ejusdem. *Imperfectum* seu *non plenum* est illud, quod habet vel solam rei proprietatem absque emolumentis, vel solum usumfructum & emolumenta absque proprietate, quod Dominium vocatur *utile*, & Dominus illius, vocatur *usufructuarius*, nec ita propriè est Dominium.

Alio modo dicitur Dominium plenum & non plenum, non solùm ex parte objecti, sed & ex parte subjecti, prout habet compartem secum in Dominio vel non habet illam.

Potest dari dominium duorum in solidum. Dicendum 3. Potest dari Dominium duorum in solidum, idest, potestas disponendi de re indivisibili, quam jura per Dominium in solidum solent intelligere. Sic duo possunt habere Dominium ejusdem equi, ejusdem domûs, &c. Si verò intelligatur per Dominium in solidum, potestas utendi re aliquâ ad omnem usum possibilem, qualiter sæpè intelligunt Theologi; sic non possunt duo in solidum esse Domini ejusdem rei: cùm unus posset pro eodem instanti velle rem alienare, & alter pro eodem instanti nollet, in quo est aperta contradictio.

Dominiū rerum sub nullius potestate existentiū. Dicendum 4. Ad acquirendum Dominium rei alicujus, quæ sub nullius est potestate, ut sunt gemmæ in littore maris, aves & bestiæ sylvestres & volatiles: thesauri, &c. Requiritur sola apprehensio illarum rerum, & fiunt primi occupantis, ita statuunt diversa jura. Si verò res aliquæ Dominum habeant, etsi jam infortunio amissæ sint, ad acquirendum Dominium earumdem, requiritur ordinariè titulus & traditio; cùm in titulo fundetur Dominium & sit radix Dominii. *Titulus Dominii*

Titulus ille aliquando *Verus* est, aliquando *præsumptus*. *Verus* est, si revera subsistat: *Præsumptus* est, qui etsi revera non subsit, præsumitur tamen bonâ fide subesse.

Dicendum 5. Omnis & sola natura rationalis, est

subje-

subjectum capax Dominii. Quòd sola sit talis, probatur ex eo, quòd fundamentum Dominii & disponendi de re aliqua, sit intellectus & voluntas: quòd autem omnis sit talis, patet ex eo, quòd quælibet natura rationalis, sit Domina suorum actuum liberorum; unde Deus perfectissimum habet Dominium in omnes creaturas, non tamen tantum, ut beatos possit detrudere in gehennam, aut plectere innocentes: Vide dicta de beatitudine. Angeli quoque & animæ separatæ Dominium habent suæ famæ, hinc qui eis detraheret, faceret illis injuriam. Homines quoque habent Dominium suorum actuum, & aliorum, uti per se est manifestum. Parvuli ante usum rationis habent verum Dominium; etsi usus Dominii illius per leges sit impeditus ob defectum usûs rationis: idem dic de amentibus.

Subjectum Dominii.

Dominiū perfectissimum.

SECTIO V.

De Filiis familias, Religiosis, & Clericis non Religiosis, eorumque Dominio.

DICENDUM primò, Filii familias sub patriâ potestate constituti, habent Dominium bonorum *Castrensium*, id est, bonorum quæ in castris, sive militiâ, aut ratione militiæ acquirit filius. Item habet Dominium bonorum quasi Castrensium, id est illorum, quæ ratione beneficii Ecclesiastici, ut Cantoris, Exorcistæ, &c. Aut ratione officii publici, ut Judicis, Advocati, Notarii, &c. Aut ratione professionis artis liberalis proveniunt. Bonorum verò *adventitiorum*, id est, quæ aliorum donatione vel suâ industriâ, ut negotiatione acquirit filius, censetur habere Dominium directum, sicut de iisdem sine consensu Patris disponere nequeat, apud quem utilitas & administratio eorumdem remanet. Bonorum verò *profectitiorum*, seu quæ à Patre vivo, aut ejus intuitu dantur Filio,

Dominiū Filii fam.

Bona castrensia, quasi castrensia, adventitia & profectitia.

Filio, non habent Dominium, quamdiu sunt sub Patriâ potestate. Hoc quoque circa hæc dicta notari potest ex D. Stockmans in decis. Curiæ Brab. decis. 8. quòd in his Brabantiæ partibus, possint Filii Familias testari de iis rebus, quarum habent Dominium aut proprietatem, etsi Pater habeat usumfructum & administrationem. Notat autem ibidem in Frisiâ Filios Familias testari non posse.

Religiosorum Dominium. Dicendum 2. Religiosus status potest consistere cum Dominio in particulari, uti expressè declaravit Gregorius XIII. quoad Religiosos Societatis post biennium vota sua emittentes, ita tamen, ut Dominium illud nihil obsit voto paupertatis, cùm sit planè dependens à nutu superioris, à cujus nutu si independenter Religiosus talis aliqua bona alienet, alienatio illa erit valida, sed illicita, cùm nulla sit lex illam irritans aut invalidans.

Monasteriorum. Dicendum 3. Potest tamen Monasterium habere Dominium aliquarum rerum tam mobilium, quam immobilium, uti patet ex Concilio Trid. Ses. 24. c. 3. deinde, communiter dicitur, *quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio*, ex quo sequitur, Monasterium aliquorum fieri Dominum. Dominium autem hoc Monasterii non est ita independens, uti sæcularium; cùm non possit, nisi in utilitatem ac commodum communitatis, bona illa alienare; sed obligatur ea ad posteros transmittere: Denique potest Pontifex urgenti de causâ, bona Monasteriorum diminuere, & de uno ad aliud Monasterium ea transmittere.

Dicendum 4. Incapacitas illa Religiosorum oritur merè ex jure positivo Ecclesiæ: Ratio est, quòd votum simplex paupertatis non reddat hominem incapacem Dominii; si enim voluntate mutatâ, bona aliqua alienet, alienatio quidem illa erit illicita, sed tamen valida: Votum autem solemne, & simplex sunt ejusdem rationis, & votum solemne est solum Cæremonia Ecclesiastica, voto simplici superaddita, & jure Eccle-

Ecclesiastico solummodo introducta, de qua re plura in materia de voto.

Dicendum 5. Talis incapacitas Religiosi fuit ab initio status Religiosi; unde S. Augustinus in Regulâ, furti arguit eum qui Religiosorum, aliquod proprium possideret. Deinde, vivebant à principio juxta normam actorum 4. præscriptam, quando erant inter Discipulos omnia communia, quod non permittit aliquem habere in particulari Dominium Rei independenter ab alterius arbitrio. Denique capt. *cum ad Monasterium*, de statu Monachorum, dicitur, quòd abdicatio proprietatis ita pertineat ad statum Monachalem, ut ne Pontifex quidem in eâ valeat dispensare. Et quamvis aliqui Religiosi testati sint, prout narrant Historiæ de quodam Januario, & de eodem S. Aug. Serm. 1. & 2. de vita communi Clericorum, tamen factum illud S. Augustinus c. 3. & 4. ejusdem Sermonis vehementer accusat & reprehendit: neque inde sequitur eos eorumdem bonorum fuisse Dominos, sed cum iisdem fortè dispensatum, ut testamentum eorum post mortem valeret, qualiter sæpè dispensatur cum Episcopis Religiosis, de quo plura statim.

Dicendum 6. Religiosus ad Episcopatum aut Abbatiam promotus, est quoque incapax Dominii, cùm maneat verus Religiosus, de cujus essentiâ est votum paupertatis: ac de cætero nulla sit ratio hîc in eo dispensandi; unde bonorum communium sunt solùm administratores, non Domini, & indubiè peccant, si aliqua in vanis & superfluis expendant: quantum autem quisque Abbas vel Episcopus consumere possit, prudentum judicio est determinandum, uti etiam, quodnam cedere censeatur in communem utilitatem. Sunt tamen, qui hîc pro regulâ allegant, quòd si communitas vel sanior ejusdem pars conveniret in unum, & judicaret aliquid cedere in commune bonum, censendum esset in tale illud cedere. Ex quo sequitur, quòd ratione officii procuratoris, aut dispensatoris, teneatur Abbas suis subditis providere de necessariis, cùm

Religiosus Episcopus & Abbas manet verè pauper.

Quantum possint consumere

quilibet

quilibet Religiosus in particulari, etsi non habeat Dominium, habet tamen jus, ut de communi vivat, & sibi de necessariis provideatur. Necessaria autem illa non ita restringenda sunt, quam amplianda; nam ut verè S. Bernardus: *Ubi non est abundantia, non est observantia*; quod tamen de abundantiâ moderatâ est intelligendum.

Praestat abundare in dispensando.

Beneficiatus Religiosus manet vere paupsr.

Dicendum 7: Religiosus beneficiatus, cùm quoque maneat verus Religiosus, est incapax dominii; & quidquid acquirit, Monasterio acquirit. Non enim per beneficium magis eximitur à voto paupertatis; quam ab aliis votis. Testatur hoc praxis immemorialis in ordine nostro, quâ religiosi beneficiati: manent regulis ordinis nostri subjecti, quòd ut filii familias in Monasterio recipiantur, habeant locum professionis, vocem activam in electione Praelati, & quamvis jure communi habeat religiosus beneficiatus independentem administrationem fructuum ex suo beneficio provenientium, per particulares tamen leges, illud aliquando impeditur, prout aliquando expedit fieri. Fructus autem beneficii, & caetera talis religiosi bona acquiruntur monasterio. Ex quo ulterius patet, quomodo nec Episcopus, nec Decanus aliquod jus habeat in bona Pastoris defuncti, cùm quidquid religiosus acquisivit (qualis quoque fuit, dum ad beneficium erat promotus) monasterio acquisierit.

Bona Religiosi acquiruntur Monasterio.

Notant tamen aliqui, quòd religiosus beneficiatus possit liberè disponere de suis fructibus ad causas pias, neque quoad illas posse limitari: unde & statuta nostra prohibentia ne pastores & alii beneficiati notabilia munera aut dona amicis suis elargiantur, nihil agunt aut meminerunt, de dispositionibus ad pias causas; quamvis consultissimum sit, & illas expensas ad pias causas, si notabiles sint, superiori in inventario exprimere, ut judicet, an sint legitimè expensae, & pia causa revera subfuerit.

Ad quae possit disponere beneficiatus.

Dicendum. 8. Etsi jure antiquo religiosis permissum

sum fuerit habere reditus annuos ad nutum superioris revocabiles ad pias & honestas causas, jure tamen Concilii Tridentini sess. 25. cap. 2. de regularibus ita statuitur: *Nemini igitur regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo acquisita tamquam propria, aut etiam nomine conventûs possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem vel commendam.* Quo jure volunt aliqui, quòd jus antiquum non tantùm corrigatur, sed & elidatur, & novum jus condatur. Alii è contra docent jus antiquum solùm corrigi: maximè cùm multorum praxis habeat, bona aliqua mobilia vel immobilia dare religioso administranda, ut certam pensionem annuè persolvat monasterio. Optandum tamen, ut Tridentini lex ad litteram observaretur, ad majorem puritatem voti paupertatis, & vitæ communis.

Religiosorum incapacitas Dominii, redituum, &c.

APPENDIX.

De peculio sive reditibus annuis religiosorum.

DICENDUM primò etsi juxta posteriorem sententiam per Concilium Trid. non prohibeantur religiosorum peculia sive reditus, sed illis permittantur juxta jus antiquum, quod jus Concilium Trid. non elidit, sed solùm corrigit: tamen absolutè videtur esse contra vitam communem & paupertatis perfectionem, habere tales reditus. Probatur hoc ex primævâ puritate paupertatis Evangelicæ, undè paupertas religiosa descendit, quando fideles bona sua ante pedes Apostolorum ponebant, qui dividebant singulis prout cuique opus erat. Unde & dicebantur omnia eis communia. Hoc autem particulari possessione

ne peculii violatur: nam ut ait D. Basilius constitut. monast. c. 9. *Perfectissimam ego illam vitæ communionem apello, à qua omnis propria & privata cujuslibet rei possessio exclusa est: à qua abest omnis dissensio, omnis perturbatio & rixa, sed omnia communia.*

Nec refert, quòd peculia illa dicantur possidere religiosi, dependenter à nutu superioris: quia etsi eo titulo non sint dicendi proprietarii: puritas tamen Evangelicæ paupertatis & vitæ communis diminuitur, dum uni assignatur, quod omnibus deberet esse commune. Adde, quòd titulus ille sæpè proprietatem palliet, cujus veritatem sæpè superior deteget, si religiosum suo peculio privare attentet, & illud in communes usus expendere se velle declaret, ad quod superior juxta aliquorum sententiam aliquando constringitur, maximè ut omnem proprietatis animum à subditis excludat, & discant se nihil proprii possidere.

Dicendum 2. non videtur posse excusari à gravi culpâ superior ille, qui in monasterio satis fundato, & ubi necessaria victûs & amictûs religiosis suppetunt & administrantur, concedunt suis religiosis reditus immoderatos. Ratio hujus est, quòd juxta omnes, ut ejusmodi reditus sint liciti, debeant solùm inservire particulari necessitati religiosi: quâ de causâ eosdem plurimi excusant in monasteriis pauperioribus, ubi vix necessaria possunt religiosis de communi vel consuetis eleëmosynis ministrari: quæ ratio proinde in monasterio opulento prædicto hîc deëst.

Deinde, dum necessaria religiosis ministrantur, ad nihil aliud ordinariè serviunt ejusmodi reditus immoderati, nisi in usus vanos & prophanos, qui vitam communem æquè ac disciplinam religiosam destruunt aut corrumpunt, uti experientia probat.

Unde ulteriùs graviter peccat superior ille, qui in ejusmodi opulentis monasteriis non ministrat necessaria, dum eadem ministrare commodè potest, dando

dando causam similibus peculiis immoderatis: superiores enim illi juxta D. Antonin. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 11. non sunt in tuto statu, si non adhibeant debitam diligentiam, ut in communi vita religiosa transigatur, quando id commodè fieri potest, uti hîc fit. Mirum enim & notum, quot abusus ex vitæ communis violatione nascantur in religione. Similiter etiam peccat graviter subditus, qui communi vitâ non contentus, similes sibi reditus fundat, cùm sit quoque causa; quòd vita communis & religiosa disciplina violetur.

Dicendum 3. Peccant graviter Religiosi, qui ejusmodi reditus ita apud depositarios tenent, ut illis pro suo nutu independenter à licentiâ Prælati uti velint, nec per Prælatum illi reditus possint peti & pro suo libitu de iisdem disponere. Ratio hujus est, quòd hæc sit mera proprietas, velle aliquid possidere independenter à nutu & arbitrio superioris. Hinc peccant ii, qui vel sensim vel simul reditus illos sine scitu superioris petunt ab amicis vel depositariis, & eosdem pro suo libitu expendunt, & consumunt.

Dicendum 4. Posset Prælatus, imò juxta multos aliquando expediret, interdicere suis Religiosis ejusmodi peculia, & redigere omnes ad rectam observantiam vitæ communis. Neque hîc valeret excusatio, quòd quando professi sunt, fuerit usus ille à Superiori permissus, neque se aliter vovendo voluisse obligare, quam ad eum vivendi modum: Tum quia Religiosus in Professione suâ obligavit se ad observantiam religiosam, non verò ad ejus abusum, ob negligentiam aut malam conniventiam aliquando introductum: Tum etiam, quòd usus ille illorum peculiorum à Superioribus multis solùm toleretur & permittatur, non verò approbetur: Cum quâ permissione stat, quòd usus ille sit illegitimus, & consequenter justè & meritò possit revocari.

Ubi ergo exacta vult esse vitæ communis observantia, etiam ab omni proprietatis specie oportet

esse alienationem, *ut sit* juxta Chrysost. hom. 58. ad Pop. Antioch. *Una mensa; & Ministrantibus & suscipientibus & exhibentibus eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita.* Hinc in constitutionibus Canonicorum Regularium ita laudabiliter statuitur, p. 2. c. 1. *Etsi neque per professionem, neque per S. Canones prohibeamur annuos reditus in communi possidere, per Concilium autem Tridentinum id nobis sit concessum: Nihilominus (Voluntariè tamen, ut nullo umquam vinculo adstringamur) ab illis abstinemus, quo à sæcularibus negotiis liberiores, paupertatem Christi Domini, Apostolorum, & multitudinis illorum, quibus cor unum & anima una fuisse legitur, imitemur...... novitiis nostris, dum bonis suis ante Professionem renunciant, annuos reditus, quoad ipsi vixerint, nostræ congregationi ut relinquant, ne permittatur.* Optandum ergo, ut ejusmodi peculiorum praxis, maximè in Monasteriis opulentioribus eliminaretur, uti & alia plura, communi vitæ adversa, v. g. quod officialibus dentur salaria, non itidem aliis, qui aliquando illis operosiùs communitati inserviunt, & meliùs de eâdem merentur, de quibus ita ait S. Antonin. loco supra cit. *Magna quoque abusio est, ut fratres velint habere salaria pro officiis suis, cum omnia opera sint in manibus Prælatorum, ac etiam voluntates.*

Ut ergo peculia religiosorum sint licita, requiritur primò ut res quæ per modum peculii datur, sit conventui incorporata, & dispositioni superioris relicta. Ratio hujus est clara ex Concilio Trid. sess. 25. c. 2. de reg. Quòd expresfè vetat, ne quispiam aliqua bona mobilia aut immobilia tanquam propria, aut etiam nomine conventûs possideat, sed ea statim superiori tradi debeant, & conventui incorporari. Deindè, nisi aliquo modo essent illi incorporata, non videtur, quomodo in eadem haberet superior aut communitas aliquid juris, & consequenter clarè esset proprietarium. Ex quo patet, quam secura sint illa peculia, quæ relinquuntur religioso

ligioso sub eâ conditione, quod nullum jus ad eadem detur conventui, v. g. quòd Petrus religiosus possit exigere summam aliquam ab amicis annuam, quod non potest idem conventus: imò si conventus sese vellet ingerere, obligatio peculii sit planè nulla.

Requiritur 2. ut peculium concedatur ad simplicem usum facti, non juris. Ratio hujus est, quòd aliàs religiosus habeat aliquid proprium, scilicet jus ad illam pensionem. Jus enim ad pensionem independens, tam benè prohibetur à voto paupertatis quam ipsa pensio aut ejus possessio independens. Patet ex dictis.

Requiritur 3. ut peculium illud ad nutum superioris sit amovibile. Ratio est; quòd aliàs esset independens à nutu superioris, & consequenter proprietarium. Hinc assignant pro medio indagandæ proprietatis, si superior illud peculium exigeret, aut rejiceret.

Requiritur 4. ut peculium illud sit moderatum; ratio est, quòd omne superfluum vetetur voto paupertatis. Nec enim sola proprietas repugnat tali voto: sed etiam omnia illa habere, agere, possidere, quæ statui paupertatis repugnant. Si enim sola proprietas tali voto repugnaret: non posset contra paupertatem peccare communitas, qua talis, cùm proprietas & communitas opponuntur. Unde nec ad superflua potest superior dare licentiam, cui sola facultas est concessa ad ædificationem, non ad destructionem religionis, de quo alibi. Quando autem aliquid hîc sit moderatum, morali judicio est determinandum.

Requiritur 5. Ut subsit justa causa, puta si religioso illi non possit sufficienter juxta exigentiam status provideri à communitate. Nec ideo communitas aliqua necessaria religiosis substrahere debet, quòd aliunde illa possint acquirere; cùm eâ ratione det occasionem peculiorum & subinde destructionis disciplinæ, & aliorum abusuum in religione

Requiritur 6. ut peculium illud in usus vanos & superfluos non insumatur. Ratio illa patet ex dictis requisito 4.

Hoc tamen pro coronide hîc advertendum est, generaliter à quibusdam graviter culpari peculia religiosorum, & signanter Dyonis. Carthus. de reform. claustri art. 16. & de reformatione monialium art. 9 ubi ait: *Viri prudentes, & Sancti Religionum institutores, ex proprietate seu peculio multa mala provenire didicerunt, ut contumaciam, superbiam, contentionem, factionem, avaritiam; inanem gloriam, invidiam, mendacium, luxuriam, occupationem infructuosam, curam supervacaneam, dissolutionem variam, mentis distractionem, acediam, negligentemque divini officii persolutionem. Abundantes enim peculio, ad resistendum suis superioribus fiunt audaces, disciplinam & correctionem ægrè ferunt & excutiunt: Factiones concitant: Rebelliones fovent, commessationibus & ebrietatibus vacant, ex quibus in vitia carnis labuntur, & quotidie magis excæcantur & obdurantur.* Et novissimè Author celebris, ejusmodi peculia vocat *Monstra Religionum.* Sic & illos, qui sub prætextu, quod eadem retinerent nomine communitatis, dicit Trithemius exhort. 1. ad Monachos, parare sibi viam ad infernum. Alia huc spectantia videri possunt in materiâ de voto paupertatis.

SECTIO VI.

An Clerici sæculares sint Domini fructuum & maximè eorum qui ex beneficio honestam sustentationem excedunt.

PRÆNOTANDUM est ex Dominico Soto de jure & just. l. 10. q. 4. Art. 3. & aliis, alia esse Clericorum bona merè sæcularia, v. g. patrimonialia & similia, alia esse Ecclesiastica, quæ rursum sunt quadruplicia: quædam enim erant ex oblationibus fidelium,

lium, ut inde in communi viverent tam Clerici quam pauperes, de quo act. 4. quod fideles sua bona ad pedes Apostolorum ponerent, ut inde distribueretur, prout cuique opus erat. Quo tempore putat Soto cessasse decimas, & Clerum eâ distributione fuisse contentum. Aliud bonorum genus est, quod postea cœpit offerri Ecclesiæ, non solùm fidelium & pauperum sustentationi, sed tamquam stipendium perpetuæ Capellaniæ. Tertium bonorum genus est, quod ex quotidianis fidelium oblâtionibus, vel pro celebrandis Sacris, vel ad pedem altaris fieri solet. Quartum genus sunt decimæ, seu decima pars juri Clericorum addicta.

Secundò prænotari potest, in primitivâ Ecclesiâ omnes Clericos vixisse in communi, quæ vita erat verè Canonica & Apostolica, & ut ait Soto, erat status decentissimus, si durare potuisset: Unde & etiamnum in quibusdam Cathedralibus & Collegiatis ejus vitæ communis signum apparet & vestigium, ut Coloniæ, Leodii, Brugis & alibi. Quomodo autem ea communis vita apud Clericos desierit, dicit idem Doctor subdens: *Dum autem Clerici non cum suo capite vitam communem degerent, cœperunt Episcopi infideliter communia distribuere. Quare videntes Pontifices non posse vitam retineri communem, factâ bonorum Ecclesiæ partitione, in quatuor portiones singulas singulis addixerunt: Episcopo scilicèt unam, reliquo vero Clero alteram, & fabricæ necessitatique Ecclesiæ tertiam, ac denique quartam pauperibus. Idque fieri cœpit circa annum Domini 470. nempe in confinibus temporum Hieronymi & Augustini.* Ita Soto.

Tertiò prænotari potest, SS. Patres sæpè in hac materia locutos esse Hyperbolicè & per exaggerationem, vocando aliquando *avaritiam*, quod liberalitati debitæ deest: uti etiam vocando *rapinam*, quod misericordiæ debitæ Clericorum deest, & maximè eâ hyperbole uti, ut fortiùs Ecclesiasticos stringant, & ad debitas eleëmosynas validiùs inducant. Deinde hoc quoque notari potest, sæpè SS. Patres hic loqui, non

ut aliquid est præcepti, sed solùm consilii, & quid Clericali institutioni de se conveniat, puta vivere in communi, & sua pauperibus elargiri.

Deinde veteres SS. PP. & DD. valdè rigidi erant in hâc parte: Primò enim S. Prosper l. 2. de vitâ Contempl. c. 9. & sequentibus docet, Episcopum non posse vivere de bonis Ecclesiæ, si habeat patrimonium, nisi fortè illud Ecclesiæ donasset: Ita enim inter alia scribit. *Illi quoque qui vel idonei nil quidem sibi dari velut debitum poscunt, sed tamen Ecclesiæ vivunt sumptibus, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendos suscipiant, qui Ecclesiam, quam juvare de propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insuper gravant.* Et post pauca subdit. *Dura sunt quæ dico: nec ego diffiteor. Dura sunt, sed observare nolentibus.* Hunc secutus est S. Bernardus in declaratione super illa verba; *Ecce nos reliquimus omnia.* Imò S. Ambrosius in epistolâ ad Sororem ita scribit: *Convenior ipse à Comitibus & tribunis, ut basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem jure suo uti eo quòd in potestate ejus essent omnia. Respondi, si à me peteret quod meum esset, idest fundum meum, argentum meum, jus hujusmodi meum, me non refragaturum, quamquam omnia quæ mea sunt, essent pauperum.* Eâ de causa quoque antiquitus Ecclesiasticâ constitutione sancitum est in Conc. Carthag. 3. c. 49. ut quæ Episcopus vel Clericus ex paupere ditior effectus, emisset ex bonis Ecclesiæ, eadem Ecclesiæ cederent, nec posset de illis pro suo libitu testari, de quo videri potest Spondanus ad annum Christi 397. num. 19.

Insuper N. bona Clericorum sæpè vocari res Dei, patrimonium Christi, bona pauperum, &c. non ideò, quòd omnia illa bona ad Deum, vel ad pauperes pertineant tamquam veros Dominos: Sed quòd ad cultum Dei concedantur: Vel etiam quòd Clericis dabantur, qui more pauperum solebant in communi vivere.

His prænotatis, Dicendum primò, si quæ bona in usum

usum pauperum à populo offerantur, ea non posse à Clero usurpari, sed debent pauperibus distribui, & ille qui eadem usurpat nec distribuit, tenetur ad restitutionem: ita Soto loco citato. Bona verò secundi generis, puta prædia & aliæ possessiones relictæ sive Ecclesiæ sive Episcopatui, sive etiam Canonicatui, non transeunt in Dominium Episcopi aut Canonici præbendam possidentis, sed sunt solùm eorumdem administratores: quod patet ex eo, quòd eadem neque vendere possint nec alienare, nisi accedente consensu superioris, aliquando ipsius Pontificis. Fructuum verò ex possessionibus obvenientium, Clerici pro sua quisquè portione sunt veri Domini, uti & quotidianarum pitantiarum, quæ illis vel promissis vel exequiis offeruntur: Si enim eleëmosyna pauperi data, transeat in Dominium pauperis; quidni & similia oblata transeant in Dominium Clericorum? Si verò quædam possessiones aliquibus sub ea conditione competant, ut pauperes alant, certum est earumdem fructuum non esse absolutos Dominos, sed solùm administratores quoad eam partem, quæ pauperibus debetur. Quòd verò fructuum ex possessionibus uti & pitantiarum dictarum Clerici sint veri Domini, ulteriùs docet Concilium Trid. quod Ses. 24. c. 12. reform. statuit, ne Clericus habens beneficium, cui annexa est animarum cura, faciat fructus *suos*, si intra 2. menses non faciat professionem fidei: item, quòd Canonicus privetur primo anno fructibus, quos fecit *suos*, si ultra tres menses non resideat. Unde patet, quòd Clericus faciat aliquos fructus *suos*, sive aliquorum habeat Dominium, quos ex beneficio percipit, quod in primis dicendum est de iis, quæ honestæ sustentationi sunt necessaria. Oppositum tamen tenent aliqui, eo quòd omnia bona Ecclesiæ, etiam ex beneficio provenientia, dicantur *bona pauperum, patrimonium Christi*, & ut ait Conc. Trid. Ses. 25. c. 1. reform. quod *sint res Dei.* Sed quo sensu ea dicantur à SS. Patribus & aliis mox ante prænotavimus. Ut ut sit, certum est, quòd Cle-

rici possint liberè disponere de iis fructibus, quos ex beneficio acquirunt, & honestæ sustentationi sunt necessarii, adeò ut possint patrimonialibus bonis parcere, & de beneficii sui fructibus sibi de necessariis aut competentibus providere, de quo statim.

Quid dicendum de bonis quæ debitam sustentationem excedunt.

Dicendum 2. triplex est sententia quoad fructus, qui ultra debitam sustentationem supersunt ex beneficio. Prima satis communis docet, quòd etiam similium bonorum fiant domini: cui favere volunt Conc. Trid. supra citatum, quod innuit Clericos fructus sui beneficii facere *suos*, adeòque & illorum esse dominos. Verùm notandum est, quòd Concilium non loquatur de fructibus quibuscumque, sed solùm, ut alii docent, de fructibus necessariis ad honestam sustentationem, non item qui eam excedunt. Secunda sententia huic opposita docet, Clericos horum fructuum non esse dominos, sed solùm procuratores, & ad honestum & pium usum illos esse expendendos. Sententiam hanc Navarrus tenuit, quia, ut ait, aliter conscientiæ suæ non potuisset satisfacere, *unde nunc*, inquit, *Firmiùs assevero, beneficiarios insumentes malè, vanè, aut prophanè notabilem redituum præfatorum quantitatem, non tantùm peccare mortaliter, sed etiam obligari ad restitutionem. Archidiaconus*, ait, *vocat oppositam opinionem juris hæresim, alii errorem gravissimum*, imò Joannes Major docuit, quòd nemo Doctorum, qui ante ejus ætatem mortuus fuisset, contrarium tenuerit. Deinde teste Comitolo l. 1. respons. moral. q. 70. visa est contraria sententia Joanni Majori *Falsa & animarum deceptoria*, & ipsi Comitolo *Nova, periculi plena, & ab authoribus, nescio quibus, post mille quingentos annos in Rempublicam christianam invecta, de qua si in Concilio quopiam generali disceptaretur, tamquam falsa & catholicis auribus ac mentibus indigna, meritò exploderetur.* Ratio horum est, quòd bona illa vocentur passim à SS. Patribus *Bona pauperum, patrimonium Christi*, adeò ut S. Bern. epist. 2. ad Fulconem Archid.

chid. ita scribat: *quidquid præter necessarium victum, aut simplicem vestitum de altario retines; tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Quæ sententia si vera sit, rectè admodum Navarrus de redit. Eccles. q. 2. monito. 7. ubi ait. *Decipitur vulgus, cogitans grande bonum esse, alicui amplos reditus Ecclesiasticos habere: tum quia magno labore opus est, ad ita intendendum eorumdem dispositioni, ut ob eos Deum non perdat, retinendo vel insumendo, ubi, quando, quare, & quomodo non debet: tum quod rari sint animi satis fortes, ad resistendum tentationibus cognatorum & amicorum, plura quam par est petentium, juxta illud cujusdam sub morte conquerentis;* Medici abstulerunt mihi corpus, et animam amici...... *Tum quia etiam difficile est, servare se ab impulsionibus mundi, qui ut plus justo impendamus, quasi vim quandam infert, & avaritiæ conatibus, quæ ad retinendum plusquam oportet, impellit* Hactenus Navarrus.

Tertia sententia docet prædictorum fructuum Clericos quidem esse dominos, sed non absolutè & cum conditione, ut scilicet eosdem pauperibus aut pio fini distribuant: quæ sententia mediam viam init; adeòque docet Clericum ex charitate tantùm, non item ex justitiâ illos fructus taliter impendere, & si aliter consumpserit, non teneri ad restitutionem, quod secunda sententia affirmat.

Hoc interim notat Bellarminus in admonit. ad Nepotem, controversiâ ultimâ, non esse anxiè disputandum Clericis, an ex justitiâ, an ex charitate teneantur illa dare pauperibus, & ut ait, an sint fructuum suorum veri Domini, & an teneantur restituere, si malè expendant; *Parum enim, ait, refert, utrum damnentur ad inferos, quia peccarunt contra justitiam, an quia contra Charitatem.* Enim verò, si sæculares arctissimè obligentur superflua sua dare pauperibus, etiam juxta fundatam satis SS. Patrum sententiam ex justitiâ: Quid dicendum de Clericis, qui speciali titulo dicuntur *Pauperum Patres*? dicit quidem

Card.

Card. Lugo hîc, eos esse solùm Patres pauperum in spiritualibus: Sed contortè satis contra communem sensum, qui ex corporali sublevatione miseriæ pauperum, potissimùm ita Clericos appellant.

Quæres ultimò, an liceat beneficiario parcere bonis patrimonialibus, & vivere de bonis Ecclesiæ. Resp. Dyonisius Carthus. de vitâ canonic. art. 24. ita dicens. *Securiùs ac salubriùs, creditur ac paretur dictis SS. per quos locutus est Spiritus Dei, quam Scholasticorum quorumdam, qui suo magis, quam expedit, credunt & innituntur ingenio, auctoritates Sanctorum ad suam retorquentes opinionem. Quamvis ergò de propositâ quæstione quidam dicant Scholastici, posse licitè id fieri: Consultiùs tamen credendum est, & standum verbis Hieronymi & Bernardi, &c. Hieronymus enim inquit, qui de bonis suis sustentari potest, si acceperit, quod pauperum est, sacrilegium profectò committit....... si non eges & accipis: Rapis. Et S. Prosper: Non est meum, ait, dicere, quale crimen committant, qui cum de bonis suis juvare possunt Ecclesiam, eam suis gravant expensis.* Unde concludit dicens: *Constat ex introductis, quantis se exponant periculis, qui Ecclesiasticis beneficiis benè provisi, eorum se sustentant reditibus, suumque patrimonium largiuntur suis propinquis.* Ita ille.

Verum sententia illa ut nimium stricta & infundata passim rejicitur à DD. eo quòd, bona illa Clericis relicta sint tamquam laboris stipendium, vel ut iisdem tamquam eleëmosynis sustentarentur: Quod de illis licitè fit, etsi aliunde sint sufficientia ad debitam sustentationem: dum dignus est, qui altario servit, ut de altario vivat. Quare titulus beneficii censetur hîc dare jus ad exigendam debitam sustentationem. Ad verba verò SS. Patrum dici potest, illa procedere de jure antiquo, quando non dabatur Clericis talis portio, sed vivebant in communi. Neque etiam verum est, quòd dictus Author objicit, ejusmodi solùm esse stipendia Clericorum egentium, non verò illorum, quibus sufficientia

tia

tia aliundè abundant: Quod planè ex dictis constat esse infundatum, quod & docet contraria timoratorum praxis.

SECTIO VII.

De rebus, quæ cadunt sub Dominium hominis.

DICENDUM primò, Vita & membra hominis non sunt sub Dominio ejus, adeò ut de iisdem liberè possit disponere, sed sunt sub Dominio solius Dei, qui est author vitæ & necis, qui deducit ad portas inferi, & reducit, uti ait sapientia divina 16. Ratio hujus est, quòd Dominium dicat superioritatem; homo autem non est superior se, nec suis membris; cùm ipse homo nil sit aliud, nisi membra humana, simul sumpta. Quæ dicta intellige de Dominio directo, cùm certum sit, quòd vitæ & membrorum habeat Dominium utile, unde etiam, qui alterum occidit aut mutilat, facit alteri veram injuriam. Et quamvis homo se ipsum mutilare quandoque possit, v.g. ne totum corpus pereat; tamen hoc fit merè per accidens, nec dominium infert in sua membra, cùm etiam eâdem de causâ possit medicus mutilare hominem, qui tamen non habet Dominium in hominis membra.

Vita & membra non sunt sub Dominio hominis.

Eadem est ratio de semine humano, quæ dicta est de aliis membris. Sicut enim membrorum Dominium est apud solum Deum, sic ut eadem abscindere solummodo liceat certis casibus ab autore naturæ concessis; ita & de semine dicendum est, quòd sit sub Dominio Dei, sic ut illud abscindere à se non liceat, nisi certis casibus ab eodem concessis, v. g. in matrimonio; unde alibi docebitur, fornicationem esse jure naturæ illicitam, eo quòd re non suâ utatur ad usum ipsi prohibitum, idque invito rationabiliter Domino.

Nec semen humanum.

Dicen-

Est Dominus famæ. Dicendum 2. homo habet dominium suæ famæ, cum eam proprio labore & industriâ, puta studio, scientiâ &c. Acquirit, sicuti divitias; Hinc certis casibus, gravi scilicet de causa citra omnem injustitiam potest homo detrimentum famæ suæ pati, nisi obstet damnum tertii: sic peccat contra justitiam Prælatus, Paterfamilias prodigendo famam, eo quòd prodigalitas illa & infamiâ illorum vergat in infamiam subditorum. Aliàs si damnum tertii & scandalum absit, licebit in sui humiliationem, ad petendum consilium, &c. Suæ famæ detrimentum pati. vide D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 3.

SECTIO VIII.

De modis acquirendi Dominium illarum rerum, quæ sub nullius sunt Dominio, vel sub eo esse desierunt.

Animalium sylvestrium Dominiū. DICENDUM primò juxta ante dicta, animalia sylvestria & libera fiunt primi occupantis, quæ intelligi debent de animalibus sylvestribus in publico vagantibus, aliàs animalia sylvestria in vivario, aut loco seposito existentia, censentur esse sub dominio Domini talis loci. His annumerari solet examen apum, si jam abierit, & oculos domini effugerit, quo casu fiunt primi occupantis.

Animalium mãsuetorum. Dicendum 2. animalia naturâ suâ mansueta, ut Oves, Boves, Equi, Gallinæ &c. Retinent dominium suum, ubicumque vagantur, uti patet ex institut. de rerum divisione §. *Gallinarum*. Idem est de animalibus feris, sed jam mansuefactis, v. g. cervis, columbis, cuniculis, &c. Quamdiu consuetudinem redeundi retinent. Hinc peccant, qui illecebris aliorum columbas capiunt, nisi jam consuetudinem redeundi amiserint, aut grave damnum agris alicujus intulerint. Alibi tamen hoc sibi mutuo in- *Columbaria.* dulgent,

dulgent, ut quilibet columbas quaslibet modo quolibet possit ad se allicere: & damnum quod aliis inferunt, permissione communitatis pro nullo reputatur, adeoque cedunt alii juri suo respectu columbarum: alibi tamen particulares leges columbaria prohibent, ac varia de iisdem statuunt, ad quas quælibet patria attendere debet,

Fera vulnerata cujus sit, an vulnerantis, an capientis. Dicendum 3. si fera ab aliquo graviter vulnerata sit, quam adhuc insequitur, certò eam apprehensurus, & ab alio interim capiatur, fit vulnerantis, non autem capientis; cùm graviter vulnerando & insequendo certò sit eam accepturus; adeoque acquirat jus proximum in illam feram, quod jus ab alio non potest præverti. Aliud est, si vel feram amplius non insequatur vel dubium sit, an eam fuisset quis consecuturus, tunc fit primi capientis, cùm eo casu non censeatur fera amisisse suam naturalem libertatem.

Fera autem quæ inextricabiliter inhæret alicujus laqueo, adeo ut se luctando eximere non posset, fit ejus qui laqueum posuit; si verò extricabiliter laqueo inhæret, fit primi occupantis, cùm eo casu non censeatur amisisse naturalem libertatem. Idem conformiter dicendum de piscibus in nassa inclusis, aut hamo suspensis.

Venatio in fundo alieno. Dicendum 3. Etsi possit Dominus fundi prohibere, ne quis in suo fundo venetur, tamen qui venatur in illo fundo, etsi peccet, eo quòd faciat illud invito rationabiliter Domino, tamen feræ quas ibidem capit, fiunt venantis, cùm non sint Domini fundi, nec ejus fructus, sed casu ibidem vagantes & in naturali sua libertate. Aliud esset, si feræ illæ conclusæ forent in aliquo loco segregato, aut si segetes conculcarentur, sepes destruerentur aut notabile damnum venando Domino creasset; quo casu ex justitia tenetur quidem illud damnum resarcire, non tamen de feris à se captis in tali fundo aliquid restituere.

Dicendum 4. qui venatur instrumentis prohibitis, peccat

Venatio cum instrumentis prohibitis. peccat graviter, si grave damnum tali venatione Reipublicæ causet, non tamen tenetur feras ita captas restituere. Idem dic de eo, qui venatur in loco prohibito, aut alteri elocato. Ratio prioris est, quòd sit grave peccatum, inferre Reipublicæ damnum grave. Ratio posterioris est, quòd feræ prohibitis instrumentis, aut in loco prohibito captæ, non censeantur amisisse naturalem libertatem, adeoque fieri primi occupantis.

Venatio clericis interdicta, & qua Dicendum 5. Clericis interdicitur venatio jure positivo, ut patet ex capt. *de Clerico venatore*, ne ad vana negotia diffluant, qui soli Deo vacare debent. Restringitur tamen hæc prohibitio, ad venâtionem *clamorosam* quæ fit cum magno strepitu canum, & vi armorum; aliàs exercitii gratiâ, aut recreationis honestæ causâ, quieta venatio non censetur Clericis interdicta, si absit scandalum. Deinde, cùm pœnæ huic inhibitioni appositæ sint graves, sequitur quòd tantùm feriat Clericos illos, qui faciunt venandi professionem, non item illos, qui rarissimè venantur. Ita passim Theologi & Canonistæ.

Inventio venarum metallicarum. Dicendum 6. Stando in jure naturæ, inventio venæ metallicæ in loco publico, fit primi occupantis: In alterius fundo vero, fit Domini fundi, cùm venæ tales censeantur esse fructus fundi. Jure verò positivo, venæ tales partim inventori applicantur, partim Principi talis loci.

Thesauri. Thesaurus verò jure naturæ fit eum invenientis, cùm sit depositio rei mobilis, cujus non extat memoria, ut dicitur L. *numquam* §. *Thesaurus*, adeoque jam Dominum non habet, & consequenter fit primi occupantis. Jure tamen positivo, Thesaurus inventus in proprio fundo, fit totus inventoris: in alieno fundo fortuitò inventus, partim cedit Domino fundi, partim inventori. Inventus verò in alieno fundo de industria sine consensu Domini, fit totus Domini fundi: si verò inventus sit cum consensu Domini, vel dividendus est inter inventorem & Dominum, si præviè

viè talis sit facta conventio : Aliàs totus cedit inventori, cùm Dominus censeatur cessisse juri suo. Si verò sit inventus arte magica, addicitur fisco. Aliæ tamen leges in aliis Regnis de inventione thesauri sunt consulendæ

Porro poterit tutâ conscientiâ emi locus,in quo quis scit latere thesaurum, pretio cummuni, nihil de thesauro illo indicando. Ratio est, quòd justum pretium desumatur ex communi hominum æstimatione, non verò ex utilitate rei in se, & ex qua quis suâ industriâ multum lucri potest acquirere. Aliud esset, si ematur aliquid ab alio, qui rei pretium & valorem ignorat, ut à rustico emens gemmam, quam ille putat esse vitrum, cùm illa gemma communi hominum æstimatione pluris valeat. *Emptio loci in quo est Thesaurus.*

Dicendum 7. Bona derelicta à Domino, sive quæ eâ mente à se abdicavit, ut nolit ea ampliùs esse in numero suorum bonorum, fiunt primi ea occupantis. Unde aliud est, de bonis metu naufragii in mare projectis, quæ non reputantur pro derelictis, cum eadem non abdicavit à se illorum Dominus absolutè, sed solùm metu naufragii,adeo ut vellet eadem recuperare, si posset. Unde & in Bulla cœnæ excommunicantur, qui bona Christianorum naufragorum ad littus ejecta, injustè usurpant. *Bona derelicta.*

SECTIO IX.

De Præscriptione & usufructu.

DICENDUM primò, inter alios modos acquirendi Dominii est præscriptio, sive ut alii loquuntur, *usucapio*, quæ nihil est aliud, quam modus acqurendi Dominii per possessionem alicujus, rei, certo temporis spatio legibus definito continuatam. Jure autem civili est præscriptio introducta, ne diu & ferè semper, quarumdam rerum Dominia essent incerta, ut dicitur *Quid præscriptio.*

l. 1.

l. 1. *De usurp. & usucap.* Deinde non solùm valet in foro externo, sed & in foro conscientiæ, uti ex variis Canonibus patet, & signanter ex capt. *Quoniam de præscript.*

Quanam ad debitam præscriptionē sint requisita.

Dicendum 2. Ut præscriptio sit legitima, requiritur primò possessio; nam ut dicitur Reg. 3. in 6. *Sine possessione præscriptio non procedit.* 2. requiritur bona fides, sive credulitas, quâ quis prudenter judicat, rem possessam esse suam, aut saltem non esse alienam: Hinc dicitur ibidem Reg. 2. *Possessor malæ fidei, ullo tempore non præscribit.* 3. Ordinariè quoque requiritur titulus, saltem probabiliter præsumptus, puta donationis, emptionis, &c. Dixi *ordinariè*, quia aliquando titulus non requiritur, quando scilicèt nulla præsumptio stat in contrarium. 4. requiritur continuatio temporis legibus præscripta.

Quantum temporu ad præscriptionem requiratur

Dicendum 3. Ad præscriptionem rerum mobilium cum titulo probabiliter præsumpto, requiritur triennium: sine titulo verò, tempus 30. annorum. Ad præscriptionem verò rerum immobilium, requiritur cum titulo inter præsentes, idest in eodem territorio habitantes, decennium: inter absentes verò viginti annorum spatium: sine titulo vero, rursum 30. excipiuntur tamen bona immobilia hospitalis, monasterii & aliorum piorum locorum bona, quæ non nisi tempore 40. annorum præscribuntur: Ecclesiæ verò Romanæ bona, non nisi 100. annorum. Bona itidem pupillorum, quamdiu tales sunt, nullo tempore præscribi possunt, uti & bona Ecclesiæ, quæ alienari non possunt, aut sanctis usibus deserviunt. Varia tamen Regna, varias hîc habent leges consulendas.

Res præscripta an maneat præscribenti cognita esse aliena

Dicendum 4. quando quis rem præscripsit, & postea deprehendit rem esse alterius, potest tutâ conscientiâ rem illam retinere. Ratio est, quòd res illa per præscriptionem sit facta sua, & authoritate Reipublicæ jam acquisierit ejus dominium, quod ob bonum commune potest Respulica facere, dominia bono-

bonorum transferendo, puta ad cavendas lites, ne Dominia rerum manerent diu incerta, &c. Eâdem de causâ potest quis etiam sine suâ culpâ, re suâ à publica potestate privari, uti hîc fit. Non desunt tamen, qui contrarium docent.

Dicendum 5. *Ususfructus* est jus utendi, fruendi rebus alienis salvâ illarum rerum substantiâ. Unde usufructuarius potest quidem rei fructus percipere, & habere Dominium rei utile, sed debet salvam custodire rem cujus habet usumfructum: Ex quo sequitur, quòd ususfructus non possit constitui in rebus quæ unico usu consumuntur. Si quis verò vellet, quòd & rebus unico usu consumptibilibus uti quis posset, non adeo condemnandus, si to *uti* accipiat in significatione latiori. *Quid ususfructus.*

Duplex autem solet distingui usus, unum vocant *usum juris*, alium *usum facti*. *Usum juris* vocant aliqui usum irrevocabilem; *Usum facti* verò usum revocabilem: Sed perperam, cùm juris usus variis casibus possit revocari, uti patet in contractu venditionis cum onere revendendi, in donationibus, quæ ob ingratitudinem revocari possunt, in donatione minorennium de consensu tutoris facta, quæ, si sit de re notabili, beneficio restitutionis potest revocari, & aliis multis. Unde meliùs alii ea distinguunt in eo, quòd *usus facti* nihil juris præbeat utenti, *usus verò juris*, præbeat utenti jus & Dominium rei. Ita Nicolaus 3. extravag. *Exiit vocari* dubit. 8. num. 3. *Usus juris & facti.*

SECTIO X.

An usus distingui possit à Dominio, in rebus quæ unico usu consumuntur.

Dicendum primò, usus juris, à Dominio non potest separari. De usu juris jam ante probatum est. De usu facti verò dari potest separatus à Dominio, qualem usum habent Fratres Minores, quoad res sibi con- *Usus juris & facti an a Dominio possit separari.*

concessas. Magna tamen lis est, an Fratres illi habeant solum usum rei unico usu consumptibilis, v. g. cibi & potûs, separatum à Dominio earumdem rerum. Affirmant illi, eo quòd neque in particulari, neque in communi habeant aliquarum rerum Dominium, sed totum subsit dispositioni Pontificis, adeo ut omnium rerum dispositionem revocare posset, quo facto paupertas eorumdem tamquam purior ab aliis commendatur. Verùm omninò certum nobis est, illis fratribus non esse denegandum Dominium in res unico usu consumptibiles, & liberam earumdem dispositionem, eo quòd Dominium illud & administratio illa à Pontifice possit revocari, cùm Dominium cum revocabilitate simul stare possit, ut ante probatum est. Et quamvis in illorum regula expressè dicatur tales fratres nihil habere proprium, nihil obstat jam dictis, cùm Joannes 22. hoc expressè explicet de rebus unico usu non consumptibilibus: Deinde Paulus 4. resumpsit quidem Dominium domorum & similium, sed non rerum unico usu consumptibilium. Rursum, qui proprio nomine consumit rem aliquam, cum justo titulo, est ejusdem Dominus, dumque Fratres Minores, servi, filii familias habent cibum in ore, fiunt ejus Domini. Iterum, quis neget Fratres Minores esse Dominos pecuniæ, quam expenderent in extrema necessitate, emendo cibos, cùm verè ejus Dominium emendo transferrent in vendentem? Absonum verò est, quod hîc addit aliquis, quòd si Pontifex abdicaret à se Dominium earum rerum, transirent ad Dominium universale Dei, adeo ut nihil juris magis haberent eo casu Minores ad ea bona, quam avis ad grana, cùm avis Dominii sit incapax; non itidem Fratres Minores. Neque hoc obstat paupertatis puritati, quòd nullius sint Domini; nequidem in generali, quia perfecta paupertas in eo absolvitur, quòd Religiosus nihil possideat tamquam proprium, & independenter à nutu superioris, quod omnibus Religiosis est proprium & commune.

Quid de usu rei unico usu consumptibilis.

Sen-

Sententia hæc dicta apertè est Joannis 22. quem ideo *Fratricelli* dixerunt esse hæreticum, ut refert Antoninus, & Author Glossæ in Clement: *Exivi de Paradiso.* Hoc tamen diligenter est advertendum, quòd Joannes 22. non temerè hìc processerit, sed adhibito maturiori consilio Cardinalium, &c. uti ipse Joannes testatur constitut: quæ incipit, *ad conditorem* & 2. sequentibus. Neque hìc excipi potest, defectu debitæ promulgationis talis constitutionis, cùm teste Bzovio ad annum 1324. num. 9. omnibus Prælatis orbis Catholici sit prædicta constitutio promulgata, adeo ut quosdam biennio post huic obsistere volentes, jusserit Pontifex eosdem haberi ut contumaces & rebelles Ecclesiæ Romanæ, imò quòd *Michaëlem de Etsana*, ob hoc privarit suo Generalatu, eo quòd eam constitutionem septem annis post, niteretur oppugnare, declaravitque eum hæreticum, & hæreticorum fautorem: Deinde, *Petrum de Corbario* pseudopapam, qui Nicolai V. nomen assumpserat, noluit admittere ad absolutionem, nisi constitutionem *cum inter*, & *quia quorumdam* admitteret *per omnia & in omnibus*. Vide Bzovium ad annum 1330. ubi ejus confessionem refert, quam voluit Pontifex juramento confirmari.

Dices, Joannes 22. docuit, uti docuit Cœlestinus. Deinde Nicolaus 3. revocavit dictas constitutiones Joannis 22. Resp. Cælestinus contrarium quidem docuit ante Pontificatum, neque illud è cathedra definivit, sed ut persona privata docuit: Nicolaus vero 3. præcessit Joannem 22. Cujus proinde constitutionem non potuit revocasse. Adde quòd Joannes 22. expresè dicat Constitutionem Nicolai non esse intelligendam de rebus unico usu consumptibilibus, prout etiam de constitutionibus aliorum Pontificum poterit responderi.

CAPUT SECUNDUM.

De Injuriâ, & Restitutione.

SECTIO PRIMA.

Quid injustitia, injuria & cui illa fiat.

Quid injustitia.

DICENDUM primò, etsi injustitia sumi possit pro cujusvis legis transgressione, tamen hîc propriè, nihil est aliud, quam voluntas jus alterius violandi. Quâ definitione comprehenditur solùm habitualis injustitia, aliàs actualis injustitia est actualis alterius juris violatio, facta sine causa, quæ si adsit, non erit injustitia aut injuria, sic aliquando ob commune bonum alicui auferuntur sua bona absque injustitia.

Quot modis possit jus violari.

Porrò dupliciter censetur jus alterius violari, per injustam ablationem, & iniquam detentionem, unde oritur obligatio restitutionis, cùm commutativa justitia, etiam læsa, velit reduci rem ablatam ad æqualitatem. Unde patet, quare potiùs injustitia ad restitutionem obliget, quam aliæ virtutes læsæ.

Potest quis pati injuriam volens.

Dicendum 2. potest quis pati injuriam etiam volens, si scilicèt non sit sciens; sic pupillus, qui ob defectum judicii consentit in ablationem bonorum suorum, potest tamen in eo pati injuriam: Hinc regulâ 72. juris in 6. dicitur: *Scienti & consentienti non fit injuria.* Si vèrò sit sciens & consentiens, & juri suo cedere possit, non potest ei fieri injuria; dum enim eo casu consentit, censetur juri suo cedere, adeòque illud violari non censetur. Dictum autem est, *si juri suo cedere possit*, quia aliquando fit injuria,

ria, etiamsi quis consentiat, si scilicèt juri suo cedere non possit: sic marito fit injuria, etsi consentiat in adulterium uxoris &c.

Actio externa ab interna intentione contrahit injuriam.

Dicendum 3. potest actio externa fieri injuriosa, ex affectu interno, quæ secluso tali affectu injusta non esset. Ratio est, quia fieri potest, quòd actio aliqua de se non habeat connexionem sufficientem cum effectu, ad hoc ut qui vult actionem, censeatur velle effectum, illique imputetur ut causæ: sic ut accedente intentione, actio illa cum tali effectu habeat connexionem sufficientem, ut illi tamquam causæ imputetur effectus. Sic qui cœnaret ex intentione pollutionis lautiùs, censeretur peccare contra castitatem, & si foret conjugatus peccaret contra justitiam. Hinc, si velit aliquis suâ actione alteri inferre damnum, etsi actio illa remotè solùm & per accidens damnum inferat, peccat equidem ratione talis intentionis contra justitiam, etsi seclusâ tali intentione contra eam non peccasset. Idem evenit in eo, qui rem furtivam emit sciens ab alio, animo detinendi: quo casu peccat contra justitiam: si verò fiat intentione restituendi, nullo modo illam violat.

Impediens à consecutione boni sperati, an faciat illi injuriam.

Dicendum 4. qui alterum impedit à consecutione boni sperati, ad quod quis habet jus in re vel jus ad rem, facit contra jus alterius, adeòque facit ei injuriam. Si verò sine vi vel fraude illud impediat, sic ut alter non habeat strictum jus ad bonum speratum, v.g. ad beneficium quod sperat, non facit illi injuriam, cùm nihil juris ad illud habeat. Aliud est, si vi vel fraude ita alium impediat, quia etsi alter non habeat jus ad bonum speratum, tamen habet jus, ne vi vel fraude ab alio impediatur à consecutione boni sperati.

SECTIO II.

De restitutione.

Quid restitutio. Dicendum primò, *restitutio* est actus justitiæ commutativæ quo res alterius injustè ablata redditur, aut damnum injustè illatum compensatur. *Est necessaria.* Est hæc restitutio ad salutem necessaria, quia ut docet S. August. Epist. 54. ad Macedonium: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si restitui potest.* Ratio ejus est, quia dum materia restitutionis est notabilis, præceptum restituendi obligat sub mortali, adeòque restitutione culpabiliter omissâ, nullus salvari potest.

Fur alienа retinens continuo peccat. Dicendum 2. qui non restituit alienum, dum illud restituere potest, continuò peccat illud retinendo, non quidem semper novum peccatum addendo, sed idem peccatum injustitiæ continuando quatenus est diuturnior, & ex diuturniori detentione majùs damnum causat Domino illius rei. Quomodò verò diversificari possit numero & specie illa detentio, ex dictis de peccatorum diversitate colligi potest.

Restituere debet ex qua culpa. Dicendum 3. probabiliùs videtur hominem ex sola culpa theologica teneri ad restitutionem, nec sufficere culpam juridicam. Pro cujus intelligentia, notandum est à juristis quintuplicem distingui culpam, *Culpa latissima, lata, levis, levissima* *latissimam* quæ est apertus dolus. *Latiorem*, quæ est dolus præsumptus; *latam*, quæ est omissio diligentiæ solitæ adhiberi ab hominibus ejusdem conditionis. *Levem*, quæ est omissio diligentiæ solitæ adhiberi à prudentioribus, & *levissimam* quæ est omissio diligentiæ solitæ adhiberi à prudentissimis. *Culpa* vero *Theologica*, idem est, quod peccatum. Notandum insuper, quòd sæpè sit culpa juridica, absque eo quòd sit Theologica; culpa enim levis & Levissima raro est peccatum, cùm nemo teneatur in suis actionibus adhibere

adhibere diligentiam illam, quam prudentiores, vel prudentissimi adhibere solent: sed satis est, ut à culpa Theologica excusentur, quòd in agendo prudenter se gerant.

Probatur ergo dicta conclusio, quia quando sine peccato damnum aliquod est illatum, tunc Dominus rei censetur irrationabiliter invitus, nec ad illud, de quo non cogitat, alterum obligare potest. Unde quando inadvertentiâ, ignorantiâ invincibili, oblivione naturali, damnum est illatum, restitutio non obligat; etsi suadendum sit, quòd damnum ita inferens aliqualem compensationem faciat, essetque hoc rationi conforme.

Dicendum 3. qui intulit cum peccato veniali damnum leve, tenetur totum damnum restituere, cùm damnificatio illa sit formaliter injusta. Si verò cum peccato veniali intulerit damnum grave, tenetur illud restituere, & quidem probabiliùs sub mortali: Ratio est, quòd oblgatio restituendi oriatur ex natura rei, ex damnificatione injusta, adeòque dum damnum est grave, est materia gravis, & consequenter obligatio restituendi est gravis. Alia tamen opinio, quæ non obligat hîc sub mortali, sua probabilitate gaudet.

Dicendum 4. qui dat operam rei illicitæ, & omnem diligentiam adhibet ne ex illa actione sequatur damnum, non tenetur illud restituere. Ita dicitur capt. *Si culp.* ultimo de injuriis, quod non teneatur quis ad restitutionem, *qui nihil de contingentibus ad damnum præcavendum omisit.* Si tamen damnum illud prævidere potuit & debuit, omnino illud restituere tenetur unde, qui in ebrietate alteri infert damnum, quod prævidere poterat & debebat ex suâ ebrietate secuturum, eo quòd sciat se similia in ebrietate solitum esse committere, tenetur indubiè illud damnum resarcire. *Damnum secutum ex actione illicita.*

Dicendum 5. Ex contractu sæpè oriri obligationem restituendi, etsi nulla culpa intercesserit; imò etsi *Restitutionis obligatio orta ex contractu.*

etsi res fortuitò apud aliquem pereat. Contractus autem vel cedit in alterius, vel utriusque utilitatem. Si cedat res, vi contractûs in mei solius utilitatem, uti fit in commodato, tunc tenetur quis ad restitutionem, si res illa pereat, cum culpa levissima. Ita expressè habetur capt. *unico de commodato* & aliis juribus. Gratitudo enim & æquitas naturalis hoc dictat, ut magis sim circumspectus in custodiendis alterius rebus, quibus in meam utilitatem utor, quam in custodiendis propriis. An autem ante sententiam judicis ad restitutionem quis obligetur, an non, utrimque probabiliter disputatur.

Precarium quid. Excipitur ab hoc casu, si antea sit aliter conventum: item in *precario*, quod est commodatum revocabile ad nutum concedentis. Si enim illud pereat apud commodatarium, non tenetur nisi de dolo & culpâ latâ, ita L. 8. §. 3. de *precario*. Et hoc ideò quod precarium ad nutum concedentis possit revocari.

Si verò contractus cedat in alterius utilitatem, uti fit in deposito, tunc tantùm alter tenetur de dolo & culpâ latâ, si pereat. Ita habetur ex institut: *quibus modis contrahi possit obligatio* §. *interea & is.* Ratio hujus est, quod quisque debeat adhibere eam diligentiam in custodiendis rebus alterius, quam solet adhibere in custodiendis propriis, quæ diligentia excludit culpam latam & dolum, non item levem vel levissimam. Excipiuntur tamen hîc in jure quidam contractus, ut mandati, tutelæ &c.

Si autem contractus cedat in utilitatem utriusque, tenetur alius de culpa levi & lata, non item de levissima. Ita constat ex L. *contractus* 23. D. de regulis juris, & alibi. Talis est contractus pignoris, locati, conducti &c. Ratio autem hujus est, quòd æquitas naturalis dictet, ut ex unâ parte, majorem diligentiam adhibeam in custodia rei alterius, quæ cedit in meam utilitatem, quam in custodia rei propriæ: deinde, cùm etiam cedat contractus ille in utilitatem

litatem alterius, æquum est, ut etiam alicui periculo subjaceat. Excipitur tamen contractus ille virtualis, quem ineunt aurigæ, nautæ, stabularii, &c. Qui hospitum adventantium & viatorum bona custodienda acceperunt, quæ si pereant, tenentur etiam illi de culpa levissima ita habetur L. 3. §. 1. ff. *pro socio*.

Hoc tamen notandum, quòd circa prædicta consulendæ sint patriæ leges, quæ in diversis Regnis sunt diversæ. *Restitutio ex officio.*

Dicendum 6. Tenentur sæpè aliqui ad restitutionem ex officio, si illi desint, idque ex culpa lata, idque sive pro mercede officium obeant, sive gratis. Ratio est, quòd quilibet debeat adhibere eam diligentiam in officii functionibus, qualem adhibere prudentes solent. Si verò officium ambivit, & pro eodem accipit mercedem, etiam tenetur de culpa levi. Patet ex l. 7. *Quidquid tutoris. C. arbitrium tutelæ.* Ratio hujus est, quòd propositâ mercede non desint communiter, qui officium administrarent, cum exactâ peritiâ & diligentiâ, ad quod talis ambiens officium, se censetur obligasse. Dicta verò intelligenda sunt de culpa Theologica, non vero juridica: Non enim qui officia talia accipiunt administranda, censentur se velle obligare ad restitutionem, si officio desint, ex sola inadvertentia & planè inculpabiliter, adeòque præter eorum voluntatem. Si verò officium quis obeat absque mercede, solùm tenetur de culpa lata & dolo; Ratio est, quòd contractus ille non cedat in ipsius utilitatem: idem dic de eo, qui quidem pro officio stipendium accipit, tamen obedientiâ compellitur & est quasi invitus ad illud officium obeundum, eo quòd tunc quoque contractus ille non censeatur cedere in ejus utilitatem.

SECTIO

SECTIO III.

Quandonam confessarii teneantur ad restitutionem ex culpa commissa in suo officio.

Culpa cōfessarii ad restitutionem obligati.

DICENDUM primò, si confessarius positivè dicat pœnitenti, ut restituat, dum non debet restituere, vel ne restituat, dum debet restituere, idque ex culpa lata, tenetur in defectu pœnitentis damnum restituere. Ratio est, quòd qui injusto suo consilio impedivit justam restitutionem, sit causa moralis damni, sicut qui suadet furtum. Idem erit dicendum de casu, quo ex suo Consilio ex culpa lata dato, alteri tertio creētur damnum. Unde, si commodè possit, debet pœnitentem de suo errore admonere, quod si pœnitens adhuc potens sit ad restitutionem, & restituere negligat, ad nihil eo casu tenetur confessarius, quia eo casu errorem abstulit.

Dicendum 2. Si confessarius negativè se habeat in admonitione pœnitentis, dum eumdem restitutionis non admonet, dum potest & debet eum admonere, juxta plurimorum sententiam tenetur quoque in defectu pœnitentis confessarius ad restitutionem. Ratio est, quòd confessarius ex officio, & proinde justitia obligetur ad admonendum pœnitentem in iis, quæ necessaria sunt saluti ejusdem. Aliorum tamen opinio probabilior apparet, quæ negat confessarium debere restituere, si id negativè admonere omittat. Ratio illorum est, quòd confessarius ex officio non teneatur ad illam admonitionem ob bonum alterius tertii, cui restitutio facienda est, sed solùm ad bonum sui pœnitentis, quem instruere tenetur in iis, quæ salutem ejus concernunt; quod si omittat, peccat quidem confessarius contra pœnitentem, non tamen contra tertium, cui nihil debet. Excipe tamen ab hâc sententiâ, nisi omissio ejus admonitionis positivæ, monitioni pravæ æqui-

æquivaleat: v. g. si tacere confessarii ex circumstantiis censeatur esse virtuale consilium de contrario, aut ejusdem approbatio. Certum enim est secundùm omnes, quòd qui suo consilio est causa iniqua damni alterius, teneatur quoque ad illud damnum resarciendum.

Dicendum 2. Tenetur confessarius ad restitutionem ex culpa latâ & dolo. Ratio patet ex dictis, eo quòd confessarius non accipiat stipendium pro officio, & si quidpiam fortasse accipiat, accipit illud per modum eleëmosynæ aut sustentationis, non item stipendii. Etsi non desint alii, qui hoc negant de confessario curato, quem etiam ex levi culpa ad hoc volunt obligari. Quamvis & hoc addi possit, quòd si confessarius ad confessiones audiendas ex obedientia invitus cogitur, diffidens suæ peritiæ, magis hîc sit excusandus, quam alius, qui suâ sponte se ad hoc officium ingerit. Si verò confessarii respondeant juxta sententiam verè probabilem, nec ita consulant, aut ad aliquid suadeant pœnitentes, quam bene mentem suam de ea re aperiant, vel etiam respondeant dubitando; tum non tenentur ad restitutionem si negativè omittant, aut positivè ita concurrant, eo quòd tali casu, alter non tam consilio confessarii, quam propriâ malitiâ restitutionem omittat, aut suâ temeritate.

SECTIO IV.

An possimus negligere res alienas, si propriæ res sint in periculo pereundi.

Res propria an semper aliena sit præferenda.

Dicendum primò, Si res illa apud nos sit in utilitatem nostram, tenetur quilibet res alienas præferre rebus propriis, nisi res propriæ forent majoris longè valoris. Si verò res illæ sint penes nos in utilitatem eas concedentis, potest è contra proprias præferre alienis. Si denique cedant in utilitatem utriusque poterit præferre proprias, si sint æqualis aut majoris pretii, secùs si sint minoris. Dicen-

Dicendum 2. Probabilis tamen etiam est sententia, quæ tenet, quòd in omni casu liceat præferre res proprias rebus alienis, nisi pactum obstet. Ratio hujus est hæc, quòd nemo teneatur ad custodiam rei alienæ cum gravi suo detrimento, quale subire deberet, si ut parceret alienis rebus deberet perdere proprias. Aliud tamen esset, si esset res aliena longè majoris æstimationis. Ex dictis patet, quòd quis posset in incendio relinquere res alienas, ut proprias salvaret.

SECTIO V.

De iis, quæ excusant à restitutione.

Dicendum primò, generaliter illa excusant à restitutione, quæ faciunt creditorem non esse rationabiliter invitum; dum enim non est rationabiliter invitus, censetur consentire in omissionem restitutionis. Hæc autem partim se tenent ex parte creditoris, partim ex parte debitoris.

Impotentia. Ex parte debitoris verò 1. excusat à restitutione impotentia restituendi, sive ea physica sit, sive moralis. Unde extrema necessitas, in quam caderet, si restitueret, excusat à restitutione, uti etiam grave damnum, quod timetur, excusat à restitutione. De extrema necessitate clarum est, quia in illâ omnia sunt communia, unde & aliena hoc casu surripere licet, uti diximus agendo de eleëmosyna. Quod autem periculum gravis damni tam temporalis, quam spiritualis excuset, etiam clarum est, quia in casu talis periculi, non esset creditor rationabiliter invitus. Unde si ex restitutione timeretur, quòd in desperationem incidet debitor, quòd filia præ inopia sese prostituet, aut etiam si non possit restituere, nisi vendendo domum suam mille florenis, quam dilatâ restitutione vendere posset bis mille, excusatur debitor à restitutione, eo quòd his casibus censeretur creditor esse irrationabiliter

ter invitus: non excusatur tamen, si potuisset pecuniâ restituendâ lucrari, eo quòd nihil de suo hîc amittat, sed tantùm non percipit ex re alienâ emolumentum, quod potuisset percipere, quod creditor non tenetur attendere. Sic etiam à restitutione excusat jactura decentis & competentis status, eo quòd jactura status gravior sit, quam jactura rei temporalis. Dico *decentis & competentis*, eo quòd jactura status indecentis, uti etiam illius, quem injustè quis acquisivit, minimè excuset à restitutione. Hæc dicta intelligenda sunt de foro conscientiæ, cùm similes excusationes minuendi status, amittendi bona temporalia, in foro externo non admitterentur. *Grave damnum.*

Excipiendum etiam, si creditor sit in æquali necessitate. Si verò ambo sint in extrema necessitate, volunt aliqui quòd debitor possit sibi de rebus restituendis priùs providere, eo quòd hoc casu omnia sint communia. Verùm verius videtur, quòd etsi hoc admittendum sit, si res alterius justè sint ab alio acceptæ: Tamen id minimè verum videtur, si sint injustè ab alio acceptæ, cùm nullius iniquitas debeat alicui patrocinari, prædictum verò axioma, quòd in extrema necessitate omnia sint communia, intelligendum est solùm, si Dominus non sit in simili necessitate. *Æqualis necessitas.*

Idem est, si Dominus vel creditor sit in simili gravi necessitate, eo quòd Dominus hoc casu possit esse rationabiliter invitus, nec eo casu æquitas sinit debitorem præferri, quando creditor est in simili gravi necessitate.

Dicendum 2. Quòd remissio creditoris remittere valentis, excuset à restitutione, si non sit extorta vi vel fraude. Tunc enim debitum alteri condonat, & cedit juri suo, quod in alium habebat. Debet autem creditor ille habere potestatem remittendi; hinc Pupillus non potest debitum validè remittere. Dixi, *Si non sit extorta vi vel fraude*: Eo quòd aliàs non censeatur liberè velle remittere, unde si quis alium velit occidere, nisi remittat, aut fingat se pauperem ubi est dives, *Remissio Creditoris.*

dives, remissio illa tali vi vel fraude facta, non valeret, eo quòd aliàs non remisisset creditor, si vis aut dolus abfuisset.

Bonorum cessio. Dicendum 3. Bonorum cessio excusat à restitutione, non magis tamen, quàm impotentia se sola, unde si bonis cedens ad pinguiorem fortunam venerit, tenetur creditoribus suis satisfacere. In foro tamen externo hoc efficit bonorum cessio, quòd debitor non possit pro suis debitis incarcerari, nisi sit debitor ex delicto: deinde potest sibi retinere necessaria ad se suosque sustentandos, si sine sua culpa bonis cessit, secus si sit culpabilis: Unde Facultas Theol. Lov. censuravit hanc sequentem: *Qui cessit foro, potest sibi retinere bona, quibus indiget ad sustentationem familiæ, ne indecorè vivat, licèt debita quibus cedit, sint ex injustitia & notorio delicto contracta.* Quam censuram confirmavit Synodus Namurcensis 1659. in foro tamen externo creditoribus assignatur, quidquid mediocri sustentationi superest, unde dicta intellige de foro interno.

Compositio cum creditoribus. Casus tamen est hîc in patria satis frequens: qui bonis cedit, facit compositionem cum suis creditoribus, dandi 20. aut 30, pro centum: Quæsitum est, an debitor, si postea ad pinguiorem fortunam venerit, teneatur creditoribus in integrum solvere, an verò ab eo per factam compositionem sit liber, qui bonis cedit. Non desunt, qui respondeant, debitorem ad nihil teneri: cùm facta compositione censeantur creditores juri suo renuntiasse quoad reliquam partem. Verùm, verius existimo, talem, qui bonis cedit, si ad pinguiorem fortunam venerit, teneri creditoribus suis in integrum satisfacere, cùm planè involuntariè compositionem fecerint, nec illam facere voluissent, si in integrum illis potuisset solvi.

Quid cedentibus foro sit necessarium. Notandum est, hîc in patria Bonis cedentes, habere debere diploma Principis, aut personæ Principem repræsentantis, quod infra mensem ab acceptione debet in judicio offerri, cum jurata Synopsi bonorum, quæ creditoribus relinquunt, abdicatâ eorum

eorum possessione. Deinde, nihil sibi retinere possunt, nisi lectum unum cum suis ornamentis, & unicam rem mobilem, non pretiosam. Ita habet edictum Caroli V. & consuetudines Antverpienses tit 67. Denique notandum est, quod hoc dicto cessionis beneficio tantùm gaudeant, qui debitis gravati sunt sine delicto: aliàs si ex delicto illa debita quis contraxit, dolo vel fraude creditores circumveniendo, bona sua dilapidando &c. beneficio gaudere non debet, sed pænâ.

Dicendum 4. qui debitis alienis est gravatus, debet bona accepta restituere, si habeat unde restituat, nec ab eo excusatur per ingressum religionis. Idem dicendum est de eo, qui spem habet, bona in mundo remanendo, acquirendi, unde solvat. Ratio ejus est, quòd ingressus Religionis, utpote consilii tantùm, cedere debeat obligationi ex justitia contractæ. Unde talis ingrediendo peccaret, reddendo se impotentem ad restituendum: quare à variis Pontificibus interdictum est, Religionem ingredi illis, qui alieno ære sunt gravati, & in ordine nostro prævié ante restitutionem & professionem ab Abbate inter alia peti solet, an non sint ære alieno gravati: tenet tamen eorumdem professio, nisi superior aliter prævié protestetur, se nolle incorporare illum, si debitis alienis sit gravatus. *Ingressus Religionis non excusat à restitutione.*

Hæc de restitutione in generali: in particularibus materiis dicetur de illa in particulari.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De Occisione & mutilatione.

SECTIO PRIMA.

An & quo casu liceat alterum occidere.

Occisio generaliter interdicta.



ICENDUM primò, generalis est juris naturæ & divini lex, *non occides*. Ab hac tamen aliquæ dantur exceptiones, uti ab omni regula, quantumvis generali. Exceptiones illas disertè explicat S. August.

Casus excepti.

l. 1. de civit. c. 21. ubi ait: *His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.* Deinde ibidem ad particularia descendens, ita subdit: *Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est,* NON OCCIDES, *qui Deo authore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundùm ejus leges, hoc est justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solùm non est culpatus crudelitatis crimine, verùm etiam laudatus est, nomine pietatis, quod voluit Filium nequaquam sceleratè, sed obedienter occidere. Et meritò quæritur, utrum pro jussu Dei sit habendum, quod Jephte filiam, quæ patri occurrit, occidit, cùm se immolaturum hoc vovisset, quod ei redeunti de prælio, primitus occurrisset. Nec Sampson aliter excusatur, quòd se ipsum cum hostibus ruinâ domûs oppressit, nisi quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.* Hactenus S. Augustinus.

Ex quibus sequitur, quòd sicuti licet membrum putridum abscindere, ne totum corpus pereat: ita licitum

licitum sit abscindere à republica membra putrida, id-est fures & latrones, eos occidendo, juxta monitum divinum datum Exodi 22. *maleficos non patieris vivere.*

Patet itidem; quòd tam se quàm alios liceat occidere, quos Deus ipse, qui est author vitæ & necis, occidi jubet. Idem est, de bello justo, quod Deus approbavit, uti ex antedictis constat.

Dicendum 2. Licitum quoque est occidere alterum pro defensione propriæ vitæ. Innuunt hanc sententiam primò Catechismus Rom. parte 3. de 5. præcepto *Non occides* c. 6. num. 4. ubi ait: *Quòd si quis salutis suæ defendendæ causâ, omni adhibitâ cautione alterum interemerit, hâc lege* (non occides) *non teneri satis apparet.* Cui consonat, quod ex Canonibus pœnitentialis antiqui apud Morinum in appendice ad librum de pœnitentia pag. 9. dicitur: S*i quis autem forsitan defendendo, aut parentes suos, aut familias suas, occidisset aliquem, ille non erit reus.* Consentit S. Augustinus Epist. 54. ubi ait: *Cum homo ab homine occiditur, multum distat, utrum fiat nocendi cupiditate, vel injustè aliquid auferendi, sicut fit ab inimico, sicut à latrone: an ulciscendi vel obediendi ordine, sicut à judice, sicut à carnifice, an evadendi, vel subveniendi necessitate sicut interimitur latro à viatore, hostis à milite. Et aliquando, qui causa mortis fuit, potius in culpa est, quàm ille, qui occidit.* Et rursum q. 84. in Exod. *Intelligitur ergo*, ait, Exodi 22. *Tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur. Si autem diurnus pertinere. Hoc est enim quod ait: si orietur super eum Sol, poterat quippe discerni, quòd ad furandum non ad occidendum venerit, & ideo non debet occidi.* Unde patet, quòd ad homicidium non pertineat occisio invasoris vitæ. Augustinum sequitur D. Thomas signanter 2. 2. q. 64. a. 7. ubi ait in corpore: *Nec est necessarium ad salutem ut hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat* (invasus) *ad evitandam occisionem alterius.* Cui loco ita subnectit S. Antoninus: *Verum est tamen secundum Thomam, quòd nullus teneatur ad hoc,* (scilicet ut sinat se occidi.) *Sed* majo-

Defensio vitæ.

majoris perfectionis esset, si potius permitteret se interfici, quàm se defendendo occideret. Et hoc intellige, si est in bona dispositione animæ suæ. Nam alias fatuè faceret, exponendo se morti corporis & animæ.

Unde, si alibi S. Augustinus videatur docere contrarium, vel intelligi debet de consilio relinquendi se occidi, vel quòd difficulter moderamen inculpatæ tutelæ non excedat, qui invasus alium occidit: vel quòd irâ & vindictâ eo casu delinquere soleat. Sic dicit l. 1. de Libero Arbit. *impollutâ lege qui occidunt, ne ipsi occidantur, quomodo esse possint impolluti, non video.* Similia habet alibi.

Invadens involuntariè v. g. in ebrietate, &c. Dicendum 3. si invadens non sit injustus invasor, v. g. in ebrietate, aut amentiâ, si constet, quòd per peccatum mortale in ebrietatem aut amentiam inciderit, & probabiliter quis æstimet, quòd sit in statu gratiæ, tenetur invasus ex charitate sinere se interfici, cum plus sit ex charitate diligenda salus proximi spiritualis; quàm vita propria temporalis. Si verò hoc probabiliter judicare non possit, tum non posset invasus permittere se occidi, cum propria salus animæ, saluti alterius sit anteponenda. Unde juxta dicta, si non possit invasus aliter effugere, poterit invadentem occidere servato moderamine inculpatæ tutelæ.

Non licèt occidere adulterũ in adulterio deprehensum. Dicendum 4. Non licèt occidere adulterum, vel adulteram in adulterio deprehensam. Licitum quidem id aliquando fuit jure civili, tamen illi juri per S. Canones est derogatum. 33. q. 2. capt. *inter hæc*: cujus ratio est, quòd sine ullâ necessitate manifestissimo periculo damnationis æternæ, exponitur ille, qui ita occiditur. Ita tenet quoque S. August. l. 2. de adulterinis conjug. c. 15. unde merito Alexander VII. censuravit hanc sequentem: *Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam:* Quam sub pœna excommunicationis vetuit practicari vel docere.

Dicendum 5. Licitum est occidere tyrannum: Pro quo

quo notandum est, quòd dupliciter possit quis dici tyrannus. Semel ille, qui sine jure aut titulo Regnum tyrannicè invadit: alio modo, qui quidem habet jus ad Regnum, sed illud tyrannicè regit. Si priori modo sit tyrannus, potest quilibet de republica eum occidere, cum sit injustus invasor innocentium: imo eo titulo potest eumdem quilibet occidere. Debet tamen constare, quòd ne quidem probabile jus habeat ad Regnum, deinde ne graviora damna innocentibus de occisione tyranni timeantur. Si verò posteriori modo sit tyrannus, non licèt eum tali titulo occidere, eo quòd sit verus princeps, etsi tyrannicè regat. Ita statuitur in Concilio Constant. ses. 15. *Qualem tyrannum liceat occidere.*

Dicendum 6. Quæstio est an ille, qui paratus est alium occidere, possit ab eo occidi, v. g. maritus sub pulvinari posuit pugionem, ut de nocte maritam occidat, quæritur an illa possit prævenire maritum, eumque occidere. Ad quod respondeo, si moraliter certò constet, maritum ad id paratum, nec sit alia via evadendi, quòd titulo justæ defensionis vitæ possit eum prævenire & occidere. Ratio est, quòd talis eo casu censeatur esse injustus vitæ invasor. Si verò hoc non ita certò constet, verius videtur, quòd non possit eum occidere, tum quia fieri potest, quòd maritus mutabit animum: tum quòd alias, quilibet posset temerè de tali animo alterius parato præsumere, eumque occidere. *Occisio præveniens alterum volentem occidere.*

Dicendum 7. non licèt occidere alium pro defensione bonorum temporalium. Supponit eam sententiam Scriptura Sacra Exodi. 22. ubi dicitur, quòd fur diurnus occidi non possit, eo quòd dignosci poterat, quòd ad furandum, non item ad occidendum venerat, uti ad illum locum ait S. Augustinus, qui & l. 1. de Libero arbit. c. 5. ita ait: *Quomodo apud divinam providentiam liberi erunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Aliud esset, si fur se simul vel telo defendat, vel alio modo censeatur esse injustus vitæ invasor, quo *Defensio bonorum.*

casu furem occidi posse, leges permittunt. Ex quibus patet, quomodo à fortiori vetitum sit, furem occidere illarum rerum, quas nondum habemus, sed ad quas spem tenemus: unde rectè à S. Facultate Theol. Lov. proscripta est hæc: *Non solùm licitum est, defendere (defensione occisivâ) quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus habemus inchoatum, & quæ nos possessuros speramus. Quare licitum est, tam hæredi, quam legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legatum solvatur, se taliter defendere. Sicut & jus habentem in cathedram vel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.* Quam censuram suâ authoritate communivit Ecclesia. Et Synodus Namurcensis 1659. hanc censuravit & interdixit: *Neque ad culpam, neque ad pœnam homicidii condemnandus est, occidens eum, qui injustè aggreditur usurpare rem, quæ est valoris unius aurei, vel minoris.* Quam quoque Censuram approbavit Ecclesia in hac nupera condemnata: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* Hoc tamen hic notari potest, quòd nec D. Thomas, nec alii SS. Patres ex professo umquam instituerint hanc quæstionem, an liceret occidere alterum, pro defensione bonorum temporalium, tamquam pro certo supponentes, id esse illicitum.

Defensio pudicitiæ. Dicendum 8. Non licèt in justum stupratorem pro defensione pudicitiæ occidere. Ratio est, quòd pudicitia sit virtus in animo residens, quæ à nemine invito potest eripi. Hinc ait S. August. l. 1. de lib. arb. *de pudicitia quis dubitans erit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est, unde à violento stupratore eripi nec ipsa potest ..... qua propter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittunt interfici, sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Nec dici potest, quòd ob periculum consentiendi eos liceat occidere, cum apertum crimen non possit pro incerto periculi eventu fieri, neque facienda sint mala ut eveniant bona: Nec denique tali opinione aperietur via stupris & violatoribus pudicitiæ, cum leges civiles tales per-

mittant

mittant interfici, quod satis obstat talibus flagitiis.

Dicendum 9. Non licèt alium occidere pro defensione honoris & famæ. Ratio hujus est, quòd aliàs nimium perverteretur ordo amoris, si honor & fama, quæ parvi æstimanda sunt, ob suam inconstantiam & inanem hominum applausum, anteponerentur vitæ corporali & spirituali alterius. Deinde, vel ille justè invadit, vel injustè alterum, in famam ejus & honorem: si justè, ergo repelli non potest cum ejus occisione: si injustè, jam pro fama occidi non potest, cum moraliter certò cum vita perdet & salutem. Adde, quòd ex contraria opinione maxima sequerentur absurda, dum quilibet pretextu defendendi honoris & famæ, licitum æstimaret alium temere occidere. Quomodò tamen ratio sit habenda boni nominis, alibi est dictum. *Defensio honoru, calumnia &c.*

Idem dicendum est de eo, qui alium falsò accusat in judicio, ex qua accusatione incurrit mortis periculum, quam evadere non potest, nisi calumniatorem illum occidat: hunc enim illicitum esse occidere, satis declarant hæ opiniones ab Alexandro 7. proscriptæ: *Licitum est Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, publicè & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.*

Item hæc: *Licèt interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.*

Et hæc: *Vir æquestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Et hæc ab Innocentio XI. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingit alapam, vel fuste percutiat, vel post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.*

SECTIO II.

De occisione alterius innocentis.

Occisio directa semper vetita

DICENDUM primò, numquam licèt directè vel interpretativè occidere innocentem, etsi gravi de causa quandoque liceat ponere talem actionem, ex qua per accidens permittitur evenire alterius occisio. Prior pars patet Exodi 23. ubi dicitur: *insontem & justum non occides: quia aversor impium.*

Casus excepti.

Excipitur tamen occisio innocentis facta jussu divino, uti constat ex facto Abraham, cum Deus sit author vitæ & necis. Deinde per accidens potest quis permittere evenire occisionem innocentis, uti fit, si alium finem quis intendat, qui sine innocentis occisione merè per accidens se habente ad suam actionem haberi nequit uti potest quis in bello evertere turrim, in qua sunt innocentes, nisi aliter haberi posset finis belli. Sic etiam juxta plurimos licèt tyranno petenti innocentem sub exterminio reipublicæ, eum tradere & morti exponere, pro defensione boni communis: quo casu non censebitur coöperari tyranni istius occisioni, sed solum se habebit respublica permissivè, non defendendo innocentem, quem cum tanto periculo & damno defendere non tenetur. Si verò tyrannus ille petat innocentem, ut occidat, idque sub extremo exterminio, volunt aliqui, quòd eo casu non liceat reipublicæ tradere innocentem in eum finem tyranno, eo quòd sic coöperaretur occisioni tyranni, & directè eam intenderet. Alii tamen docent, quòd eo casu liceat reipublicæ tyranno tradere innocentem, ut à bono publico malum illud avertat, eo quòd traditio illa sit res de se indifferens, & de cæterò respublica habeat causam gravissimam talem actionem ponendi, unde censetur habere se merè permissivè ad occisionem innocentis. Adde, quòd hoc casu ex charitate

An liceat tradere innocentem quem tyrannus petit, sub internecione urbis

&

& pietate teneretur innocens de se accedere tyrannum, & vitam suam pro bono communi periculo exponere.

Dicendum 2. Non licèt matri gravidæ præbere pharmacum, quo fætus intereat, sive post, sive ante animationem illius. Ratio utriusque est, quòd non liceat procurare seminis effusionem, per pollutionem, ergo nec abortum: hinc rectè Tertullianus apologet. c. 3. ubi ait: *Nobis homicidio semel interdicto etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licèt. Homocidii festinatio est, prohiberi nasci. Nec refert quis natam eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est.* Et S. August. Serm. 244. de temp. *mulier*, ait, *quæcumque fecerit hoc, per quod jam non possit concipere, quantoscumque parere poterat, tantorum homicidiorum ream se esse cognoscat.* Unde jure merito censuravit facultas Theol. Lovan. hanc sequentem: *Quidam putant probabiliter, nondum animato fœtu licere abortum procurare ad vitandum scandalum, aut mortem.* Quam censuram confirmavit Innocentius XI. damnando hanc: *Licèt procurare abortum ante animationem fœtus ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.* *Abortus.*

Dicendum 3. si verò mater ægrotet periculosè, poterit dari pharmacum directè tendens ad sanitatem, licet prævideatur, quòd probabiliter sequetur aborsio, si fætus nondum sit animatus. Tunc enim censetur abortus se hic habere merè per accidens, & minimè procuratus: cum mater jus habet ad sumptionem talis pharmaci, & habeat gravem satis causam, ad abortum, qui per accidens evenit, permittendum. Si verò sit fœtus animatus, nec sit ulla spes (quæ tamen sæpe adest, ut patet in cæsaribus, id est, qui matre mortua exsecantur) vitam edendi, poterit idem fieri, quod mox dictum est: si verò adsit talis spes, hoc minimè fieri potest; ratio hujus est, quòd juxta ordinem charitatis, non li- *Abortus permissus non procuratus.*

ceat vitam spiritualem pueri nascituri, postponere vitæ corporali matris.

Quando fœtus animetur. Quandonam autem fœtus animetur, dissentiunt medici & Philosophi. Aliqui putant tertio aut secundo à conceptione die fœtum animari. Alii econtra docuerunt, non animari fœtum, nisi dum nascitur: alii communiter docent animari fœtum, masculinum quidem intra 30. dies: femininum vero 40. nec desunt, qui tantummodo intra duos menses animationem fieri sentiant, cum fœtus debeat primò organizari, antequam anima rationali informetur, quæ organizatio, tantum temporis probè requirit. Verum de his disputent medici. Hoc saltem jam nuper ab Ecclesia est condemnatum: *Videtur probabile omnem fœtum quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo homicidium committi.*

Mater gravida etiamnum viva secari potest. Dicendum 4. Licitum est matrem desperatæ vitæ, etiamnum vivam secare, si consentiat ne puer nondum natus, sine baptismo discedat. Ratio est, quòd si mors matris sequatur merè fit per accidens, imò teste Theophylo Raynaudo de ortu infantum c. 3. num. 6. & 7. hoc inter medicos est communissimum, quòd in dicto casu id liceat, & adfert plurima exempla, in qua secta mater puero extracto supervixit, imo hoc permittendum esse à matre ex charitate consequenter sustinet, quem authorem curiosi consulant.

SECTIO III.

De homicidio sui ipsius.

Non licet occidere se ipsum. Dicendum primò, non licet homini privatâ authoritate seipsum occidere *nusquam enim* ait S. August. contra donatistas, & l. 1. de civit. c. 20. *Nobis divinitus præce-*

praeceptum permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendae immortalitatis, vel ullius carendi cavendique mali causâ, nobis ipsis necem inferamus, nam & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi lex ait, non occides. dixi *privatâ authoritate*, quia permissione Divinâ id licet, cum Deus sit Dominus vitae & necis. Sic à suicidio excusantur Sampson, Appollonia, &c. sequitur tamen ex dictâ S. Augustini sententia, quòd nulla de causa id liceat, puta ut malum sibi vel alteri imminens evitet. Nam ut ait D. Thom. hic: *non debet in se committere crimen maximum, quod est sui ipsius occisio, ut vitet minus crimen alterius.* Et rursum: *nulli licèt se ipsum occidere, ne consentiat in peccatum: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, vel ut vitentur mala.* Ex dictis patet, improbabile esse, Lucretiam Romanam aliosque ethnicos non peccasse mortaliter se interficiendo, existimantes se opus laude dignum manibus suis moriendo praestare, peccavit itidem mortaliter ille, qui in S. Jobo c. 7. legens: *elegit suspendium anima mea*: se ipsum interemit.

Occidentes se ipsos condemnandi.

Dicendum 2. suicidium de se gravius est, quàm alterius occisio. Nam ut ait S. August. l. de patient. c. 13. *Si paricida eò scelerator est, quàm quilibet homicida, quia non tantùm hominem, verum etiam propinquum necat, & in ipsis paricidis, quantò propinquiorem quisque peremerit, tantò judicatur immanior: sine dubio pejor est, qui se occidit: quia nemo est homini se ipso propinquior.*

Suicidium est gravius, homicidio

Dicendùm 3. licitum est homini justa de causa aliqua facere vel omittere, ex quibus mors probabiliter sequetur: sic licitè vitam nostram exponimus periculo, si adsit gravis causa. Sic miles non deserit cum tanto periculo stationem, Pastor peste infectis Sacra administrat, damnatus ad mortem, scalas patibuli adscendit, gladio exponit cervicem &c. Non licèt tamen sibi falsum crimen fatendo imponere, unde subit periculum mortis, idque ut fugiat tormenta torturae: eo quòd mendacium nullo casu sit licitum, nec sint facienda mala, ut eveniant bona.

Occisio sui ex causa permissa.

Dicen-

Mortificatio illicita. Dicendum 4. Non licet asperitatibus rigidioribus corporis cum vitæ diminutione carnem domare. Talis enim illis asperitatibus censetur moraliter se occidere. Idem est de illis, qui sibi tantum de potu aut cibo substrahunt, ut reddantur impotentes ad opera sua debita peragenda. Licitum tamen est, & laudabile exemplo sanctorum, asperitatibus edomare carnis concupiscentias, etsi per accidens sequatur aliqualis vitæ diminutio, modo id non fiat ex tali intentione.

Damnatus ad mortem non potest se occidere Dicendum 5. Non potest damnatus ad mortem seipsum interimere sumendo venenum, in ignem se conjiciendo, &c. Ponendo talem actum ex quo mors infallibiliter, aut vero similiter sequi prævidetur. Sic etiam non potest damnatus ut fame pereat, respuere cibum sibi clanculò oblatum, illum enim *non sumere, esset seipsum occidere*, ait D. Thomas 2. 2. q. 69. a. 6. a. ad 2.

SECTIO IV.

De mutilatione sui ipsius.

Quo casu licita sit mutilatio. Dicendum primò potest homo se mutilare, si mutilatio necessaria sit ad conservationem totius. Sic potest homo membrum putridum abscindere, ne membrum illud totum corpus inficiat & corrumpat. Ratio est, quòd pars sit propter totum, adeoque ratio naturalis dictat, ut pars propter conservationem totius possit abscindi.

Non debet quis admittere mutilationem cum gravi dolore. Dicendum 2. non tamen tenetur homo talem mutilationem admittere cum magno cruciatu, & eventu satis probabili amittendæ vitæ; nec enim tenetur homo cum eventu non ita certo vitam suam conservare. Aliud esset, si foret persona publica, reipublicæ necessaria, &c. Cum bonum illius cedat in bonum communitatis.

Dicen-

Dicendum 3. etsi semen humanum se habeat ad instar membri humani, non tamen licet illud per pollutionem abscindere, etsi illâ possit vita conservari. Ratio illius est, quòd membra sint propter bonum individui, semen autem propter bonum speciei, unde dicitur, quòd Deus quidem dederit potestatem mutilandi se in dicto casu, non tamen semen abscindendi extra licitum usum ejusdem, puta extra matrimonium. Hinc ulterius notandum est, quòd etsi sit periculum vitæ, si pollutionem quis omittat, tamen illam procurare non liceat, cùm pollutio non sit medium ordinatum ad conservandam vitam, etsi sit ad illam necessaria: prout non liceret mentiri, adulterari, &c. si illa forent necessaria ad vitam conservandam. Unde laudatur ille, qui ut ait Poëta: *ne se pollueret, maluit ipse mori.* *Semen non licèt per pollutionem præscindere.*

Dicendum 4. Non licèt ad Imperium tyranni, alias mortem minantis, sibi amputare aliquod membrum: rationem hujus dat D. Thom. 2. 2. q. 65. a. 1. quòd extra casum corruptionis, de quo antea, non liceat se mutilare: nec ullubi intelligitur homini data talis potestas. Alii tamen satis probabiliter putant, quòd in hoc casu id liceat, cum manus v. g. prout conjuncta est, huic mandato tyranni, censeatur noxia & æquivalens corruptæ, unde propter bonum totius amputari poterit ad mandatum tyranni. *Mutilatio ad imperium tyranni facta.*

Dicendum 5. non licèt, ut sonoram vocem retineat, solertis medici manu, absque morali periculo mortis, se sinere castrari aut fieri eunuchus. Ratio D. Thomæ est, quam dat 2. 2. q. 65. a. 1. ad 3. *Quòd membrum non sit præscindendum propter corporalem salutem totius. nisi quando aliter toti subveniri non potest*, atqui sine castratione corporali saluti provideri potest, ergo. *Castratio illicita.*

Imo nec licita est castratio ad vincendas carnis tentationes in se permissa. Rationem hujus dat rursum D. Thomas loco citato, dum ait: *Saluti spirituali*

semper

majoris perfectionis esset, si potius permitteret se interfici, quàm se defendendo occideret. Et hoc intellige, si est in bona dispositione animæ suæ. Nam alias fatuè faceret, exponendo se morti corporis & animæ.

Unde, si alibi S. Augustinus videatur docere contrarium, vel intelligi debet de consilio relinquendi se occidi, vel quòd difficulter moderamen inculpatæ tutelæ non excedat, qui invasus alium occidit: vel quòd irâ & vindictâ eo casu delinquere soleat. Sic dicit l. 1. de Libero Arbit. *impollutâ lege qui occidunt, ne ipsi occidantur, quomodo esse possint impolluti, non video.* Similia habet alibi.

Invadens involuntariè v. g. in ebrietate, &c. Dicendum 3. si invadens non sit injustus invasor, v. g. in ebrietate, aut amentiâ, si constet, quòd per peccatum mortale in ebrietatem aut amentiam inciderit, & probabiliter quis æstimet, quòd sit in statu gratiæ, tenetur invasus ex charitate sinere se interfici, cum plus sit ex charitate diligenda salus proximi spiritualis; quàm vita propria temporalis. Si verò hoc probabiliter judicare non possit, tum non posset invasus permittere se occidi, cum propria salus animæ, saluti alterius sit anteponenda. Unde juxta dicta, si non possit invasus aliter effugere, poterit invadentem occidere servato moderamine inculpatæ tutelæ.

Non licèt occidere adulterũ in adulterio deprehensum. Dicendum 4. Non licèt occidere adulterum, vel adulteram in adulterio deprehensam. Licitum quidem id aliquando fuit jure civili, tamen illi juri per S. Canones est derogatum. 33. q. 2. capt. *inter hæc*: cujus ratio est, quòd sine ullâ necessitate manifestissimo periculo damnationis æternæ, exponitur ille, qui ita occiditur. Ita tenet quoque S. August. l. 2. de adulterinis conjug. c. 15. unde merito Alexander VII. censuravit hanc sequentem: *Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Quam sub pœna excommunicationis vetuit practicari vel docere.

Dicendum 5. Licitum est occidere tyrannum: Pro quo

quo notandum est, quòd dupliciter possit quis dici tyrannus. Semel ille, qui sine jure aut titulo Regnum tyrannicè invadit: alio modo, qui quidem habet jus ad Regnum, sed illud tyrannicè regit. Si priori modo sit tyrannus, potest quilibet de republica eum occidere, cum sit injustus invasor innocentium: imo eo titulo potest eumdem quilibet occidere. Debet tamen constare, quòd ne quidem probabile jus habeat ad Regnum, deinde ne graviora damna innocentibus de occisione tyranni timeantur. Si verò posteriori modo sit tyrannus, non licèt eum tali titulo occidere, eo quòd sit verus princeps, etsi tyrannicè regat. Ita statuitur in Concilio Constant. sess. 15. *Qualem tyrannum liceat occidere.*

Dicendum 6. Quæstio est an ille, qui paratus est alium occidere, possit ab eo occidi, v. g. maritus sub pulvinari posuit pugionem, ut de nocte maritam occidat, quæritur an illa possit prævenire maritum, eumque occidere. Ad quod respondeo, si moraliter certò constet, maritum ad id paratum, nec sit alia via evadendi, quòd titulo justæ defensionis vitæ possit eum prævenire & occidere. Ratio est, quòd talis eo casu censeatur esse injustus vitæ invasor. Si verò hoc non ita certò constet, verius videtur, quòd non possit eum occidere, tum quia fieri potest, quòd maritus mutabit animum: tum quòd alias, quilibet posset temerè de tali animo alterius parato præsumere, eumque occidere. *Occisio præveniẽs alterum volentem occidere.*

Dicendum 7. non licèt occidere alium pro defensione bonorum temporalium. Supponit eam sententiam Scriptura Sacra Exodi. 22. ubi dicitur, quòd fur diurnus occidi non possit, eo quòd dignosci poterat, quòd ad furandum, non item ad occidendum venerat, uti ad illum locum ait S. Augustinus, qui & l. 1. de Libero arbit. c. 5. ita ait: *Quomodo apud divinam providentiam liberi erunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Aliud esset, si fur se simul vel telo defendat, vel alio modo censeatur esse injustus vitæ invasor, quo *Defensio bonorum.*

casu furem occidi posse, leges permittunt. Ex quibus patet, quomodo à fortiori vetitum sit, furem occidere illarum rerum, quas nondum habemus, sed ad quas spem tenemus: unde rectè à S. Facultate Theol. Lov. proscripta est hæc: *Non solùm licitum est, defendere (defensione occisivâ) quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus habemus inchoatum, & quæ nos possessuros speramus. Quare licitum est, tam hæredi, quam legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legatum solvatur, se taliter defendere. Sicut & jus habentem in cathedram vel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.* Quam censuram suâ authoritate communivit Ecclesia. Et Synodus Namurcensis 1659. hanc censuravit & interdixit: *Neque ad culpam, neque ad pœnam homicidii condemnandus est, occidens eum, qui injustè aggreditur usurpare rem, quæ est valoris unius aurei, vel minoris.* Quam quoque Censuram approbavit Ecclesia in hac nupera condemnata: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* Hoc tamen hic notari potest, quòd nec D. Thomas, nec alii SS. Patres ex professo umquam instituerint hanc quæstionem, an liceret occidere alterum, pro defensione bonorum temporalium, tamquam pro certo supponentes, id esse illicitum.

Defensio pudicitiæ. Dicendum 8. Non licèt in justum stupratorem pro defensione pudicitiæ occidere. Ratio est, quòd pudicitia sit virtus in animo residens, quæ à nemine invito potest eripi. Hinc ait S. August. l. 1. de lib. arb. *de pudicitia quis dubitans erit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est, unde à violento stupratore eripi nec ipsa potest ..... qua propter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittunt interfici, sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Nec dici potest, quòd ob periculum consentiendi eos liceat occidere, cum apertum crimen non possit pro incerto periculi eventu fieri, neque facienda sint mala ut eveniant bona: Nec denique tali opinione aperietur via stupris & violatoribus pudicitiæ, cum leges civiles tales permittant

mittant interfici, quod satis obstat talibus flagitiis.

Dicendum 9. Non licèt alium occidere pro defensione honoris & famæ. Ratio hujus est, quòd aliàs nimium perverteretur ordo amoris, si honor & fama, quæ parvi æstimanda sunt, ob suam inconstantiam & inanem hominum applausum, anteponerentur vitæ corporali & spirituali alterius. Deinde, vel ille justè invadit, vel injustè alterum, in famam ejus & honorem: si justè, ergo repelli non potest cum ejus occisione: si injustè, jam pro fama occidi non potest, cum moraliter certò cum vita perdet & salutem. Adde, quòd ex contraria opinione maxima sequerentur absurda, dum quilibet pretextu defendendi honoris & famæ, licitum æstimaret alium temere occidere. Quomodò tamen ratio sit habenda boni nominis, alibi est dictum. *Defensio honoris, calumnia &c.*

Idem dicendum est de eo, qui alium falsò accusat in judicio, ex qua accusatione incurrit mortis periculum, quam evadere non potest, nisi calumniatorem illum occidat: hunc enim illicitum esse occidere, satis declarant hæ opiniones ab Alexandro 7. proscriptæ: *Licitum est Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, publicè & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.*

Item hæc: *Licèt interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.*

Et hæc: *Vir æquestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Et hæc ab Innocentio XI. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingit alapam, vel fuste percutiat, vel post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.*

SECTIO II.

De occisione alterius innocentis.

Occisio directa semper vetita

Dicendum primò, numquam licèt directè vel interpretativè occidere innocentem, etsi gravi de causa quandoque liceat ponere talem actionem, ex qua per accidens permittitur evenire alterius occisio. Prior pars patet Exodi 23. ubi dicitur: *insontem & justum non occides: quia aversor impium.*

Casus excepti.

Excipitur tamen occisio innocentis facta jussu divino, uti constat ex facto Abraham, cum Deus sit author vitæ & necis. Deinde per accidens potest quis permittere evenire occisionem innocentis, uti fit, si alium finem quis intendat, qui sine innocentis occisione merè per accidens se habente ad suam actionem haberi nequit uti potest quis in bello evertere turrim, in qua sunt innocentes, nisi aliter haberi posset finis belli. Sic etiam juxta plurimos licèt tyranno petenti innocentem sub exterminio reipublicæ, eum tradere & morti exponere, pro defensione boni communis: quo casu non censebitur coöperari tyranni istius occisioni, sed solum se habebit respublica permissivè, non defendendo innocentem, quem cum tanto periculo & damno defendere non tenetur. Si verò tyrannus ille petat innocentem, ut occidat, idque sub extremo exterminio, volunt aliqui, quòd eo casu non liceat reipublicæ tradere innocentem in eum finem tyranno, eo quòd sic coöperaretur occisioni tyranni, & directè eam intenderet. Alii tamen docent, quòd eo casu liceat reipublicæ tyranno tradere innocentem, ut à bono publico malum illud avertat, eo quòd traditio illa sit res de se indifferens, & de cætero respublica habeat causam gravissimam talem actionem ponendi, unde censetur habere se merè permissivè ad occisionem innocentis. Adde, quòd hoc casu ex charitate

An liceat tradere innocentem quem tyrannus petit, sub internecione urbis

&

& pietate teneretur innocens de se accedere tyrannum, & vitam suam pro bono communi periculo exponere.

Dicendum 2. Non licèt matri gravidæ præbere pharmacum, quo fœtus intereat, sive post, sive ante animationem illius. Ratio utriusque est, quòd non liceat procurare seminis effusionem, per pollutionem, ergo nec abortum: hinc rectè Tertullianus apologet. c. 3. ubi ait: *Nobis homicidio semel interdicto etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licèt. Homocidii festinatio est, prohiberi nasci. Nec refert quis natam eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est.* Et S. August. Serm. 244. de temp. *mulier*, ait, *quæcumque fecerit hoc, per quod jam non possit concipere, quantoscumque parere poterat, tantorum homicidiorum ream se esse cognoscat.* Unde jure merito censuravit facultas Theol. Lovan. hanc sequentem: *Quidam putant probabiliter, nondum animato fœtu licere abortum procurare ad vitandum scandalum, aut mortem.* Quam censuram confirmavit Innocentius XI. damnando hanc: *Licèt procurare abortum ante animationem fœtus ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.* *Abortus.*

Dicendum 3. si verò mater ægrotet periculosè, poterit dari pharmacum directè tendens ad sanitatem, licet prævideatur, quòd probabiliter sequetur aborsio, si fœtus nondum sit animatus. Tunc enim censetur abortus se hic habere merè per accidens, & minimè procuratus: cum mater jus habet ad sumptionem talis pharmaci, & habeat gravem satis causam, ad abortum, qui per accidens evenit, permittendum. Si verò sit fœtus animatus, nec sit ulla spes (quæ tamen sæpe adest, ut patet in cæsaribus, id est, qui matre mortua exsecantur) vitam edendi, poterit idem fieri, quod mox dictum est: si verò adsit talis spes, hoc minimè fieri potest; ratio hujus est, quòd juxta ordinem charitatis, non li- *Abortus permissus non procuratus.*

ceat vitam spiritualem pueri nasci turi, postponere vitæ corporali matris.

Quando fœtus animetur. Quandonam autem fœtus animetur, dissentiunt medici & Philosophi. Aliqui putant tertio aut secundo à conceptione die fœtum animari. Alii econtra docuerunt, non animari fœtum, nisi dum nascitur: alii communiter docent animari fœtum, masculinum quidem intra 30. dies: femininum vero 40. nec desunt, qui tantummodo intra duos menses animationem fieri sentiant, cum fœtus debeat primò organizari, antequam anima rationali informetur, quæ organizatio, tantum temporis probè requirit. Verum de his disputent medici. Hoc saltem jam nuper ab Ecclesia est condemnatum: *Videtur probabile omnem fœtum quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo homicidium committi.*

Mater gravida etiamnum viva secari potest. Dicendum 4. Licitum est matrem desperatæ vitæ, etiamnum vivam secare, si consentiat ne puer nondum natus, sine baptismo discedat. Ratio est, quòd si mors matris sequatur merè sit per accidens, imò teste Theophylo Raynaudo de ortu infantum c. 3. num. 6. & 7. hoc inter medicos est communissimum, quòd in dicto casu id liceat, & adfert plurima exempla, in qua secta mater puero extracto supervixit, imo hoc permittendum esse à matre ex charitate consequenter sustinet, quem authorem curiosi consulant.

SECTIO III.

De homicidio sui ipsius.

Non licet occidere se ipsum. DICENDUM primò, non licet homini privatâ authoritate seipsum occidere *nusquam enim* ait S. August. contra donatistas, & l. 1. de civit. c. 20. *Nobis divinitus præce-*

præceptum permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi cavendique mali causâ, nobis ipsis necem inferamus, nam & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi lex ait, non occides. dixi *privatâ authoritate*, quia permissione Divinâ id licet, cum Deus sit Dominus vitæ & necis. Sic à suicidio excusantur Sampson, Appollonia, &c. sequitur tamen ex dictâ S. Augustini sententia, quòd nulla de causa id liceat, puta ut malum sibi vel alteri imminens evitet. Nam ut ait D. Thom. hic: *non debet in se committere crimen maximum, quod est sui ipsius occisio, ut vitet minus crimen alterius.* Et rursum: *nulli licèt se ipsum occidere, ne consentiat in peccatum: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, vel ut vitentur mala.* Ex dictis patet, improbabile esse, Lucretiam Romanam aliosque ethnicos non peccasse mortaliter se interficiendo, existimantes se opus laude dignum manibus suis moriendo præstare, peccavit itidem mortaliter ille, qui in S. Jobo c. 7. legens: *elegit suspendium anima mea*: se ipsum interemit. *Occidentes se ipsos condemnandi.*

Dicendum 2. suicidium de se gravius est, quàm alterius occisio. Nam ut ait S. August. l. de patient. c. 13. *Si paricida eò sceleratior est, quàm quilibet homicida, quia non tantùm hominem, verum etiam propinquum necat, & in ipsis paricidis, quantò propinquiorem quisque peremerit, tantò judicatur immanior: sine dubio pejor est, qui se occidit: quia nemo est homini se ipso propinquior.* *Suicidium est gravius, homicidio.*

Dicendùm 3. licitum est homini justa de causa aliqua facere vel omittere, ex quibus mors probabiliter sequetur: sic licitè vitam nostram exponimus periculo, si adsit gravis causa. Sic miles non deserit cum tanto periculo stationem, Pastor peste infectis Sacra administrat, damnatus ad mortem, scalas patibuli adscendit, gladio exponit cervicem &c. Non licèt tamen sibi falsum crimen fatendo imponere, unde subit periculum mortis, idque ut fugiat tormenta torturæ: eo quòd mendacium nullo casu sit licitum, nec sint facienda mala, ut eveniant bona. *Occisio sui ex causa permissa.*

Dicen-

Dicendum 3. etsi semen humanum se habeat ad instar membri humani, non tamen licet illud per pollutionem abscindere, etsi illâ possit vita conservari. Ratio illius est, quòd membra sint propter bonum individui, semen autem propter bonum speciei, unde dicitur, quòd Deus quidem dederit potestatem mutilandi se in dicto casu, non tamen semen abscindendi extra licitum usum ejusdem, puta extra matrimonium. Hinc ulterius notandum est, quòd etsi sit periculum vitæ, si pollutionem quis omittat, tamen illam procurare non liceat, cùm pollutio non sit medium ordinatum ad conservandam vitam, etsi sit ad illam necessaria: prout non liceret mentiri, adulterari, &c. si illa forent necessaria ad vitam conservandam. Unde laudatur ille, qui ut ait Poëta: *ne se pollueret, maluit ipse mori.*

Semen non licèt per pollutionem præscindere.

Dicendum 4. Non licèt ad Imperium tyranni, alias mortem minantis, sibi amputare aliquod membrum: rationem hujus dat D. Thom. 2. 2. q. 65. a. 1. quòd extra casum corruptionis, de quo antea, non liceat se mutilare: nec ullubi intelligitur homini data talis potestas. Alii tamen satis probabiliter putant, quòd in hoc casu id liceat, cum manus v. g. prout conjuncta est, huic mandato tyranni, censeatur noxia & æquivalens corruptæ, unde propter bonum totius amputari poterit ad mandatum tyranni.

Mutilatio ad imperium tyranni facta.

Dicendum 5. non licèt, ut sonoram vocem retineat, solertis medici manu, absque morali periculo mortis, se sinere castrari aut fieri enunchus. Ratio D. Thomæ est, quam dat 2. 2. q. 65. a. 1. ad 3. *Quòd membrum non sit præscindendum propter corporalem salutem totius. nisi quando aliter toti subveniri non potest*, atqui sine castratione corporali saluti provideri potest, ergo.

Castratio illicita.

Imo nec licita est castratio ad vincendas carnis tentationes in se permissa. Rationem hujus dat rursum D. Thomas loco citato, dum ait: *Saluti spirituali*

semper

semper potest aliter subveniri, quàm per membri præcisionem, quia peccatum subjacet voluntati: & ideo in nullo casu licèt membrum præscindere, propter quodcumque peccatum vitandum. Ratio hujus est, quòd castratio non sit medium ordinatum ad vincendas carnis tentationes, sed cum sapiente c. 8. adeundus hic Dominus & exorandus; adhibenda jejunia mortificationis actus &c. adde, quòd castratione teste S. Chrysostomo hom. 63. in Matth. *Cupiditatis æstus non mitigentur, sed graviores inflammatioresque reddantur.* Idem docet S. Basilius l. de vera virginit. S. August. l. 6. cont. Julianum c. 14. & ipsa Scriptura Sacra Eccles. 20. ubi dicitur: *Concupiscentia spadonum devirginabit juvenculam.*

Castratio libidinem inflammat.

SECTIO V.

De restitutione facienda per homicidium vel mutilationem.

Debet aliquid pro vita restitui.

DICENDUM primò, Verius videtur, quòd aliquid restitui debeat pro vita & mutilatione occisi aut mutilati. Declarat illud D. Thomas loco citato a. 2. ad 1. ubi ait: *Quando id, quod ablatum est, non est restituibile per aliquod æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, consideratâ conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri.* Ratio hujus est, quòd alter fuerit injusta causa occisionis aut mutilationis alterius, ergo ex justitia tenetur inæqualitatem factam reducere ad æqualitatem, quoad fieri potest.

Debet necessar. de lucro & damno occisi.

Dicendum 2. Tenetur homicida aut mutilator de damno aut lucro cessante occiso vel mutilato, prout vero similis spes est lucrum conquirendi, cum sit mutilator aut occisor, injusta causa damni aut lucri cessantis. Tenetur itidem ille, ad persolvendas expensas medicis factas ratione mutilationis, aut occisionis,

missionis, non itidem exequiarum, quæ equidem fieri debuissent serius aut citius.

Dicendum 3. si homicida moriatur, tenentur hæredes illius pro ipso restituere: quod intelligendum est in foro conscientiæ, cum in foro externo leges negent actionem contra hæredes homicidæ. Hæredes enim, sicut succedunt, in bona defuncti, ita succedunt & in obligationes ejusdem. Imo verius apparet, quòd etsi homicida à Magistratu morte plectatur, tamen teneantur hæredes ad damna dicta resarcienda, eo quòd morte illa sit solum satisfactum justitiæ publicæ, non tamen privatæ: etsi tali morte, tamquam pœna talionis censeantur hæredes defuncti esse contenti, nec exigere ulteriorem satisfactionem. *Hæredes tenentur ad restitutionem mortuo occisore.*

Dicendum 4. Qui injustè ab alio invasus, invasorem sese defendendo occidit, servans moderamen inculpatæ tutelæ, non tenetur aliquid restituere pro vita occisi: ratio est, quòd illud, eo casu licitum sit, ut antea probavimus, nec sit contra justitiam, quæ restitutionem exigat. *Se justè defendens non tenetur aliquid restituere.*

Dicendum 5. tenetur homicida animæ occisi restituere illa damna spiritualia, quæ in vita potuisset præcavere, aut lucra spiritualia, quæ potuisset obtinere. Hinc tenentur confessarii homicidas admonere, ut pro anima defuncti curent missas celebrari, pro viribus suarum facultatum, imo id pro pœnitentia salutari illis injungere, uti etiam, quòd pro occisi anima eleëmosynas elargiantur, jejunent &c. variæ autem in primitiva Ecclesia fuerunt pœnæ homicidis impositæ 1. quòd 40. diebus in pane & aqua jejunare deberent. 2. quòd 7. annis deberent agere pœnitentiam: 3. quòd primo anno deberent absolutè carere piscibus & vino; secundo vero & tertio anno idem facere debebant, excepto, quòd feriis 3. 5. & Sabbatho illam carentiam possent eleëmosynis compensare. Quatuor annis sequentibus, debebant per 40. dies jejunare variis temporibus, ut *Quid occisor debeat animæ occisi.*

ante

ante Pascha, ante Festum S. Joannis Baptistæ, &c.

Quibus debeat fieri restitutio. Dicendum 6. Tenetur homicida ad restitutionem faciendam parentibus, uxori ac liberis occisi. Obligatio hæc non oritur ex jure, quod personæ illæ habent in bona defuncti, sed oritur ex arctissima connexione illorum cum defuncto, & quatenus ipsis jus competebat, ab ipso petendi alimenta, & alia ad debitam sustentationem necessaria. Unde contrarium dicendum est, si personæ illæ ex morte occisi nullum sentiant incommodum, si ipsis occisus alimenta & alia suppeditare non soleret, &c.

An creditoribus occisi teneatur homicida. Dicendum 7. Verius videtur, quòd homicida non teneatur ad satisfactionem faciendam creditoribus defuncti. Creditor enim non habet jus in debitorem, nisi quatenus habet jus in bona debitoris, quæ actu habet, vel vero similiter erat habiturus: cum ergo illa bona homicida dederit hæredibus defuncti, quibus ea debet, poterit creditor ab hæredibus debita exigere, in quos obligatio defuncti transiit.

An omnibus qui ex morte occisi sentiunt detrimentum. Dicendum ultimò, quòd verius quoque videtur, quòd non teneatur homicida omnibus, qui ex morte occisi sentiunt incommodum, nisi intenderit homicida, morte illa illis nocere. Ratio est, quòd occisor non faciat illis nece alterius injuriam, sed solum transfert obligationem benefaciendi (si quæ sit) ab occiso ad hæredes, non autem omnino eam aufert. Dixi, *nisi intenderit*, &c. Quia, uti probatum est, potest actio ex intentione nocendi fieri injusta, quæ seclusâ tali intentione injusta non fuisset.

SECTIO VI.

De restitutione facienda per stuprum & adulterium.

Restitutio facienda stupratori Virginis. Dicendum primò, qui Virginem violavit, quæ in sui violationem liberè consentit, ad nihil tenetur. Rationem illius assignant aliqui, quòd scienti & volenti

volenti non fiat injuria : Verum, uti antea notavimus, generaliter hoc axioma non tenet, ut in casu, quo quis juri suo cedere non potest: sic marito fit vera injuria, etsi in adulterium uxoris consentiat, eo quòd juri suo cedere non possit: sic etiam virgo, cum non possit cedere juri suo, quod habet ad custodiendum Virginale claustrum, censetur tamen pati injuriam, etsi in hoc consentiat, quòd violetur; unde ratio dictæ conclusionis est hæc, quòd virgo dum scit, & consentit in sui deflorationem, censeatur compensationem damnorum remittere, adeoque cedere juri suo, quod haberet, si foret invita, ad resarcienda damna per stuprum illata. Hoc tamen notandum est, si ex tali virginis defloratione liberè permissa irrogetur injuria familiæ talis virginis; puta infamia, &c. quòd tam stuprata, quam stuprator teneatur ad reparationem honoris, talis familiæ ex justitia, cum fuerint injusta causa infamiæ.

Dicendum 2. qui per vim vel fraudem defloravit virginem, tenetur ad compensationem damnorum per deflorationem obvenientium, ut puta illam ducendo in uxorem, eam sufficienter dotando &c. si verò eam putarit esse virginem, & postea deprehendat eam esse corruptam, ad nihil tenetur stuprator ratione deflorationis, nisi ex illa fornicatione damna in bonis fortunæ consequantur, vel copula fiat publica, quo casu tenebitur ad reparationem famæ, modo ad id ordinato. *Vi & fraude stuprans virginem.*

Dicendum 3. qui sub promissione matrimonii à virgine obtinuit usuram corporis, tenetur eam ducere, etsi fictè & dolosè, illud promisisset. Ratio hujus est, quòd promissio hæc sit facta per modum contractus, *do ut des*: cum ergo illa ex sua parte compleverit contractum, tenetur & alter ex sua parte illum complere. Excipiunt tamen casum, quo ex Matrimonio illo orirentur gravia damna, si sit conjugatus aut voto solenni obstrictus; si postea oriatur impedimentum dirimens &c. *Stuprata sub spe matrimonii.*

Alii

Alii tamen opponunt, quòd talis non teneatur stare promissis, eo quòd promissio talis non solum sit illicita, sed & invalida, eo quòd generaliter dicat Lex *generaliter*, ff. de Verb. obligat. *generaliter novimus turpes stipulationes, nullius esse momenti.* Verum opinio contraria, uti communior est, ita & in praxi erit observanda.

Si fit post emissum votum Religionis. Dicendum 4. quòd, qui virginem defloravit sub spe Matrimonii, post emissum votum religionis, vel virgo fuit talis voti cónscia, vel non: si prius, tenet obligatio voti, ob malam fidem. Si posterius, censent aliqui obligationem voti non tenere, eo quòd adimpletio voti, sit jam facta impossibilis, quatenus absque alterius injuria adimpleri non potest. Deinde, quòd votum non obliget, cum notabili damno proximi in materia justitiæ. Alii tamen docent, quòd obligatio voti teneat, cum possit facere utrumque intrando prius religionem, & postea eam ducendo. Prior tamen opinio communior est, & in praxi sequenda.

Si post votum castitatis Si verò sit dicta quæstio de voto castitatis, tenetur & defloratam ducere, & votum illud observare, quantum compatibile foret cum debito conjugali, reddendo debitum, sed non petendo.

Si ante emissionẽ voti tale fiat stuprum cum promissione matrimonii. Si verò post eam deflorationem emittat votum religionis vel castitatis, non tenet obligatio voti, nec illud à Deo acceptatur, uti semper quando vovetur aliquid, quod cedit in alterius præjudicium. Si verò non sit amplius timor præjudicii, v. g. si puella moriatur, tenetur ingredi Religionem aut servare castitatem, cùm votum illud teneat ex parte voventis quando sine alterius præjudicio servari potest: Tempore autem quo timetur præjudicium, non censetur à Deo acceptari, sed pro eo tempore solum sopiri.

Dicendum 5. stuprator non semper satisfacit virginem ducendo in matrimonium; posset enim contingere, quòd virgo sit nobilis, stuprator plebejus,

quo

quo casu non tam iujuria per stuprum illata, compensaretur, quam nova superveniret.

Dicendum 6. Tenetur adulter marito adulteræ, uti & filiis legitimis de damnis, quæ ex suppositione spurii illis consequuntur. Ratio est, quòd illorum damnorum sit injusta causa. Si verò nulla ex adulterio sit secuta proles, non tenetur aliquid restituere adulter marito adulteræ, cùm nullum sit secutum damnum, & pro injuria ab omni damno separata, non debeat fieri restitutio, sed solùm quædam satisfactio. Si autem dubitet, an proles ex adulterio sit nata, an non, verius docetur, quòd equidem teneatur restituere, cùm in dubio sit potiùs favendum innocenti, & cùm constet adulterium esse commissum, præsumptio solet esse contra nocentem. Si verò duo aliqui adulterium commiserint, & dubitant ambo, an ex suo concubitu proles sit nata, tenetur uterque pro ratione dubii ad partem damni prolibus legitimis illati ex suppositione prolis spuriæ. *Adulter quibus tenetur.* *Quid agat in dubio de adulterio & partu.*

Dicendum 7. Tenetur adultera etiam restituere damna veris hæredibus per suppositionem spurii illata. Ratio est, quòd illorum damnorum veram causam posuerit. Unde vel bonis suis paraphernis (si quæ habet) tenetur de iisdem compensare damna veris prolibus illata, vel debet sedulò allaborare, ut veris prolibus magis providendo, damna illa compenset, sibi aliqua subtrahendo & illis elargiendo, &c.

Si verò adultera non possit eo modo damna illa resarcire, non debet communiter crimen suum adulterii marito & veris prolibus aperire: neque tenetur spurius matri suæ adulterium suum attestanti credere. Ratio prioris est, quòd confessio illa soleat esse maximè difficilis, valde noxia, & parum utilis: solet enim tali confessione timeri gravis feminæ infamia, mariti in illam excandescentia, imò & periculum mortis. Quòd verò soleat esse parum utilis, patet ex eo, quòd non teneantur alii matri adulterium suum proferenti credere, quia juxta regulam juris, *Alleganti suam turpitudinem nulla debetur fides.* *quibus adultera tenetur.*

Proles adulterina exposita. Dicendum 8. Si proles ex adulterio nata sit exposita, & in Hospitali expositorum sit nutrita, tenetur tam adulter, quàm adultera de damnis & alimentatione talis pueri, tali Hospitali refundenda. Ratio est, quòd talis domus hospitalis sit solùm instituta ad alendos pueros pauperes, qualis non est puer expositus, cujus Mater & Pater sufficientia media possident ad puerum alendum. Imò non desunt, qui doceant, quòd teneatur Pater & Mater talis prolis sese insinuare esse parentem tali proli, cùm sit grave hominis incommodum nescire parentes suos, & consanguineos: alii tamen hoc negant esse necessarium, si timeatur ex tali insinuatione gravis infamia, aut aliud grave incommodum.

Quo tempore mater debeat alere infantem. Notandum verò circa prædicta, quòd adulter solùm teneatur de damnis ex alimentatione spurii illatis marito & legitimis prolibus, quæ sequuntur à tertio nativitatis anno talis spurii, cùm Mater teneatur alere Filium usque ad tertium annum, uti habet L. *nec Filium*. C. de Patria potestate.

CAPUT QUARTUM.

De Furto & Rapina, & coöperantibus ad illa.

SECTIO PRIMA.

Quid sit furtum, quid rapina, & quale peccatum.

Quid furtum. Icendum primò, *furtum* est alienæ rei occulta ablatio invito rationabiliter Domino. Differt à rapina, & quidem specie, quæ est violenta talis rei ablatio, cum violentia furto adjuncta contineat specialem injuriam, unde violen-

violentia illa in confessione furti, necessariò est adjungenda.

Dicendum 2. furtum, uti & rapina de se sunt peccatum mortale. Patet ex 1. Corinth. 6. ubi dicitur, quòd *neque fures, neque Rapaces Regnum Dei possidebunt.* Possunt tamen dicta peccata esse venialia, vel propter materiæ parvitates, vel propter defectum advertentiæ, quod & plerisque peccatis commune est. *Quale peccatum.*

Dicendum 3. Quantitas rei ablatæ, quæ sufficiat ad constituendum mortale peccatum, non ita præcisè potest definiri. Alii allegant integrum argenteum, alii medium, alii duos regales, alii duos aureos seu ducatos, alii unum aureum, &c. Meliùs alii docent, quòd quantitas illa sit prudenti judicio disjudicanda, non solùm attentâ quantitate & valore rei ablatæ, verùm etiam attentâ qualitate personæ, cui res ablata est, gravitate damni, quod secutum est; unde aliquando committi potest furtum mortale auferendo rem minimi valoris, v. g. acum, qua sutor victum & amictum comparare possit, & desit occasio aliam emendi. Communiter tamen in nostris partibus censetur esse quantitas notabilis, quæ correspondet labori diurno operarii, quam assignant passim florenum aut quatuor solidos. *Quantitas requisita ad furtum mortale.*

Dicendum 4. In Filiis Familias, & aliis Domesticis requiritur communiter ad furtum mortale major quantitas, quam prædicta, eò quòd Dominus quoad illorum furta, non soleat esse adeo invitus, sicut ad furta exterorum. Quænam autem hîc quantitas sufficiat, prudentis judicio est determinandum. *Quantitas ad hoc requisita in filiis familias, Religiosis, &c.*

Dicendum 5. qui multis minutis furtis acquirere vult rem notabilem, peccat mortaliter, eò quòd furta illa procedant à voluntate mortaliter mala. Idem est de illo, qui advertens se minutis furtis pervenisse ad quantitatem notabilem, adhuc vult modicum auferre. Licèt enim illud modicum auferre, sit secundùm se leve & veniale tantùm, tamen prout aliis minutis furtis conjunctum est, constituit mortale *Furta minutorum.*

tale peccatum, ratione quantitatis notabilis, quam constituit; Deinde quatenus vult retinere rem notabilem, invito rationabiliter domino, imò quatenus accipiendo ultimum furtum aliis adjunctum, graviter proximum suum lædit. Et quamvis verum sit, quod docet alibi D. Thomas, quod peccata venialia, quantumcumque coagmentata, non possint constituere peccatum mortale, tamen illud prædictæ doctrinæ nihil obest, tum quòd intelligi possit S. Thomas, vel de peccatis venialibus omnino disparatis, neque in materia vel effectu connexis, vel quòd solùm illo ultimo furto peccetur mortaliter. Et licet ultimum illud furtum sit ejusdem rationis cum præcedentibus, in ratione objecti, tamen valde diversum est, ex circumstantiis & ratione connexionis cum aliis anterioribus. Hoc interim ab Ecclesia damnatum est: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta quantumcumque sit magna summa totalis.*

Plures minuta furantes. Dicendum 6. Si plures communi consilio, consensu, auxilio, exemplo, aut coöperatione furati sint aliquid modicum, tamen omnes rem gravem, peccat quilibet mortaliter, & tenetur quilibet in defectu aliorum ad restitutionem insolidum. Ratio hujus est, quod quivis sit causa injusta damni illati totius, consulendo, consentiendo, aut in alio modo coöperando. Aliud esset, si quis cum aliis furaretur rem modicam, nullo modo aliorum furtis coöperando, etsi aliorum furta sciret, cùm nec suo furto secundum se, nec ut aliis conjuncto, sit causa damni notabilis, adeoque nec graviter delinquat.

SECTIO

SECTIO II.

An liceat rem sibi debitam occultè surripere, sive an licita sit occulta compensatio.

Dicendum primò, non licet rem suam, quæ apud alium extat titulo locationis aut similis contractûs, occultè sibi surripere, eò quòd iniquum sit aliquem usu rei, ante præfixum tempus privare. Licitum tamen quandoque est, sibi occultè surripere rem suam modò certæ adsint conditiones. Quarum *Occulta acceptio rei.*

1. Est, ut tali occultâ compensatione vitetur damnum temporale, & spirituale alterius. *Temporale*, ne ob ignorantiam talis compensationis creditor illud solvat iteratò, aut ejus hæredes. *Spirituale*, ne existimans alter se non solvisse, in mala fide perseveret. *Compensatio occulta quâ licita.*

2. Ne res illa sit alteri data in depositum, ut patet ex cap. *Bona fides*, de deposito.

3. Ne illud, quod recipitur sit alienum, sed vel creditoris, vel debitoris.

4. Ut debitum nequeat alia via recuperari, vel certè non nisi magnis sumptibus.

5. Ut debitum sit certum, cum iniquum sit pro incertis debitis certam solutionem exigere.

6. Ne in compensatione illâ, adhibeatur vis aut violentia, nisi forte foret necessaria.

7. Ne ex illa compensatione grave damnum aut scandalum consequatur.

Ex quibus omnibus patet, regulariter illicitam esse compensationem occultam, eò quòd plerumque aliqua ex requisitis conditionibus desit. Unde generaliter famulis & aliis erit interdicenda, ne furtis aperiatur via, & injustitiæ.

Dicendum 2. non licet famulis & ancillis de bonis domi-

Occulta compensatio famulorum

dominorum sibi occultè compensare, super salarium de quo est conventum, etsi judicent stipendia sua esse nimis parva. Ratio est, quòd non habeant jus nisi ad stipendium conventum. Unde meritò antè hanc censuravit S. Facultas Theol. Lovan. & Parisiensis: *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris surripere, ad compensandam suam operam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

His accedit, quod nuper Innocentius XI. eamdem propositionem proscripserit ut ad minus scandalosam, & in praxi perniciosam. Nam ut ait Sinnichius in suo Saule l. 1. c. 116. par. 442. *Neminem inter laxarum opinionum assertores, aut sectatores reperiri arbitror, qui famulo abs se conducto dicturus sit: si salarium super quo convenimus, videatur tibi minus justo, supple illud ex bonis meis usque ad æqualitatem, proprio tuo judicio taxandam. Cum igitur nullus eorum hoc dicat famulo suo, cur tam prodigi sunt in alieno? Cur non respiciunt regulam istam, quam omnes habent in corde fixam, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris?* Hucusque Sinnichius.

Optimum ergo consilium erit, volenti uti occulta compensatione, dum antedictæ conditiones requisitæ adsunt, ut suam conscientiam interroget, num sibi in simili occasione vellet fieri ab alio compensatio occulta, an non: alias, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris

---

SECTIO III.

De Coöperantibus ad furtum aut aliam injustitiam.

Coöperandi modi.

DICENDUM primò, 9. modis coöperari aliquem ad furtum, qui comprehenduntur his duobus versibus:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus:
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Sex primi sunt modi positivi coöperandi, tres reliqui sunt negativi. Omnis tamen qui dictis modis ad peccatum

catum coöperatur, ejus peccati reus est, cùm sit ejusdem causa moralis, jubendo, consulendo, &c. neque hîc excusat, quòd equidem alii fuissent coöperati, eò quòd aliorum malitia, propriam non excuset, & eo non obstante sint equidem vera causa peccati. *Cooperans ad peccatum, reus est peccati.*

Dicendum 2. Quòd alterius jussio, consilium, & alii coöperandi modi, debeant verè movere alterum ad peccatum: unde si alter nullo modo moveatur, dum peccat, alterius mandato, consilio, &c. solus ille, erit reus peccati. *Debet cooperans verò movere alium ad peccatum.*

Jubens intelligitur omnis ille, qui suo mandato verè alium movet ad peccandum, uti & omnis ille, qui importunis precibus alterum ad peccatum propellit, illud rogat fieri, aut hortatur ad idem faciendum: item ille, qui latâ culpâ, aut dolo & fraude alicui restitutionem debitam dissuadet. Ut autem mandans ad restitutionem quoque obligetur, debet damnum, quod mandavit fuisse, secutum, aliàs si non sit secutum, excusabitur à restitutione: idem fit, si satis tempestivè mandatum suum revocaverit, uti etiam non tenebitur illorum damnorum restitutione, quæ mandatarius intulit, excedendo limites mandati, v. g. si quis jubeat alterum occidere, & mandatarius alium occidit comburendo ejus domum, non tenebitur ad restitutionem damnorum ex combustione præter homicidium obvenientium. *Iussio.*

Mandato sive jussioni solet aliquando æquivalere *ratihabitio*: quo casu, ratum habens damnum aliquod, ratione cujus alter ad illud inferendum motus fuit, verè concurrit ad illud damnum, teneturque ad restitutionem. Si verò mandato non æquivaleat, nec alter per eam ad damnum inferendum moveatur, non tenebitur damnum illud resarcire, cùm non fuerit causa efficiens damni, sed solum damnum factum ratum habet, & aliquando ad summum est solum causa finalis, cujus gratia damnum illud infertur. *Ratihabitio.*

Consilium præbere dicitur, qui suo consilio & persuasio- *Consilium.*

suasione est alteri causa peccati. Tenetur hîc ad damnum quod consulit restituendum, si consilium suum tempestivè non revocaverit, & quotiescumque alter suo consilio verè ad peccatum injustæ damnificationis inducitur. Quo casu autem teneatur quis ad restitutionem, qui suo consilio est causa damni, alibi hoc tractatu est ostensum.

Consensus. *Consensus* dicitur, quando quis peccato consentit, cùm non tantùm qui malè agit, reus sit peccati, sed & qui malè agentibus consentit. Consensus ille facit consentientem obnoxium restitutioni, si verè fuerit causa damni ab aliis illati, aliàs minime, si solùm internè opus damnosum approbet aut in illud consentiat; vel ètsi externè id fiat, tamen id alterum latet, neque consensu illo ullatenus movetur ad damnificandum.

Palpo. *Palpo* dicitur omnis ille, qui ementitis laudibus, sive adulationibus alium ed peccatum inducit: uti etiam ille, qui exprobrando alterius ignaviam, est causa alterius peccati, v. g. dicendo se non fore nobilem, magnanimum, uti apparet, nisi alium occidat, &c. Qui ita palpando alterum verè movet ad damnum inferendum, tenetur quoque ad restitutionem, sicuti consulens, cui æquivalere censetur.

Recursus. *Recursus* intelligitur omnis ille, qui furem vel alium peccatorem recipit, sic ut illa receptio alium ad peccatum moveat, quâ fit, ut alter audaciùs aut liberiùs peccet. Hinc peccant omnes illi, qui prædas servant, illas divendunt, emunt, fures ad hospitium intertinent, illis securitatem spondent, illis instrumenta furandi administrant, principes & Domini familias ob quorum potentes vires, filii familias & alii domestici peccant; cauponarii, qui juvenes intertinent insumentes bona parentum furto ablata, de quibus ita S. Augustinus Epist. 54. *Illud verò fidentissime dixerim, eum qui pro alio ad hoc intervenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honestè potest, non repellit; socium esse fraudis & criminis.* Aliud est de eo, qui

qui solùm materialiter furem recipit: unde hîc excusantur, qui furem fugientem Justitiam; recipiunt, occultant aut abscondunt, ne apprehendatur: qui furem ut alios hospites ad hospitium recipiunt, cùm non receptent fures ut tales.

Participans censetur omnis ille, qui in alieno peccato est particeps. In furto autem potest quis esse participans ratione rei acceptæ, quæ ad se devenit: & ratione injustæ receptionis, ad quam concurrit. Tenetur autem ille rem ablatam restituere, in tantum, ut si bona fide sit penes aliquem res furtiva, solùm teneatur ad restitutionem ratione rei acceptæ; Si verò mala fide, etiam ad hoc teneatur ratione injustæ acceptionis: Deinde, si res bona fide possessa pereat, tantùm restitui debeat illud, quo factus est ditior: si verò mala fide, teneatur eam restituere in æquivalenti. In furtò autem participant, qui suo modo ad illud concurrunt, schalas admovendo, tenendo, excubias tenendo, ne prodantur, qui res alterius ex fenestra dejiciunt, &c. Qui omnes ad restitutionem sunt obligati. *Participans.*

Mutus est omnis ille, qui cùm scit peccatum, non contradicit, dum potest & debet dissuadendo, prohibendo, &c. contradicere. *Mutus.*

Non obstans est omnis ille, qui non præbet auxilium, quod potest & debet præbere, ne actio peccaminosa fiat.

Non manifestans est omnis ille, qui dum potest & debet, furem aut alium malefactorem non prodit, vel ante factum ne id fiat, vel post factum, ut injuriam recompenset, &c.

Omnes illi, qui uno ex dictis modis negativè concurrit ad peccatum, tenetur ex justitia obstare loquendo vel manifestando, quando ex officio vel contractu ad hoc sunt obligati, nec habeant justam causam non impediendi. Aliàs si non teneantur ad hoc ex officio aut contractu, vel habeant aliunde justam causam non impediendi, non obligantur ad hoc *Obstare debent ex officio ad hoc constricti.*

hoc ex justitia, sed vel ad summum ex charitate. Hinc Princeps, Magistratus, Prætor, &c. tenentur ex justitia damna publica impedire, cùm pro eo stipendia recipiant à communitate, ut eam bene gubernent, bene protegant & defendant, & ii vicissim se obligent ad idem præstandum. Deinde, ex justitia tenentur omnes illi, qui non impediunt peccata, ad quæ impedienda sunt conducti, vel ad hoc ex officio sunt constituti, ut Patres familias, ad impedienda damna familiæ, tutores ad impedienda damna pupillorum, &c.

Ordo restitutionis cooperantium.

Dicendum 3. tenentur omnes illi ad restitutionem faciendam suo ordine, & pro ratione influxûs in damnum illatum. Unde & hæc est condemnata: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Ante omnes tamen restitutioni obnoxius est ille, apud quem res furtiva extat, que semper clamat Dominum, etsi bonâ fide possideatur. Deinde causa principalior, & ante alias obligata ad restituendum est mandans suâ authoritate & potestate ad peccatum: deinde obligatur ipse executor peccati, post quem tenetur qui consulit, consentit, receptat, participat de furto, sic ut inter illos ultimos nullus statuatur ordo, sed pro majori vel minori influxu in damnum teneantur ad restitutionem. Post hos autem positivè concurrentes, tenentur illi, qui negativè concurrunt, cùm hi solùm debeant impedire causas positivas & satisfaciant suæ obligationi, si easdem ad restitutionem compellant, vel aliunde procurent, ut damnum resarciatur. Alii tamen ordinem aliquem inter negativè concurrentes statuunt, ut primò teneatur non obstans, deinde mutus, & post eos non manifestans. Verum generaliter notari posset, quam arctè ad impediendum sint tales obligati, & negligentes in impediendo, ex quo obligatio restitutionis statui potest & desumi, inter illos, qui negativè ad damnificationem concurrunt.

SECTIO

SECTIO IV.

De Restitutione rei furto ablatæ.

Dicendum primò, qui bonâ fide rem alterius possidet, tenetur eam Domino reddere, si innotescat: aliàs enim inciperet esse possessor malæ fidei, & res semper clamat suum dominum. Si verò rem alterius, quam bonâ fide possedit consumpserit aut alienaverit, ad nihil tenetur, nisi inquantum ex eâ re factus est ditior: ratio est, quòd res absque ejus utilitate sit consumpta, adeoque non tenetur ratione rei acceptæ, cum nihil alieni habeat, nequidem in æquivalenti, nisi in quantum factus est ex ea re locupletior. Neque etiam tenetur ratione injustæ acceptionis, uti supponimus, ergò ex quo patet, quòd ille qui rem furtivam dono acceptam consumpserit, aut vendiderit, teneatur eam restituere, si extet saltem in æquivalenti, aut si ex ea sit factus locupletior. Aliud est, si rem illam alteri donasset, nisi forsan rebus suis pepercisset, cùm tali casu donando rem alterius, & suis parcens, sit inde factus ditior. *Rei possessor bona & mala fides.*

Dicendum 2. qui bona fide rem alienam fructiferam possedit, & ex ea fructus percepit, tenetur Domino fructus merè naturales ac mixtos extantes restituere, non item fructus meræ industriæ. *Fructus autem merè naturales sunt*, qui ex re naturaliter consequuntur, nihil aut vixdum conferente industriâ: ut sunt arborum, segetum fructus, &c. *Fructus mixti* sunt, qui partim naturaliter, partim industriâ humanâ ex re consequuntur, ut sunt caseus ex vaccis, pannus ex ovibus. *Fructus* denique *industriæ* sunt illi, qui industriâ humanâ ex re consequuntur, ut lucrum ex negotiatione. Ratio ergò dictæ conclusionis est hæc, quòd fructus naturales ac mixti, *Fructus rei bonâ fide possessæ. Fructus naturales. Mixti. Industriales.*

sint

ſint fructus rei; ſicut autem res ſemper debetur Domino, ita & fructus, qui ex re naturaliter conſequuntur, cùm quælibet res Domino ſuo fructificet. Fructus verò induſtriæ, non ſunt propriè fructus ipſius rei, ſed ejus, qui induſtriam adhibet. Si verò priores fructus bona fide conſumpſerit, non tenetur eos reſtituere, niſi extent in æquivalenti, aut in quantum ex illis factus eſt ditior.

Dubitans an res ſit ſua. Dicendum 3. qui priùs bona fide rem poſſedit, & deinde incipit dubitare an ſit ſua, tenetur omnibus modis veritatem inquirere, quod ſi negligat, exponet ſe periculo rem alterius poſſidendi: unde, ſi res illa ſit uſu conſumptibilis, ut vinum, cereviſia, &c. non poterit eam ſtante tali dubio conſumere. Si tamen poſt diligentem indagationem factam dubium etiamnum perſeveret, poterit rem illam alienare, conſumere, aut aliò diſtrahere, cùm hoc caſu dubio, ſit melior conditio poſſidentis, quod axioma in materia juſtitiæ lubens admittit plurimorum opinio. Si tamen poſtea dominus compareat, non tenetur juxta dicta vel rem vel æquivalens reſtituere, niſi in quantum ex ea factus eſt ditior.

Emptor rei furtivæ. Dicendum 4. qui bona fide rem furtivam emit tenetur eam Domino comparenti reſtituere, ſi prætium velit refundere. Si verò non poſſit pretium datum recuperare, niſi contractum reſcindendo, poterit veroſimiliùs eam furi reddere & contractum reſcindere, ut prætium recuperet. Ratio illus eſt, quòd ille nullam fecerit Domino injuriam, rem illam bona fide emendo, & penes ſe retinendo, ergo ſine domini injuria poteſt eam furi relinquere & reddere, ne pretium amittat. Deinde in caſu innocentiæ tenetur priùs emptor ſibi conſulere, deinde Domino, & ſicut Dominus habet jus ad rem ſuam, ita habet emptor ad datum pretium, cùm ambo ſint inſontes. Imo hoc aliqui extendunt ad emptorem malæ fidei, cùm nullo jure aut juſtitiæ, aut charitatis, debeat rem alterius cum gravi ſuo damno

damno restituere in meliori statu, quàm antea fuit; quòd enim jam res ad meliorem statum deveniat, non oritur ex ipsa re, sed ex emptoris voluntate, unde ad dominum illud non pertinet, sicuti nec fructus industriæ, sed perperam, contraria tamen sententia sua probabilitate gaudet, cùm possessor rei alienæ nullum habeat jus in rem alterius, unde de illa disponere non potest, nec eam in deteriori statu collocare, quàm de facto sit, dum ab emptore possidetur.

Dicendum 5. Si quis rem furtivam bona fide emerit, non potest Dominum comparentem ex justitia compellere ad refundendum pretium persolutum, nec tenetur illud Dominus restituere, neque in foro externo, neque interno, cùm æquum non sit, ut Dominus rem suam emat. Excipe tamen casum, si quis eo animo rem furtivam emerit, ut eam Domino reddat, quo casu tenetur Dominus pretium in sui utilitatem expensum, restituere, & alter censetur utiliter egisse negotium Domini. *Emptor rei furtivæ Domino comparenti.*

Dicendum 6. Qui rem furtivam bona fide emit, & bona fide vendidit, tenetur admittere rescissionem contractus ab eo, cui vendidit, si Dominus compareat, nec sufficit suam actionem resignare in personam à qua priùs emit rem illam furtivam, nisi forte illa resignatione emptor ille vellet esse contentus. Ratio hujus est, quòd contractus ille venditionis à parte rei fuerit invalidus, neque venditor transfert Dominium rei in emptorem, quod ipse non habet: unde tenetur pretium acceptum emptori reddere, cùm illud maneat emptoris. Huic tamen obstare videntur variæ leges positivæ, quæ statuunt, quòd fur acquirat Dominium pretii pro re furtiva vendita accepti, etsi teneatur de evictione ad omne interesse, uti statuit L. *Rem alienam* ff. de contrah. emptione: idem habet L. *Si emptione* §. *item si* ff. de contrah. emptione, &c. Quæ leges an sint in vigore, sedulo hîc debet investigari. *Qui emit & vendidit rem furtivam.*

SECTIO

SECTIO V.

De quibus & cui facienda sit restitutio.

De quibus facienda sit restitutio.

Dicendum primò, restitutio facienda est de injustè acquisitis, qualia quoque sunt illa, quæ accipiuntur pro opere aut re ex justitia debita, cùm res & opus ex justitia debeatur, unde illud idem est ac emere rem suam. Hinc peccant ii, qui ratione officii à Republica stipendium recipiunt, ratione cujus ex justitia tenentur officia aliqua præstare, & ultra illud stipendium aliquam mercedem recipiunt, tamquam ex justitia sibi debitam, cùm tamen opus illud ex justitia præstare teneantur. Aliud esset, si opus illud aut res illa alteri solùm deberetur ex charitate, vel alia virtute à justitia distincta, unde medicus licitè mercedem recipit ab infirmo, quem ex charitate curat. Idem quoque esset, si solùm à Republica reciperent stipendium, ita tamen, ut pro opere præstito simul mercedem tamquam stipendii supplementum recipere possint.

Restitutio pretii accepti pro opere per se malo.

Dicendum 2. Accepta pro opere per se malo, v. g. fornicatione, adulterio, &c. verosimiliùs post opus commissum, sunt restituenda. Ratio est, quòd actio per se mala non sit pretio æstimabilis, & infra omne pretium: Deinde nullo titulo talia retineri possunt: non titulo virtualis contractus, cum L. *generaliter* ff. de verb. obligat. Dicatur: *generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti.* Neque etiam titulo donationis, cùm ille non det illa magis gratuitò, quàm qui dat pretium pro usuris. Denique contraria sententia Reipublicæ est perniciosa, multos ad peccandum inducens, à quo sententia nostra avertit. Neque ullatenus refert, quòd opus per se malum sit pretio æstimabile, ex eo, quòd possit alicui esse utile: quia sic maxima scelera possent pretio æstimari & esse vendibilia.

Hinc

Hinc meretrices tenentur ſtipendia meretricia reſtituere, ſi vires facultatum illud permittant, nec à Republicâ tolerentur. Aliàs ſæpè excuſari poſſunt ratione impotentiæ, aut etiam quia hoc à Republica in pœnam & mulctam fornicario ſtatuitur, quod pretium datum pro opere meretricio, meretricibus cedat: quod huic operi à Republica tolerato, poteſt eſſe ſpeciale.

Dicendum 3. Debita incerta ex delicto, v. g. furto, rapina, &c. ſi poſt debitam inveſtigationem neſciatur cujuſnam ſint, jure poſitivo danda ſunt pauperibus, aut alteri cauſæ piæ: patet hoc ex cap. *Cùm tu*, 5. de uſuris. Si verò ſint debita illa ex contractu licito acquiſita, volunt aliqui, quòd nulla ratione probari poſſit, illa danda eſſe pauperibus; verùm rectiùs docent, etiam illa ex jure naturæ danda eſſe pauperibus, ut fructus eleëmoſynæ in Dominum eorumdem redundet: vel, ut Deo omnium Domino donentur, dum pauperibus dantur, dum eorum Dominus particularis ignoratur: Idem patet ex fidelium praxi & piorum conſuetudine, de qua, etſi non conſtet, an ſit inducta animo obligandi, an non, tamen ſententiam dictam aliquatenus ſuadet & commendat. Hinc rectè procedet Confeſſarius, ſi illis, quorum facultates ferunt, perſuadeat, ut debita incerta ex licito contractu pauperibus reddant, aut ſaltem id per modum pœnitentiæ imponat. Contraria tamen opinio ſatis eſt probabilis. *Debita incerta ex delicto.*

Si verò poſt elargitionem in pauperes, talium debitorum Dominus compareat, & antea debitam adhibuerit diligentiam in indagando Domino, ad nihil tunc alter obligabitur. Ratio ejus eſt, quòd tunc ſemel legitimè ſolvendo, id eſt dando pauperibus, cenſeatur ſatisfeciſſe. Pauperes verò, quibus talia bona ſunt data, tenentur ea Domino comparenti reddere, ſi extent: ſi verò conſumpta ſint, vel alienata, ſic ut inde non ſint facti ditiores, tunc ad nihil tenentur, cùm bona illa, non mutuo, ſed in eleëmoſynam receperint. Si tamen pauperes aliunde ad pinguiorem fortu- *Quid ſi Dominus compareat, re data pauperibus.*

fortunam venerint, tenerentur ex motivo honestatis & gratitudinis aliquid Domino comparenti restituere, & compensare. Hoc tamen notandum, quòd quis debita incerta & bona inventa possit sibi ipsi retinere & iis uti, si verè sit pauper: videndum tamen ne hîc iniquitas mentiatur sibi, & injustitiam paupertatis specie obvolvat.

Redditio Rei alienæ. Dicendum 4. Si Dominus rem suam petat in ordine ad eâ abutendum, v. g. gladium ad se, aut alium occidendum, si eam sine suo gravi incommodo negare possit, non potest eam Domino reddere. Ratio est, quòd Charitas saltem omnes obliget, ut à proximo suo grave damnum avertat, quando id sine gravi incommodo potest avertere & impedire. Si verò illud sine gravi suo incommodo non possit impedire, poterit rem illam reddere Domino petenti, etsi prævideat, quòd Dominus eâ sit abusurus, eò quòd cum gravi suo damno illum abusum impedire non debeat, quo casu reddendo non censetur moraliter loquendo alterius abusui coöperari, sed permissivè se ad eum habere.

Cujus expensis fieri debeat restitutio. Dicendum 5. Restitutio facienda ex injusta acceptione, fieri debet expensis debitoris, qui Dominum debet servare indemnem. Si verò expensæ illæ longè deberent excedere pretium rei reddendæ, posset expectari melior raddendi occasio, aut pretium rei per cambium refundi. Unde, qui talem rem restituit per nuntium aut confessarium, si illa in via pereat, tenetur equidem debitor ille, rem in æquivalenti iteratò refundere, cùm suo periculo teneatur rem ablatam restituere, & Dominum rei servare indemnem. Si verò res restituenda sit ratione rei acceptæ, quam possidet bona fide, restitutio fieri debet expensis Domini, nec est ulla ratio, quare possessor bonæ fidei debeat gravari. Unde in transferendo rem illam, expensas illas poterit deducere. Si autem res reddenda sit ex contractu emptionis, depositi, &c. debet ea reddi expensis ejus, de quibus fuit conventum. Unde qui emit

iliba

alibi aliquam rem, debet eam persolvere in loco, ubi emit: si habeat rem in deposito aut commodato, cùm illud communiter cedat in utilitatem depositarii aut commodatarii, debet restitutio fieri illius expensis, nisi sit aliter conventum. Si denique res aliqua reddenda sit ex testamento, legato, &c. Debet illa reddi, eo loco, quo res illa existebat, dum de eâ fiebat testamentum: Unde legatarius v. g. debet rem legatam sibi suis expensis acquirere, si à se distet.

Quænam verò ab obligatione restitutionis excusent, an impotentia, an cessio bonorum, &c. Videnda sunt in anterioribus dictis.



CAPUT QUINTUM.

De detractione & Contumelia.

SECTIO PRIMA.

Quid sit detractio, & quid contumelia, & quale peccatum

DICENDUM primò, *Detractio* est injusta & occulta famæ alienæ denigratio. Differt à *Contumelia* quòd hæc sit injusta, sed aperta famæ alterius denigratio: unde detractio in occulto rodit alterius famam, contumelia palam & quasi in faciem alterius famam violat. *Quid detractio.*

Fama verò est multorum æstimatio de vita & moribus alterius. *Bona fama* est bona talis æstimatio, *fama mala* est mala talis æstimatio. *Honor* verò est testificatio excellentiæ alterius. Solet autem detractio fieri potissimùm 8. modis, quatuor directè, & totidem indirectè, & continentur his versibus: *Quid fama.*

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens:
Qui negat aut minuit, reticet, laudatve remissè. *Quot modis fiat detractio.*

Primum importat, quòd detractio fieri possit imponendo alteri falsum crimen: 2. Augendo verum. 3. Revelando occultum. 4. Alterius rectè factum sinistrè interpretando. 5. Negando alterius bonum. 6. Illud extenuando. 7. Silendo bonum, ubi deberet manifestari. 8. Frigidè alterum laudando.

Detractio formalis & materialis. Detractio solet aliquando dici *formalis*, quando fit ex intentione diffamandi; si verò ex tali intentione non prodeat, dicitur solum *materialis*.

Detractio fit factis etiam. Detractio non solùm fit verbis, sed & quandoque factis, quæ significant & important diffamationem alterius: Hinc detraheret, qui ad postes adulteræ suspenderet cornua.

Quale peccatum sit. Dicendum 2. Detractio de se est peccatum mortale, idque furto gravius, cum teste Scriptura Prov. 22. *Melius sit nomen bonum, quàm divitiæ multæ*: Unde graviùs peccat, qui bonum nomen & famam aufert, quàm qui aufert divitias. Crescit autem detractionis gravitas ex crimine, quod revelatur, ex dignitate personæ, cui detrahitur, cujus fama pluribus est necessaria; neque minuitur detractionis gravitas, eò quòd bono fine fiat, v. g. quòd joci causâ crimen alterius reveletur juxta hoc, *Ridendo dicere verum, quid vetat*? Simile fit in iis, qui ex garrulitate & loquacitate alteri detrahunt in materia gravi; illi enim prævidere poterant & debebant, quòd alterius fama graviter læderetur, sive ex loquacitate, sive sine illâ famam alterius læderent.

Garrulitas.

Revelatio defectuum naturalium. Dicendum 3. Regulariter loquendo non est grave peccatum alteri revelare defectus alterius naturales, nisi sint tales defectus, qui sine animi vitiis esse vix nequeunt, vel quando habentur pro re infami, vel denique si ex tali narratione defectuum naturalium, alteri sequuntur, vel sequi prævidentur graviora damna.

Detrahens coram uno tantùm. Dicendum 4. Mortaliter peccat, qui alteri detrahit, etiam vel coram uno viro probo & prudente, sine justâ causâ. Ratio est, quia ut ait D. Thomas,

quam-

quamvis ejus famam non in toto, in parte tamen eam corrumpit. Deinde, si liceat uni revelare, licebit & alteri. Denique, sæpè plus dependet fama alicujus ab æstimatione unius probi, quàm ab æstimatione 10. plebeiorum: unde bonum grave, quod apud talem obtinet alter, aufertur per hanc detractionem. Aliud est, si adsit justa causa: sic licitè parentes sibi mutuò malefacta filiorum revelant; pœnitentes complicem manifestant confessariis; neque ibi est detractio formalis, sed necessaria manifestatio ad emendationem alterius ordinata.

Expositio injuriæ ab alio passæ.

Dicendum 5. Licitè tamen alteri viro probo exponit quis injuriam ab alio passam, ad habendum solatium, consilium vel auxilium. Talis enim habet justam causam sese hoc medio liberandi à dolore injustè passo; deinde, ut à se damnum aliàs impendens, avertat. Si tamen crimen illud manifestari possit, non manifestando personam, à qua illud commissum est, debet omninò persona illa reticeri: secus si crimen manifestari nequeat, sine manifestatione personæ, cum hoc casu solùm sit detractio materialis.

Quid publicum jure, quid facto & famâ.

Dicendum 6. Non peccat contra justitiam, qui crimen alterius, quod in uno loco est publicum, in alio loco, ubi ignoratur, propalat. Dicitur autem aliquid *publicum jure*, *publicum facto*, & *publicum famâ*. Publicum jure est, quod constat per sententiam Judicis, aut confessionem juridicè factam. Publicum facto est, quod ita est publicum & coram multis factum, ut nulla tergiversatione celari queat. Publicum famâ est, cujus fama ad multos devenit, unde aliquid dicitur *famosum*.

Licet publicè infamem infamare.

Ratio ergo dictæ conclusionis est, quòd ille jam amiserit jus ad famam, cujus crimen alibi est publicum. Neque dici potest, quòd ille, qui amisit famam Antverpiæ v. g., eamdem etiamnum retineat Romæ, quo crimen nondum est delatum: hoc enim est merè per accidens, unde quòd crimen Romæ non sit publicum, non oritur ex ipsa re, quæ oc-

culta non est, sed ex eo, quòd eò crimen delatum non sit, sicut occulta res dici potest in surdo, qui audire non potest, etsi crimen alioqui sit publicum Sic videmus historiographos mandare libris aliquorum crimina alibi publica, quæ ad partes remotissimas deveniunt divulgatione librorum.

Dixi in conclusione, *non esse contra justitiam*, quia si ex tali revelatione ulteriori nulla speretur utilitas, peccare videtur contra charitatem.

Non licèt crimen publicum factum occultum iterum revelare.

Dicendum 7. Potest citra injustiam crimen jam occultum sed postea factum publicum alteri revelari. Ratio est, quòd alteri jam publicè diffamato nulla sit actio aut jus ad famam. Neque ulterius jam propalando crimen, continuatur infamia ante facta, neque cum detractoribus hoc est commisceri, quia supponitur, quòd jam alius jus ad famam amisit, neque aliorum diffamatio approbatur, sed facta supponitur. Aliud foret, si crimen esset alteri falsò impositum, tunc enim crimen illud ulterius divulgando, coöperaremur alterius damno, concurrendo ad alterius infamiam continuandam. Deinde, licèt alterius fama jam interierit, neque habeat ampliùs jus ad suam famam, tamen jus habet hòc casu ad famam suam recuperandam & possidendam, cujus fundamentum & radix remanet, scilicet carentia criminis.

Dicendum 8. Quando crimen antea publicum, lapsu temporis fit occultum, peccat contra justitiam, qui illud iterum revelat & manifestat. Ratio est, quòd crimen illud deductum jam sit ad statum pristinum, quo erat occultum, unde illud manifestans peccat contra justitiam, sicut peccaret, qui illud antea occultum revelaret.

Diffamatum de uno crimine non licet de alio infamare,

Dicendum 9. Non licet diffamatum de uno crimine ulterius diffamare de aliis criminibus occultis: Ratio est quòd infamis de uno crimine, habeat jus ad famam quoad alias virtutes. Aliud esset, si crimina alia, habeant affinitatem cum crimine, de quo

quo est infamatus: tum enim sine gravi peccato aliud crimen annexum priori, etsi occultum pandi potest, cum eo casu non graviter lædatur alterius fama.

Dicendum 10. Qui crimen alterius novit, non sub secreto sibi commissum, neque via injustâ, poterit illud manifestare, ut avertat notabile malum, sibi aut proximo impendens. Ratio est, quòd hoc casu sit causa sufficiens defectus proximi manifestandi: sic Christus sæpissime Pharisæorum duplicitatem & hypocrisim palam redarguit & revelavit, ut alii ab illorum fermento sibi caverent. Si verò aliis mediis damnum illud avertere quis possit, tenetur ex charitate à tali revelatione abstinere. Idem dic de infamatione ejus, qui fictis virtutibus sibi famam comparavit, & ex authoritate ejusdem timetur alteri detrimentum: idem quoque est, de extenuatione alterius Doctrinæ, quæ alteri est perniciosa. *Revelatio criminis ut malum evitetur.*

Dicendum ultimò: Peccant contra justitiam, qui crimen alterius ita narrant, ut dicant se illud quidem audisse commissum esse, nolle tamen se illud asserere, si prævidere possint, quòd ex tali narratione malum aliquod proximo impendeat. Si verò hoc prævidere non possit, si aliquod damnum ex tali narratione sequatur, auditoris malitiæ adscribere illud potest. *Narrantes crimina non ita assertivè.*

SECTIO II.

An, & quando liceat seipsum infamare.

Dicendum primò, Cùm homo sit Dominus suæ famæ, potest rationabili de causa quandoque se infamare: sic Mathæus professus est se Publicanum, Paulus sese vocat Ecclesiæ persecutorem, & S. Augustinus varia de se crimina manifestat in suis confessionibus. Si tamen crimen illud, quod quis sibi imponit, falsum esset, aut in aliorum infamiam redun- *De causâ quâ licet sese infamare.*

redundaret, illicitè & injustè quis se infameret. Sic peccaret Superior, Religiosus, &c. quia ex illorum infamia, sequitur infamia Monasterii.

Sine causa se infamans peccat. Dicendum 2. Qui se sine justa causa graviter infamat, peccat mortaliter, sicuti peccat mortaliter qui magnam pecuniæ summam prodigit, imò eò magis, quò nomen bonnm præstat divitiis multis. De tali ait S. August. serm. 44. de diversis: *qui negligit famam, crudelis est.* Neque verum est, quod opponunt alii quòd Apostolus famam prodigat & contemnat, dum 1. Cor. 4. ait: *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Cùm solùm velit Apostòlus, judiciis hominum non esse fidendum, quæ sæpè diversa sunt à judiciis Dei. Unde & Augustinus alibi dicit; *Senti de Augustino quodcumque lubet, sola me conscientia non accuset.* Conscientia enim mille testes, ut habet commune dictum.

Impositio criminis falsi. Dicendum 3. Non licet sibi falsum crimen imponere, ad evadenda tormenta, cùm hoc sit mentiri, quod nullo casu licitum est, nec sint facienda mala, ut eveniant bona. Unde si ex tali impositione videat juxta juris ordinem secuturam mortem, peccat peccato homicidii, ad suam necem concurrendo, ejusque causam ponendo, ex qua verosimiliter mors secutura prævidetur. Non peccat tamen ille peccato detractionis, cùm habeat justam causam famam suam prodigendi. Peccat quoque ille graviter, qui ut parentem aut amicum ex manibus Justitiæ liberet, sibi falsò crimen imponit, tum quòd fiat vera injuria reipublicæ, per fraudem à pœna debita verè delinquentem eripiendo, tum quòd perniciosè talis mentiatur.

Dicendum 4. Improbabile est, illum non peccare mortaliter, qui alteri imponit falsum crimen, ut famam suam & honorem defendat; clarè enim hoc est contra præceptum decalogi, *Non dices contra proximum tuum falsum testimonium.* Unde hæc ab Ecclesia damnata est: *Quid ni non nisi veniale sit detrahentis authori-*

thoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere? Item hanc: *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

SECTIO III.

An & quale peccatum sit audire detrahentem.

DICENDUM primò, qui alium ad detrahendum movet, excitat, hortatur ac promovet, peccat contra charitatem peccato scandali, & contra justitiam damnificationi proximi coöperando. Idem est de eo, qui audiendis detractionibus delectatur, eisque quasi consentit, quia non solum, qui talia agunt sed & qui malè agentibus consentiunt, rei sunt, ut ait Apostolus Rom. 1. Hinc dicunt SS. PP. quòd detrahens habeat dœmonem in ore, & detractiones ita audiens in aure. Audi S. Hieronymum Epist. ad Nepot. *Cave*, ait, *ne linguam aut aures habeas prurientes, ut aliis detrahas; aut alios audias detrahentes.* Et S. Bern. l. 2. c. 13. de consideratione; *Detrahere* ait, *aut detrahentem audire, utrum horum damnabilius sit, non facilè dixerim.* *Audiens detractiones.*

Dicendum 2. qui alium detrahentem audit, neque illum impedit, ubi facilè impedire posset, peccat contra charitatem, non autem contra justitiam, nisi ex officio illud impedire teneretur. Charitas enim unumquemque obligat, ut malum alterius impediat, dum sine damno id potest. Quòd tamen non peccet contra Justitiam, patet cùm illa solùm obliget ad non inferendum damnum, non verò ad illud impediendum, nisi ex officio ad illud impediendum quis foret obligatus. *Detractiones non impediens.*

Dicendum 3. tenetur quilibet alteri detrahenti graviter resistere, si sit spes resistendo detractio- *Tenemur detrahenti resistere.*

nem impediendi, nec sit timor gravis damni. Probat illud Sapientia æterna Proverb. c. 24. ubi dicitur: *Abominatio hominum detractor sit.* Debet ergo detrahentem audiens, vel facie tristiori resistere, juxta illud Prov. 25. *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Obligatio hæc eò est arctior, quò vitium detractionis est magis ubique obvium: nam, ut ait S. Hieron. ad Celantiam: *Pauci sunt, qui huic vitio renuntient, tantaque hujus mali libido, hominum mentes invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum Diaboli laqueum incidunt.* Rectè proinde admonet Scriptura Eccli. 19. *Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te.*

SECTIO IV.

De aliis vitiis detractioni affinibus.

Convitium, improperium, irrisio, subsannatio, susurratio, maledictio.

DETRACTIONI affinia sunt convitium, improperium, irrisio, subsannatio, susurratio, & maledictio. *Convitium* est exprobratio de pœna animæ aut corporis. *Improperium* est exprobratio indigentiæ, aut beneficii in necessitate collati. *Irrisio* est, dum alium ludibrio habemus. *Subsannatio* est derisio quæ fit motu corporis & membrorum. *Susurratio*, est discordiæ disseminatio inter amicos. *Maledictio* denique est mali imprecatio, quâ honor, uti & præcedentibus solet violari. Prædicta omnia sunt de se peccatum grave, cum graviter proximum lædere soleant in bonis corporis aut animæ.

SECTIO

SECTIO V.

De Restitutione famæ.

Dicendun primò, Tenentur omnes ad restitutionem famæ, qui injustè alterius famam violant. Hinc superior, qui subditum detrahentem non impedit, tenetur ad restitutionem famæ, tamquam causa moralis damni in famâ positi: tenetur quoque ille famam restituere, qui etsi ignorantiâ vel inadvertentiâ famam læsit, tamen postmodum noscit, infamiam esse secutam. Ad hoc enim justitia obligat, ut damnum proximo etiam sine nostra culpa positum & causatum, impediamus ne crescat, dum id commodè facere possumus. Obligatio autem illa est merè personalis, adeoque nec transit ad hæredes detractoris: imo ad nihil tenetur detractor respectu hæredum illius, cui detraxit, nisi ex detractione, illis quoque damna sint causata, quæ ex detractione per se sequuntur, quorum detractor detrahendo posuit causam. *Omnis ille famam reddere debet, qui eam injustè læsit.* *Obligatio hæc est personalis.*

Dicendum 2. Tenetur detractor famam alterius restituere, etiam cum dispendio famæ propriæ. Ratio est, quòd in pari causa melior sit conditio innocentis, & pejor nocentis. Excipe tamen casum, quo alicujus fama necessaria esset bono communi reipublicæ aut communitatis, eò quòd infamatus non possit rationabiliter velle, ab alio famæ reparationem cum tanto damno boni communis. Idem dic, si ex reparatione immineat periculum vitæ, ob eamdem rationem mox datam; nisi fortè alter ex falsâ infamatione foret in eodem periculo, cum in pari causa sit melior conditio innocentis. *Tenetur etiam cum suo damno.*

Dicendum 3. Si infamatus aliâ viâ reparationem famæ obtinuerit, liberatur detractor ab onere famam restituendi. Ratio est, quòd alteri jam factum sit, quod sibi fieri debet, nec minus habeat, quàm habe- *Excusatur recuperatâ famâ.*

re

re debeat. Idem dicendum est, si infamia jam sit obliterata, nec sit periculum reviviscentiæ.

Falsi criminis impositor, tenetur illud efficaciter revocare.

Dicendum 4. Qui alteri imposuit falsum crimen, debet illud efficaciter revocare, quod efficaciter non præstat, dicendo se fuisse deceptum, sed candidè fateri debet se esse mentitum. Ratio est, quòd qui alium injustè læsit, debeat adhibere media illa, quæ ad reparationem damni sunt necessaria. Si verò patefecit quis crimen verum, debet adhibere media, quæ ad reparationem famæ sunt idonea: non tamen potest dicere se esse mentitum aut dixisse falsum; non enim licet mendacio famam ablatam restituere; poterit tamen dicere se malè dixisse, vel se de alio malè & injustè locutum esse. Idem dicendum est, quòd non liceat per mentales restrictiones famam ablatam restituere, cum sint purum & putum mendacium, & restringere mentaliter sit mentiri artificialiter. De quo plura postea.

Excusatur, si non sit illi data fides.

Dicendum 5. Excusatur detractor à restitutione facienda, si auditores non crediderint detrahenti, non intellexerint, si fiat impotens ad restituendum, si non possit nisi cum periculo vitæ, &c.



CA-

CAPUT SEXTUM.

De Contractibus.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit contractus.

Dicendum primò, *Contractus* communiter definitur, *ultrò citròque obligatio*, idest, signum practicum, quod obligationem ultrò citròque inducit. Si contractus requirat rei traditionem, perficitur *re*: Si requirat scripturam, dicitur *scripturâ* perfici: si certam verborum formam requirat, perficitur *verbis*, si verò nec verba, nec Scripturam exigat, & solo consensu exteriùs expresso contentus sit, *consensu* perfici dicitur. *Quid contractus.* *Quomodo perficitur.*

Alius contractus est virtualis, alius expressus sivè formalis. *Virtualis* est, quando inter aliquos implicita seu virtualis extat conventio. *Formalis* est, quando aliqui expresè conveniunt, cum obligatione mutua, aut saltem in altera parte. *Contractus formalis & virtualis.*

Alius insuper contractus dicitur nominatus, alter innominatus, prout habet speciale nomen, ut emptio, venditio, &c. vel prout non habet speciale nomen, qui sunt 4. *do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias.* *Nominatus & innominatus.*

Dicendum 2. Omnis contractus liberè initus inducit obligationem in foro conscientiæ, nisi jure positivo sit irritus, vel detur potestas eum irritandi. Jus enim positivum habet potestatem irritandi contractus, aliàs de se validos, ob utilitatem boni communis, uti facit in contractibus impuberum. Aliud sit *Quinam obligent.* *Nudum pactum.*

sit in *pacto nudo*, quod est mera duorum conventio, omni alio fundamento carens, quod non parit obligationem in foro civili, quod etsi talibus conventionibus non resistat, eis tamen non assistit tribuendo actionem, idque ne lites multiplicarentur. In foro tamen conscientiæ parit etiam nudum pactum obligationem, cùm utraque pars in conscientia teneatur stare promissis: quod & observat Jus Canonicum, & Tribunal Ecclesiasticum, quod conscientiam spectat & dirigit. Si verò tale pactum sit juramento firmatum, parit obligationem in utroque foro.

Error in contractu

Dicendum 3. Quando in altero contrahentium accidit error circa substantiam rei, contractus ille est jure naturæ irritus: Ratio est, quòd hoc casu desit consensus essentialiter ad contractum requisitus, cùm in illam rem, quam putat subesse, & revera non subest, solùm consentiat, non item in aliam. Si verò error non sit circa substantiam rei, sed solùm circa accidentia, quæ movent ad rem comparandam, tunc contractus non erit invalidus, cùm verè consentiat in talem rem comparandam. Si tamen hic dolus det causam contractui, poterit contractus pro arbitrio ejus qui deceptus est, rescindi & solvi, si sit solubilis. Ratio ejus est, quòd qui alium inducit vi vel fraude ad cantrahendum, faciat alteri injuriam, unde tenetur eum in integrum restituere. Excipiunt tamen hìc, si altera pars non sit doli particeps, sed ignara vel à tertio decepta, tum enim contractus valet, neque in foro externo revocari potest ad libitum decepti, etsi verius sit, in foro conscientiæ id posse fieri, dum error apparet, nisi fortè ex revocatione obveniret alteri grave damnum. Unde jura hìc non concedunt rescissionem contractûs, sed solùm actionem quanti minoris, sive ut eò minoris solvant, quò res valitura erat, detecto errore.

Contractus metu initus.

Dicendum 4. Contractus gravi etiam metu initus jure

jure naturæ est validus. *Gravis metus* est, qui cadit in constantem virum, sive quo vir constans permoveri solet ut est metus mortis, carceris, exilii, &c. Alius, quo quis moveri non solet, dicitur *Levis.* Ratio conclusionis est, quòd illud quod metu fit, absolutè voluntariè fiat, unde voluntariè consentit non obstante metu etiam gravi. Neque dici potest, quòd injuria per metum illata contractum irritet, cùm injuria non sit immediata causa contractus, sed consensus hic voluntarius.

Metus gravis. Levis.

Possunt tamen contractus gravi metu initi revocari ad arbitrium ejus, qui passus est metum, si metus dederit causam contractui, in foro conscientiæ: Ratio est, quòd ille, qui metum intulit, fecerit alteri injuriam, unde debet alium in priorem statum collocare, ad quod & alter jus habet, ut fiat. Dictum est, *Si metus dederit causam contractui*, sive si incussus fuerit ad contractum eliciendum, quia si alio fine metus ille sit incussus, revocari non poterit contractus tali metu initus. Hinc si à latronibus invasus, promittat tertio, qui doli non est conscius, summam 100. florenorum, ut te liberet, tenetur contractui. Idem est, si metus justè incutitur, id est quando malum, quod quis minatur, ab eo potest justè inferri. Prædicti enim contractus revocari solùm possunt ratione injuriæ, quæ abest, si metus justè incuti poterat.

Contractus revocandi.

Dicendum 5. Contractus levi metu initus, non potest in foro externo ad arbitrium metum passi revocari: Potest tamen in foro conscientiæ, si metus ille ad extorquendum contractum fuerit injustè incussus. Ratio ejus est, quòd aliquando metus levis tantopere perturbet hominem, quàm gravis: Deinde quod metu hoc levi extorquetur, per injuriam obtinetur, quod proinde in integro restitui debet: quæ dicta sunt de metu gravi & levi, idem pariformiter dicendum est de metu reverentiali, quo uxor movetur precibus mariti, monachus Abbatis,

prout

prout metus ille censetur æquivalere metui gravi, vel levi.

SECTIO II.

Quinam contrahere possint.

Quinam possint contrahere

Dicendum primò: Omnes illi contrahere possunt, qui habent liberam administrationem rei, de qua contrahitur: alii autem, qui non habent liberam administrationem, non possunt de eis rebus contrahere. Hinc pupilli, religiosi & similes non possunt contrahere sine consensu eorum, quibus respectivè subsunt, de rebus, quarum non habent liberam administrationem.

Minores & pupilli pubertati proximi

Notandum tamen, minores & pupillos pubertati proximos posse sine authoritate curatoris contrahere in suum commodum, non tamen in suum incommodum. Habent enim ex juris dispositione, sufficientem facultatem alterum sibi obligandi, non verò vicissim se alteri. Censentur verò minores & pupilli proximi pubertati, si masculus sit 10. annorum cum dimidio, si femella 8. annorum cum medio.

Excipiunt tamen contractum pupilli de re non adeo pretiosâ, mobili vel immobili, quo casu pupillum propriâ etiam authoritate contrahentem volunt in conscientia obligari; quod, etsi satis probabile sit de jure ordinario, jure tamen extraordinario dicuntur etiam pupillos illis contractibus non obligari: tum quòd non obligentur efficaciter, cùm beneficio restitutionis in integrum possint resilire, tum quòd non obligentur tam efficaciter, quàm alii majores. Alii tamen probabiliùs docent, invalidum esse omnem contractum minoris & pupilli propriâ authoritate initum, nisi fortè accesserit juramentum, quo casu non potest minor aut pupillus velle resilire, nec alter tenetur rem restituere.

Dicen-

Dicendum 2. Possunt tamen pupilli & minores contrahere de suis rebus castrensibus aut quasi castrensibus, quarum habent dominium & liberam administrationem: Si verò in his quoque senserint grave damnum, possunt beneficio restitutionis uti, & rem repetere reddito prætio.

SECTIO III.

De Promissione & donatione.

Dicendum primò, *Liberalis promissio, vel donatio alteri facta* non obligat ante ejus acceptationem; post illam verò obligat, etiam aliquando sub mortali, si res promissa sit magni momenti. Excipiunt alii à prima parte donationem vel promissionem datam loco pio, monasterio, hospitali, &c. quam volunt obligare ante acceptationem: Verùm alii hoc meliùs negant generaliter de omni promissione & donatione ante acceptationem. Ratio posterioris partis est, quòd omnis promissio det jus ad rem promissam, si sit vera & seria promissio: aliàs si solùm sit assertio aut propositi sui declaratio, non obligat sub mortali ad illud implendum, quo pacto solent excusari, qui promittunt se multa facturos, sed nihil efficiunt. Quantitas autem hîc requisita, ut promissio sub mortali obliget, constituitur ab aliis illa, quæ sufficit ad furtum mortale; verum rectius alii docent, requiri quantitatem majorem, qui valor communi & prudenti judicio debet æstimari: major verò solet æstimari injuria in eo qui aufert unum florenum v. g. quàm qui 3. aut 4. promissos non solvit. *Donatio & promissio requirunt acceptationem ut obligent.* *Promissio aulica.*

Dicendum 2. Variæ conditiones requiruntur ad legitimam donationem; prima, ut res donata sit donantis, cum nemo dare possit, quod non habet. 2. Ne res illa alteri sit obligata. 3. Ut donatarius rem illam possit recipere. 4. Ne detur major quantitas, quam *Conditiones necessaria ad debitam donationem.*

quàm dari possit: vel etiam ut donare possit, quod inhibetur minoribus, pupillis, prodigis, quos vocamus *Stadts Kinderen*; filiis familias de bonis non castrensibus aut quasi castrensibus; Religiosis, uxoribus, de iis, quæ ultra conditionem similium dare præsumunt sine consensu viri, & de quibus non possunt liberè disponere, uti possunt de bonis parapharnalibus; hinc aliquid dono accipiens ab aliquo, qui donare non potest, tenetur ad restitutionem, cùm donatio fuerit nulla.

Donatio inter vivos. Dicendum 3. *Donatio inter vivos*, idest qua sic aliquid donat, ut velit etiam se vivente esse alterius, potest quibusdam de causis revocari, puta ob ingratitudinem, injuriam donatarii, &c. *Donatio mortis causa.* *Donatio verò mortis causâ*, idest facta ea conditione, ut non velit rem donatam esse alterius, nisi post mortem, ut fit in testamento, codicillo, &c. potest ad arbitrium donantis revocari. Hinc commune axioma est jurisperitis: *Ambulatoriam esse testantis voluntatem usque ad supremum vitæ spiritum.*

Inter Conjuges. Dicendum 4. Donationes inter vivos facta inter conjuges, tempore matrimonii jure communi sunt invalidæ, quod justè statutum est, ne conjuges importunis precibus & sollicitationibus sese spoliarent bonis, cum præjudicio & damno hæredum. Donationes verò mortis causâ inter illos, sortiuntur effectum legati, & valet juxta jura legatorum.

SECTIO IV.

De Emptione & Venditione.

Quid emptio. Dicendum primò, *Emptio* est contractus receptionis dominii alicujus rei vel juris ab alio, dato pretio legitimo. Venditio autem est contractus, quo fit translatio rei aut juris dominii in alterum, mediante pretio legitimo. Possunt enim tam jura, quàm

quas res vendi & emi. Pretium verò legitimum duplex est: unum quod jure taxatum est, aliud quod pendet à communi hominum æstimatione, quod & *vulgare* nuncupari solet, quod & rursum est triplex, *summum* scilicet, ultra quod omnibus pensatis adscendi non potest: *Medium* ultra & infra quod aliquando adscendi potest & descendi: *Infimum*, sub quo absque vendentis damno descendi non potest. *Pretium vulgare summum, medium, infimum.*

Dicendum 2. duo sunt, quæ ad legitimam emptionem & venditionem requiruntur. Primò ut omnis fraus hic absit, *neque in negotio circumveniat quis fratrem suum, quoniam vindex est Dominus*, ut ait Apost. 1. Thess. 4. quod fieri potest ex parte rei, quæ venditur, ut si sit corrupta, quæ venditur pro integra, si vendi nequeat, si non sit vendentis, &c. potest quoque fraudari in pretio, si pretium jure taxatum excedatur, si ultra hominum æstimationem, quo referri possunt monopolia, sive pacta mercatorum, ne frumentum, vinum, &c. vendere velint, ut annonæ caritatem inducant, & eo tempore pretio extraordinario res suas divendant. Item fraus illa fieri posset ex parte ponderis aut stateræ corruptæ, de qua ait scriptura S. Prov. 11. *Statera dolosa abominatio est apud dominum.* *Requisita ad debitam emptionem & venditionem.*

Dicendum 3. Licitum tamen est rem pluris vendere ratione officii mercandi, cùm illud pretio sit æstimabile, quòd mercator omnem suam curam & industriam & tempus debeat distrahere, in conquirendis, conservandis & vendendis mercibus. Idem dicendum est, si quis rem vendat in gratiam solius emptoris, quæ res vendenti est utilis, aut aliquo modo necessaria, aut commoda: Quod posset fieri ratione damni emergentis aut lucri cessantis. *Ratione mercaturæ licet rem pluris vendere.*

Dicendum 4. Hinc quoque quandoque licitum est rem minoris justò emere, si illam emat in gratiam venditoris, nec emptori multùm est utilis: cavendum tamen ne, à pauperibus aut aliàs indigentibus, qui ratione inopiæ res suas divendere coguntur, res illas *Quando liceat rem emere minoris justo.*

minori pretio emant, & charitatem violent. Sic etiam res aliquando minori pretio emi potest in auctionibus publicis, in quibus sicut pretium aliquando exceditur, ita aliquando minuitur, cui periculo rei Dominus voluntariè consentire censetur.

Res indeterminati pretii. Dicendum 5. Res quæ non habent certum, ac determinatum pretium, ut lapides, picturæ raræ & antiquæ, juxta alios possunt tanti vendi, quanti possunt: Rectius tamen docent ejusmodi res non posse vendi pro libitu venditoris, sed juxta commune intelligentium judicium & æstimationem.

Non licet vendere carius ob dilatam solutionẽ, aut emere ob anticipatam. Dicendum 6. Non licèt carius vendere præcisè ob dilatam solutionem, aut emere minoris ob solutionem anticipatam. Ratio est, quòd dilatio, uti anticipatio solutionis sit implicitum mutuum, & perinde est, ac si acceptam à debitore pecuniam eidem mutues, & deinde aliquid ultra sortem accipias, uti etiam qui solutionem anticipat virtute mutui, & quando postea res pluris valens traditur, aliquid ultra sortem datur ratione mutui, quòd est usurarium, uti postea patebit.

SECTIO V.

De deposito, commodato, & locatione.

Quid sit depositum. DICENDUM primò *Depositum* est, quando res aliqua alterius fidelitati relinquitur, & alter in suam fidelitatem recipit, ut integra postmodum recipiatur. Hinc peccat depositarius, si fidelem curam rei non habeat, aut suâ culpâ perire sinat. Peccat itidem, si contra voluntatem Domini re depositâ utatur, si suâ culpâ fiat deterior, si depositum tempore statuto integrum non reddat.

Depositū apud religiosos. Dicendum 2. Si Religiosus, aut Abbas pecuniam aut aliquid aliud, etiam de consensu superioris ser-

vet

vet in deposito, & apud eos pereat, non tenetur communitas ad ejusdem restitutionem. Ratio est, quòd fides de deposito servando non sit data vel accepta à monasterio, sed à persona particulari, cujus delictum personam illam afficit, non autem monasterium. Quod frequenter usui venire potest, dum sæculares res suas tradunt in depositum monasteriis, aut locis sacris, quo casu non est verum depositum, cum nec monasterium, nec locus sacer censeatur res illas velle recipere in suam custodiam & fidelitatem: Si verò in monasteria aut loca sacra velut in asylum res suas invehant, tempore belli aut periculi militaris, & res illæ capiantur, ad nihil tenetur monasterium aut locus sacer, cum sæpe prætextu aut causâ talium rerum ibidem existentium monasteria & templa spolientur. Unde ad cavendas difficultates, rectè superiores aliqui inhibent, ne deposita sæcularium recipiant religiosi, aut saltem non sine consensu superioris.

Dicendum 3. *Commodatum* est, cujus usus alteri gratuitò conceditur, ut res eadem numero restituatur. *Quid sit commodatum.* Peccat autem commodatarius, si rem tempore statuto non reddat, ex qua dilatione alter damnum sentit: Si res commodata ad rectum aliquem usum, ad alium usum contra voluntatem Domini adhibeatur; si culpâ commodatarii res pereat, aut deterior fiat, extra rationem usus, ad quem fuit commodata.

Dicendum 4. *Elocatio* est contractus, quo res aliqua aut persona ad certum usum vel fructum pro pretio conceditur. *Quid sit elocatio.* Differt à commandato, quòd gratuitò rei fructum concedit, hæc verò pro pretio. Peccat autem elocator, si rem pluris justò elocat, si operarios conducens eos pauperes opprimat, mercedem defraudet, &c. Si res apud conductorem suâ culpâ pereat, aut fiat deterior, ultra usum ordinarium, elocationis. Peccat itidem, qui agro, vineæ colendæ suam operam addixit, & consuetam & debitam operam adhibere negligit,

SECTIO VI.

De Mutuo & Usura.

Quid sit mutuum. Dicendum primò, *Mutuum* est traditio rei, numero, pondere vel mensurâ constantis, eo animo facta, ut statim fiat accipientis, cùm obligatione, ut similis specie & bonitate restituatur. Mutuum enim fit traditione, uti donatio, commodatum, & depositum. Differt verò à commodato & deposito, in eo, quòd in deposito & locato accommodato conceditur solus rei usus; per mutuum verò transfertur rei mutuatæ Dominium. Debet autem reddi eâdem specie, numero & mensurâ, quia si reddatur equivalens, sed diversæ speciei, erit permutatio.

Quid sit usura. Dicendum. 2. *Usura* est lucrum immediatè ex mutuo proveniens, & juxta S. Auguft. in Psalm. 38. *Fænerari, est mutuam pecuniam tuam dare ei, à quo aliquid plus quàm dedisti, expectes accipere.* Dividitur in expressam & implicitam sive mentalem. *Explicita* est, quando expresse de lucro ultra sortem partes paciscuntur. *Implicita* vel *mentalis*, quando ille, qui mutuat intendit aliquid ultra sortem accipere, idque latenter in animo solùm, nec expresse. Ingerit se mentalis hæc usura sæpissimè variis contractibus, qui non videntur usurarii, ubi tamen coram Deo ratione intentionis, sunt revera tales. Porro omnis usura jure divino & humano est prohibita. Unde rogat Ezechias c. 18. *Ad usuram dantem & ampliùs accipientem, numquid vivet?* Idem confirmat S. Scriptura variis locis. Unde præcipit Salvator Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Jure quoque positivo humano usurarii ab Ecclesia excommunicantur, & à participatione Sacramentorum arcentur, Ecclesiasticâ sepulturâ privantur, ut patet ex variis juribus.

Usura implicita & explicita.

Dicendum

Dicendum 3. Usura non fuit licita in veteri lege quoad alienigenas, sed solùm à Deo permissa carnali populo, ne in foro externo possent ob illas puniri, etsi in foro conscientiæ peccarent mortaliter. Alii tamen ut & S. Amb. l. de Tobia c. 15. Per alienos seu alienigenas inttelligunt gentes hostiles, quas jussu Dei occidere poterant, suis bonis spoliare, idque per usuras. Unde ait ibidem: *Ibi usuram exige, cui meritò nocere desideras, cui jure inferuntur arma..... ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere,..... Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus usuræ.* Ex quo palam fit, Judæos crassè errare, dum licitum dicunt fenerari externis populis, idque ubivis securè practicant. *Usura numquã licita.*

Dicendum 4. Usuram illicitam esse evincit & ratio: cum enim pecunia sit de se & ex natura sua res sterilis, nec fructifera, ex eâdem injustè fructus accipitur: unde usurarii tollunt quod non posuerunt, & metunt quod non seminarunt, ut de similibus ait S. Lucas c. 19. Deinde cum per mutuum res mutuata transeat in dominium mutuatarii (per mutuum enim fit meum tuum) res mutuata fructificat Domino suo, id est mutuatario, non mutuanti. Rursum illicitum est rem eamdem bis vendere, & pro re eadem duplex pretium exigere: usurarius autem semel sortem æqualem recipit, & deinde lucrum usurarium pro eadem. Insuper non licet vendere rem non suam, quod usurarius facit, vendendo & accipiendo pretium pro re non sua, & quæ jam transiit in Dominium mutuatarii. *Quare usura sit illicita.*

Dicendum 5. Usura committitur, quandocumque concurrunt, mutuum & pactum vel intentio ex mutuo aliquid pretio æstimabile acquirendi, tamquam ratione mutui debitum. Hinc communiter ab usura excusantur census; ubi non intercedit mutuum, sed potiùs species quædam venditionis & emptionis, quibus venditur & emitur jus quoddam exigendi singulis annis certam pecuniæ summam. *Quandonam fiat usura.*

Deinde usura non censetur committi, quando lucrum aliquod ultra sortem non recipitur immediatè ex mutuo, sed aliunde, quod mutuo est extrinsecum: primò, si quid recipiatur ultra sortem principalem ratione damni emergentis ex mutuo. v.g. mutuat quis alteri 100. florenos, alter debet statuto tempore illos 100. alicui tertio, idque sub pæna 10. florenorum, quos 100. ob datum mutuum dare non potest: potest ille ratione damni emergentis ex mutuo, aliquid exigere ultra sortem. Secundò aliquid ultra sortem exigi potest ratione lucri cessantis ex mutuo. Hoc tamen hîc sedulò notandum, quòd damnum illud emergens & lucrum cessans debeat hîc verè subesse, nec solùm fictò prætendi, cum sæpe sub dictis titulis palliari soleat usura.

An liceat aliquid ultra sortem recipere ratione periculi præcisé

Dicendum 6. Verior est sententia & in praxi tutior, quòd non liceat aliquid exigere ultra sortem præcisè ratione periculi amittendæ sortis, aut ratione difficultatum in ea recuperanda. Hanc opinionem vocat Navarrus communem Theologorum & Canonistarum, ubi contraria est periculosa & usuris aditum pandit, cum quilibet in omni prorsus mutuo facile concipiet timendi causas, ob quas sors principalis periclitetur: vel quòd in ea recuperanda difficultates aliquas debeat subire, quas rationes semper posset obtendere, ut lucrum ex mutuo recipere posset, ut faciliùs usuram palliare.

Dicendum 7. Non licet aliquid recipere præcisè ratione carentiæ pecuniæ, aut quia pecunia numerata pretiosior est numeranda. Unde merito hæc damnata est: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Tale enim lucrum ex ipsa pecunia sive sorte data expectatur, ubi tamen pecunia de se est res infructifera.

Appositio pœnæ ad mutuum.

Dicendum 8. Licitum est in mutuo apponere pœnam,

nam, ut statuto tempore mutuum reddant. Quo casu cavendum, ne appositio illa pænæ apponatur animo usurario & in fraudem, neque pæna illa excedat rationem culpæ, & culpa mutuatarii verè subsit sæpe enim aliqui prævidentes mutuatarios fore in mora, ejusmodi pænas apponunt, ut titulum quendam prætexere possent, aliquid ultra sortem ex mutuo recipiendi.

Fructus rei mutuata. Dicendum 9. Si mutuò detur pignus fructiferum in assecurationem, debet mutuans vel fructus talis pignoris alteri restituere, vel deducere eosdem in solutionem sortis: nisi forte ex mera liberalitate alter fructus illos donaret. Ratio illius est, Quòd aliàs nullo titulo fructus illos mutuator possit possidere aut acquirere. Deinde cum pignus illud maneat in dominio illius, qui illud dat, etiam eidem fructificat.

Traditio pecunia cum obligatione annua & sortis assecuratione. Dicendum 10. Veriùs docetur illicitum esse tutoribus, viduis, ancillabus pecuniam aliàs apud se quiescentem, neque negotiationi destinatam, mercatori tradere, ut annuè 5. aut 6. per centum recipiant, cum securitate sui capitalis. Communis quidem praxis est contraria & valde frequens, sed ideo vetustas erroris. Sententia nostra probatur ex variis conciliis, & signanter ex Synodo Mechliniensi habitâ 1570. ubi ita habet tit. de usuris: *Quoniam usura jure divino & canonico omnibus Christianis sub pæna peccati mortalis interdicitur, neque facienda sunt mala, ut eveniant bona: Synodus statuit & ordinat, ne quis tutor aut curator sub prætextu augendi patrimonii pupillorum, aut sub eorum curatela existentium pecunias illorum sub certo lucro singulis annis ultra sortem recipiendo mutuò det, retentâ facultate repetendæ sortis, & declarando hujusmodi omnes contractus usurarios, & contra, ut præmittitur, mutuantes tamquam usurarios ad pænas juris procedendum.* Idem habet Synodus Camerac. 1586. Iprensis 1577. Audomarensis 1583. Imo Philippus 2. statuit expressè hujusmodi contractus esse nullos,

Falsa excusatio. Neque excusari id potest, triplici contractu virtuali, quem hîc fingunt alii, nempe contractu societatis, contractu assecurandi capitale, & per venditionem lucri incerti majoris, pro certo minore. Verùm enim verò, quis se dicet sincerè inire societatem cum mercatore, & cum eo de sorte velle periclitari? quàm difficulter hîc abstergi potest intentio aliquid lucrandi ultra sortem? adeo ut vel propter usuræ suspicionem, & usuræ favorem, meritò proscribenda sit contraria opinio. Hoc tamen fatendum est, illos, qui juxta aliam sententiam bona fide & sincero animo procedunt, non ita facile esse condemnandos, aut etiam à Sacramento arcendos; etsi pastores & omnes curam habentes animarum, quantùm fieri potest, debeant suos subditos à similibus contractibus abstrahere & deterrere.

Usura omnis est interdicta. Dicendum 11. Falsa est aliquorum opinio, quæ docet licitas esse usuras moderatas: item quòd usura liceat cum divitibus, non item cum pauperibus: omnes enim usura cum quolibet, sacræ paginæ detestantur, nec magis licita est injustitia facta diviti, quàm pauperi, nec magis honesta, parva injustitia, quàm magna.

Dicendum 12. Usura est, si aliquid exigatur, ratione mutui, tamquam ex benevolentiâ aut gratitudine, etsi non ex justitia debitum: prohibetur enim omnis usura, quæ toties fit, quoties aliquid ultra sortem præcisè ratione mutui exigitur, uti hîc fit: gratitudo enim suum quoque habet debitum. Undè nuper hæc ab Ecclesia est Condemnata: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur: tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tamquam ex justitia debitum.* Quæ censura pro praxi hodierna diligenter est expendenda & annotanda.

Dicendum 13. Contractus quem vocant *mohatra*, est omninò illicitus. Tunc autem est talis contractus, dum quis non vult mutuare alteri indigenti, sed res aliquas

aliquas summo pretio vendit, qui easdem alteri vel priori revendit pretio infimo vel medio. Hîc enim venditio illa simulata est implicitum mutuum, unde dum eidem res pretio medio vel minori divenditur, lucrum ex mutuo percipitur: unde nuper ab Ecclesia hæc est condemnata: *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu revenditionis prævie inito, cum intentione lucri.*

SECTIO VII.

De Montibus Pietatis.

Dicendum primò, Montes Pietatis solùm permissi sunt, & ab usuræ labe immunes, qui ad Limam Decreti Leonis X. in Concilio Lateranensi, quod incipit, *cum multiplices* ut addam postea, reducuntur. Ratio ejusmodi montes instituendi fuit, quòd pauperes Christiani ab usurariis, usuris opprimerentur: hinc primum Montem instituit in hunc finem Bernardinus de feltro Ordinis S. Francisci Reg. observ. Paduæ ad annum 1491. Cum verò idem malum in Belgio nostro serperet, & publici usurarii à rebus publ. permissi, 33. ad centum reciperent, Sereniss. Princeps Albertus cernens populum suum usuris gravatum, jussit eisdem usurariis 22. ad centum esse contentos, remissâ illis ingenti summâ, quæ Principi ab usurariis permissis pro mulctâ debebatur. Melior tamen & opportunior inventa est ratio populo indigenti succurrendi per erectionem montium, qui an sine usura erigi & conservari possent, ad annum 1617. maturè à viris Ecclesiasticis & aliis jurisperitis est examinatum, & tandem liciti declarati, si ad Decretum Leonis X. supra dictum reducerentur. Pro cujus pleniori intelligentia notandum est, ad erectionem & conservationem montium varia esse necessaria, ut domus, ministri, &c. Ratione quorum aliquid ultra sortem dari posse

Origo montium, & causa institutionis.

Ratio montium.

posse certum est, ut montes possint servari indemnes. Clariùs hoc declarabit Leonis Bulla dicta, quæ ita habet.

Leo Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam, S. Approbante Concilio.

„ INTER multiplices nostræ solicitudinis curas, „ illam in primis suscipere pro nostro Pastorali of- „ ficio debemus, ut quæ salubria & laudabilia „ ac Catholicæ fidei consona, & bonis moribus „ conformia, nostro tempore non solùm enucleën- „ tur, verùm etiam ad posteros propagentur: & quæ „ materiam scandali præbere possint, penitùs succi- „ dantur & radicitùs extirpentur, nec pullulare „ umquam sinantur, ea in agro Dominico & vinea „ Domini Sabaoth dumtaxat conseri permittendo, „ quibus fidelium mentes pasci spiritualiter possint, „ eradicatis Lizaniis & oleastri sterilitate succisa. Sa- „ nè cum olim inter non nullos dilectos Filios S. Theo- „ logiæ Magistros, ac juris utriusque Doctores, con- „ troversiam quamdam, non sine populorum scan- „ dalo & murmuratione exortam & nuper his diebus „ innovatam esse compererimus, circa pauperum re- „ levationem, in mutu seis publica authoritate facien- „ dis, qui *Montes Pietatis* vulgò appellantur, quique „ in multis Italiæ civitatibus ad subveniendum per hu- „ jusmodi mutuum pauperum inopiæ, ne usurarum „ voragine deglutiantur, à civitatum Magistratibus & „ aliis Christi fidelibus sunt instituti, atque à Sanctis „ viris, divini verbi præconibus & laudati & persuasi „ ac à non nullis etiam summis Pontificibus Prædeces- „ soribus nostris probati & confirmati, sintne præ- „ fati montes à Christiano dogmate dissonantes, vel „ non, utrâque parte diversimodè sentiente atque

„ præ-

,, prædicante : nonnullis etiam Doctoribus & Magi-
,, ſtris dicentibus, eos montes non eſſe licitos, in qui-
,, bus aliquid ultra ſortem pro libra, decurſo certo
,, tempore, per Miniſtros hujus montis ab ipſis pau-
,, peribus, quibus mutuum datur, ex igitur, & pro-
,, pterea ab uſurarum crimine injuſtitiave, ſeu aliqua
,, certè ſpecie mali, mundos non evadere: cum Do-
,, minus noſter, Evangeliſta Luca atteſtante, aperto
,, nos præcepto obſtrinxerit, ne ex dato mutuo quid-
,, quam ultra ſortem ſpectare debeamus. Ea enim
,, propria eſt uſurarum interpretatio, quando vide-
,, licet ex uſu rei, quæ non germinat, nullo labore,
,, nullo ſumptu, nullove periculo lucrum fœtuſque
,, conquiri ſtudetur. Addebant etiam iidem Magiſtri
,, & Doctores in his montibus neque commutativæ
,, neque diſtributivæ juſtitiæ fieri ſatis, cum tamen ju-
,, ſtitiæ terminos contractus hujuſmodi excedere non
,, debeant, ſi debeant approbari: idque præterea
,, probare nitebantur, quia impensè pro hujuſmodi
,, montium conſervatione, à pluribus (ut aiunt) de-
,, bitæ, à ſolis pauperibus, quibus mutuum datur ex-
,, torqueantur: pluraque interdum ultra neceſſaria
,, & moderatas in expenſas, non abſque ſpecie mali
,, ac incentivo delinquendi, quibuſdam aliis perſonis
,, (ut inferre videntur) exhibeantur. Aliis verò pluri-
,, bus Magiſtris & Doctoribus contra aſſerentibus, &
,, multis Italiæ Gymnaſiis verbo & ſcripto concla-
,, mantibus, pro tanto bono, tamque reipubl. per-
,, neceſſario, modo ratione mutui nihil petatur neque
,, ſperetur, pro indemnitate tamen eorumdem mon-
,, tium, impenſarum videlicet Miniſtrorum eorum-
,, dem, ac rerum omnium ad illorum neceſſariam
,, conſervationem, pertinentium, abſque montium
,, hujuſmodi lucro, idque moderatum & neceſſarium,
,, ab his, qui ex hujuſmodi mutuo commodum ſuſci-
,, piunt, licitè ultra ſortem exigi & capi poſſe nonni-
,, hil licere, cum regula juris habeat, quòd qui com-
,, modum ſentit, onus quoque ſentire debeat, præ-
,, ſertim

„ ſertim ſi Apoſtolica accedat authoritas. Quam qui-
„ dem ſententiam à fel. record. Paulo II. Sixto IV.
„ Innocentio VIII. Alexandro VI. & Julio II. Rom.
„ Pontif. Prædeceſſoribus noſtris probatam, à Sanctis
„ quoque ac Deo devotis & in magna ob Sanctitatis
„ opinionem exiſtimatione habitis Evangelicæ verita-
„ tis prædicatoribus prædicatam eſſe oſtendunt. Nos
„ ſuper hoc, prout nobis eſt ex alto conceſſum, op-
„ portuné providere volentes, alterius quidem partis
„ ſtudium commendantes, cum hæc ad pacem &
„ tranquillitatem totius reipubl. Chriſtianæ ſpectare
„ videantur, ſacro approbante Concilio, declara-
„ mus & definimus, Montes Pietatis antedictos per
„ reſpublicas inſtitutos & authoritate Sedis Apoſtoli-
„ cæ hactenus probatos & confirmatos, in quibus
„ pro eorum impenſis & indemnitate aliquid mode-
„ ratum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum
„ rerum ad illorum conſervationem ut præfertur,
„ pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat
„ ultra ſortem abſque lucro eorumdem montium re-
„ cipitur: neque ſpeciem mali præferre, nec peccan-
„ di incentivum præſtare, neque ullo pacto impro-
„ bari, quin imo meritorium eſſe ac laudari & proba-
„ ri debere tale mutuum, & minimè uſurarium pu-
„ tari, licereque illorum pietatem ac miſericordiam
„ populis prædicare, etiam cum indulgentiis à S. Sede
„ Apoſtolica eam ob cauſam conceſſis, ac deinceps
„ alios etiam ſimiles montes, cum Apoſtolicæ Sedis
„ approbatione erigi poſſe. Multò tamen perfectius,
„ multòque Sanctius fore, ſi omninò tales montes
„ gratuiti conſtituerentur, hoc eſt, ſi illos erigentes,
„ aliquos Cenſus aſſignarent, quibus ſi non omni,
„ ſaltem vel media ex parte hujuſmodi montium mi-
„ niſtrorum, ſolvantur expenſæ, ut ad Leviorem
„ æris ſolvendi portionem medio hoc pauperes gra-
„ vari contingat: ad quos cum hujuſmodi cenſus aſ-
„ ſignatione pro impenſarum ſupportatione erigen-
„ dos Chriſti fideles majoribus indulgentiis invitan-
„ dos

,, dos esse decernimus. Omnes autem Religiosos & ,, Ecclesiasticas ac sæculares personas, qui contra ,, præsentis declarationis & sanctionis formam de ,, cœtero prædicare seu disputare verbo vel scriptis ,, ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ ,, pœnam, privilegio quocumque non obstante, in-,, currere volumus: non obstantibus præmissis ac ,, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæ-,, terisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo om-,, ninò hominum liceat, hanc paginam nostræ decla-,, rationis, definitionis, decreti & excommunicatio-,, nis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis ,, autem hoc attentare præsumpserit, indignationem ,, omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apo-,, stolorum ejus, se noverit incursurum. Data Romæ ,, in publica sess. in lateran. S. Basilica solemniter ce-,, lebrata 1515. 4. nonas Maii, Pontificatus nostri ,, anno tertio.,, Hucusque Bulla, naturæ ac debitæ erectioni ac conservationi Montium Pietatis sufficientem regulam præscribens.

Circa dictam Bullam notant DD. quòd illud, quod ultra sortem recipi possit, debeat esse moderatum, in montibus verò Belgii datur 15. ad 100. annuè, aliquando 12. quod certè non est ita moderatum, adeò ut ratione hujus aliquando DD. Lovaniensibus (teste Wiggers) judicatum sit, excedere illam summam expensarum necessariarum limites, ob quos aliquid ultra sortem datur in illis Montibus. Ad quod tamen dictus Doctor resolvit, & cum viris peritis ait, summam illam omnibus consideratis non esse excessivam, cum gravamina Montium Belgicorum sint longè majora quàm alibi, maximè in Italia, ubi plurimi montes gratis ædificati sunt & liberaliter dotati, & consequenter sine onere subsistunt. Montes verò Belgici debuerunt emere domus, levare pecunias ad eorumdem erectionem, cum onere redituum, quæ proinde adaugent summam à mutuatariis dandam, ut mons possit servari indemnis. Hinc rursum sequitur, quòd stipendia

Mini-

Ministrorum Montium Belgicorum debeant esse ampliora, cum eorum administratio requirat majorem curam, industriam & laborem; hoc tamen fatendum est, Montes Italicos potiori jure vocandos esse Montes *Pietatis*, quàm Montes Belgii, ut notant plurimi.

Hoc quoque addunt, summam illam 15. quæ modò recipitur à Montibus Belgicis, tractu temporis diminuendam, adeo ut etiam aliquorum opinione, devenietur ad summam 6. & $\frac{1}{2}$ quòd tamen hîc fieri potest, absque eo, quòd ipse mons accipiat lucrum ex mutuo; declarat Wiggers ex eo, quòd varia onera primis annis solvenda, postea cessarint, tum quòd plurima essent solvenda antequam officina montis aperiretur, adeoque mutuatarii debuerunt concurrere ad montem primis temporibus sublevandum: tum etiam quòd decursu temporis plures petierint mutuum ex monte, adeoque onera in plures distributa; etsi hoc fatendum sit, numquam deveniendum esse ad summam 6. cum $\frac{1}{2}$ cùm onera Montium Belgicorum sint nimia, imo si eo usque veniretur & ibi perpetuò sisteretur, non fore illud sine suspensione usuræ, uti declararunt DD. Lovanienses, teste eodem Doctore.

Sed quid modo de mutuatariis publicis sive Lombardis, qui etiam 15. in 100. annuè recipiunt? Resp. Imprimis plerique condemnant illos, qui privatâ authoritate ita mutuant, quos etiam à Sacramentis, ut publicos usurarios volunt repellendos: si verò id faciant indulto principis, varii eosdem justificant ex eisdem fere fundamentis, quibus justificantur Montes Belgici: puta, quòd cum ii plerumque sint mercatores, ratione lucri cessantis possint aliquid recipere ultra sortem: Ratione obligationis non repetendi pecuniam ante annum: 3. Pro obligatione, qua debent cuivis indigenti dare mutuum pro ratione pignoris oblati. 4. Ratione expensarum in aptanda domo ad conservanda pignora idoneâ, pro sustentatione ministrorum, qui vel pignoribus recipiendis,

cipiendis, vel restituendis vel conservandis præsunt. 5. Pro labore in mutuando. 6. Pro periculo, quod obvenire potest, vel ex incuria ministrornm conservantium pignora, vel etiam ex fraude mutuatariorum, qui aliquando adulterina pignora pro bonis supponunt, uti etiam pro periculo contagii ex vestibus peste aliquando infectis, conflagrationis pignorum, devastationis, deprædationis eorumdem, &c. ratione quorum aliquid ultra sortem exigi posse à similibus Lombardis prætendunt plurimi. Hinc etiam Sixtus V. permisit Duci Sabaudiæ, ut mutuatores publici in suis terris essent, qui etiam 18. in 100. annuè possent recipere. Similes ergo authoritate principis, non secus ac ipsi montes, licitè mutuare posse & recipere posse aliquid ultra sortem, plerique admittunt, hoc tamen addito, ne tantam summam exigant, uti montes plerique, puta 15. in 100. cum illorum onera non sint tanta, quàm onera montium. Deinde notari velim, plurimos titulos supra allatos esse plane insufficientes, ut aliquid ultra sortem ejusmodi recipiant, qualis est titulus 2. Scilicet ratione obligationis non repetendi pecuniam ante annum: Hunc enim articulum damnavit Alexander VII. 1666. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus* An ergo Lombardi illi, moderamem summæ, non excedant, est quæstio facti, quem viri periti considerent. Hoc tamen notandum est, Lombardos illos aliquando ut usurarios fuisse notatos, dum ex edicto Caroli V., uti refert Codex Belgicus V. *Woecker*, ab Ecclesia tempore divini officii arcebantur: uti etiam, quòd Lombardis Belgii aliquando ab Ecclesia indicta fuit restitutio obligationum, quæ pœnæ eosdem usuræ reos fuisse & solùm permissos, satis ostendunt. Hinc aliqui omnes ejusmodi Lombardos usuræ damnant, cum ex solo mutuo lucrum capiant & ex eo ditescant, & quidem lucrum excessivum. Quòd si quispiam opponat, etiam Montes Pietatis lucrum

ex

ex mutuo recipere & ex eo ditescere, dum continuò onera montium ex lucro mutuatariorum dato redimuntur: respondent aliam esse rationem montium, ubi Mons semper manet idem, & illud quod expensione mutuatariorum accrescit, accrescat in utilitatem pauperum, qui decursu temporis nihil ultra justam pensionem solvere debebunt, puta 6. aut 7. in 100. hoc autem à superiori authoritate pauperibus illis imponi posse docent, ut de cæterò communi necessitati opportuniùs succurri possit, uti supperior authoritas potest imponere gabellas v. g. ad sublevanda onera rei publicæ, à quibus posteri erunt libri, quæ tamen suo sumptu subditi moderni debent extinguere. Unde & addunt, etiam similes Lombardos excusari posse, si ita à superiori instituerentur, ut montes particulares, modo prædicto; ita aliqui authores.

Verùm illa multis displicent, & meritò, maximè his de causis: 1. Quòd Lombardi dicti possint lucrum capere ex mutuo, si adsint alii tituli, puta lucri cessantis & alii supradicti, qui revera subesse possent: nec enim omne lucrum ex mutuo continuò est usura, ut ante dictum est. Quòd verò Lombardi illi ditescant, nihil prorsus obstat, uti & mercatores mutuando & præfecti montium ditescere possunt, cum & Lombardi illi lucrum pecuniæ perdunt, quod aliàs negotiando possent acquirere, & laborem quoque subeant, ut officiales montium, ratione cujus sua stipendia obtinere possunt. Quòd verò Montes Pietatis non ditescant ex dato pretio, modo antedicto, non est mirum & omnino disparatio, cum Montibus illis desit titulus, quem habere possunt Lombardi, puta lucri cessantis. Deinde quòd pauperes moderni deberent ferre onera posterorum à multis non satis æquum judicatur. Si verò dicant pretium illud ultra sortem imponi mutuatariis à superiori tamquam tributum, quòd monti applicari debet, est planè infundatum, nec videtur justum,

cum

cum eâdem ratione simile tributum imponi convenisset mutuò mercantium : deinde illis forte æquius impositum esset, quàm indigentibus & miseris, qui mutuum ex montibus petunt.

Hinc melius docere videntur illi, qui dicunt, quòd minor taxa seu pensio oriri possit, ex eo quòd, ut ante dictum est, onera decursu temporis in plures distribuantur : itidem, quòd variæ largitiones piæ montibus relinquantur, varii reditus remittantur, vel vitales extinguantur, aut etiam ad minorem taxam reducantur, unde fieri potest, quòd ipse mons quasi ditescat, dum onera montis minuuntur, donec ad justam taxam devenietur, nec tamen ex lucro præcisè, sed ex dictis causis. Hæ autem causæ cessant, neque locum habent in Lombardis, uti per se patet. Quare habere debent alios titulos lucrandi, puta lucri cessantis & alios prædictos, ne ex lucro præcisè ditescant, & usuram committant.

Qua propter non sunt continuò condemnandi Lombardi illi, qui authoritate superiori in commodum indigentium pecunias suas, aliàs negotiationi destinatas, mutuant sub dato pignore, si moderatam solùm exigant pensionem, prout merentur tituli supradicti: quantum autem mereantur ejusmodi tituli, prudentis arbitri est disjudicare, ut ante est annotatum.

SECTIO VIII.

De Cambio & Censibus.

Dicendum primò, *Cambium* nihil est aliud, quàm permutatio pecuniã cum pecunia. Aliud est *reale*, quando revera permutatur pecunia pro pecunia, v. g. aurea cum argentea, præsens cum absenti. Aliud est cambium *siccum*, quo pecunia datur pro pecunia absque ulla alteratione rei vel circumstantiarum, & est *Quid Cambium reale siccum minutum, &c.*

propriè mutuum; & si aliquid accipiatur ultra sortem, erit & usura. Hujusmodi cambia damnavit jam dudum Pius IV. constituit 1. *ad Cherubinos.*

Aliud insuper cambium dicitur minutum, mixtum & locale. Cambium *minutum* est permutatio numismatum diversæ rationis & speciei, v. g. permutatio aureorum cum argenteis vel cupreis, vel è contra. Item pecuniæ Belgicæ cum Italica, &c.

Minutum

Locale.

Cambium *locale* est, quando permutatur præsens pecunia cum aliâ, reddenda in alio loco distanti. v. g. si quis pecuniam det campsoni Antverpiæ, ut aliam recipiat Romæ.

Mixtum.

Cambium *mixtum* est, quando pecunia cum aliâ permutatur, & præsens recipitur vel datur, ut in loco dissito ab alio recipiatur vel detur.

Campsori an liceat aliquid recipere ultra sortem.

Dicendum 2. Campsor licitè aliquid ultra sortem numeratam recipere potest ex cambio locali aut mixto, ratione industriæ, laboris, periculi, quibus pecuniam procurat in loco distanti: item etiam ratione officii, si sit campsor publicus; tenetur enim pecunias cujusvis speciei conservare, & habere paratas ad mutuandum. Denique aliquando concurrere potest damnum emergens aut lucrum cessans.

Idem dici potest ratione periculi, laboris & industriæ, in cambio minuto; uti etiam pro curâ, quâ debet pecunias cujusvis generis habere paratas.

Peccata campsorum.

Dicendum 3. Peccat campsor, si lucrum excessivum, quàm legibus sit taxatum, vel communi mercatorum æstimatione, ratione cambii requirat aut recipiat: si monetam adulterinam in cambio supponat, si monopolia cum aliis campsoribus ineat, ut pretium pecuniæ augeatur, cum detrimento campsariorum: Denique si committat cambium *siccum*, id est usuram palliatam. Ex dictis sequitur, posse decrescere & cresscere pretium pecuniæ in cambio, uti indies videmus fieri stylo bursæ, ut pro raritate pecuniæ, mercium, mercatorum, locorum, periculi, cambiorum lucra augeantur vel diminuantur. Nec refert quòd cujusque

Acretio pretii.

jusque monetæ pretium à republica sit taxatum, cum non sit taxatum ad omnem usum, quem nummi habere possunt: sed solùm ut nummi sunt mensura vendibilium.

Dicendum 4. *Census*, est jus percipiendi annuam pensionem ex re aliena utili vel persona alterius. Alius est *pecuniarius*, quando solvitur pecuniâ: alius est *fructuarius*, quando fit in rebus, quæ pecunia non sunt, v. g. in avenâ, tritico, caponibus, &c. Alius quoque dicitur certus, alius incertus. *Certus* est, quando certa aliqua & determinata pensio solvitur: *incertus* autem quando incerta & indeterminata pensio debet solvi, v. g. tertia aut quarta pars fructuum, qui aliquando sunt plures aliquando pauciores, juxta fertilitatem aut sterilitatem. Alius insuper est census *temporalis*, qui ad certum tempus solùm durat, alius est *perpetuus*, qui semper durat. Alius denique est redimibilis, alius irredimibilis. *Redimibilis* est, qui etsi naturâ suâ sit perpetuus, tamen redimi potest. *Irredimibilis* est, qui est perpetuus, neque redimi potest. *Census quid & quotuplex*

Dicendum 5. Census quicumque, certis conditionibus vestiti, de quibus infra, sunt liciti. Neque emitur pecunia per pecuniam, sed jus ad eandem annuè percipiendam, neque reditus constituitur super pecuniam, sed per pecuniam constituitur super rem aut personam, non nudè secundum se, sed ut sunt fructifera. Unde. *An census sint liciti.*

Dicendum 6. Ut census sint liciti requiritur, ut res aut in se, aut in aliquo conjuncto sit fructifera: ne pensio excedat spem fructuum: ne re in totum aut pro parte pereunte, pensio tota exigatur: ne pensio vel census minus justo emantur, quo pacto divites sæpè pauperes opprimunt, qui ob egestatem census suos pro nihilo aliquando debent divendere. Hoc tamen addo, quòd diversas conditiones ad legitimos census addant diversæ leges, diversorum regnorum, unde quæ dicta sunt de censibus & cambiis generalia sunt & juxta jus naturæ. *Conditiones ut census sint liciti.*

SECTIO IX.

De Testamentis & Legatis.

Quid sit testamentum. DICENDUM primò, *Testamentum* nihil est aliud, quàm dispositio voluntatis de eo, quod quis post mortem fieri vult. Differt propriè à *Codicillo* quòd per hoc testamentum soleat explicari, immutari, &c. Jure antiquo requirebantur 7. testes masculi, puberes & rogati: modo sufficiunt duo testes, præcipuè si testamentum sit ad pias causas: Imò in talibus testamentis juxta multorum opinionem nedum duo testes sunt requisiti, sed satis hîc esse, quòd de jure naturali hîc est sufficiens, scilicet potestas & libertas in testante, & capacitas in instituto hærede. Quæ dicta intelligenda sunt de foro conscientiæ, aliàs *Testes requisiti.* jus externum etiam Canonicum requirit 2. testes, non quidem ut testamentum valeat in foro conscientiæ, sed ut probari possit in foro externo. Imò testamentum factum ad causas non pias, etiamsi solemnitatibus de jure requisitis careat: probabilius tenet, cum juxta omnes Doctores & Canonistas tale testamentum pariat obligationem naturalem, idest obli- *Ad quid solemnitas testamentorum* gationem in conscientia. Solùm enim a jure inducta est solemnitas testamentorum, ut possit ultima voluntas testatoris in foro externo probari, ut voluntati ejusdem certius satisfieri posset, & fraudibus hominum hoc pacto securius obsisteret. Hinc etiam talibus testamentis solemnitatibus debitis destitutis, denegant jura actionem, ne multiplicarentur aliàs lites, ad excludendas machinationes, quibus homines conati fuissent intervertere alterius ultimam voluntatem. Hoc tamen notari potest, in his partibus edictis Principum sufficere Parochi vel Notarii, & duorum testium, & testatoris subscriptione probari testamentum, aut Parochi loco aliorum 2. Testium.

Dicen-

Dicendum 2. Testari possunt omnes ii, qui habent Dominium bonorum, neque juris dispositione prohibentur. Hinc testari non possunt, qui ratione carent, impuberes, Filius Familias de bonis, quorum non habet Dominium proprietatis; in nostris tamen partibus testari possunt de omnibus illis, quorum habent Dominium proprietatis, licèt Pater habeat usum fructum. Item testari non possunt ii, qui commiserunt aliquod crimen, cui de jure annexa est testandi inhabilitas, quales sunt, qui insecuti sunt hostiliter Cardinales, eorum fautores, damnati ob libellum famosum: damnati ad mortem per consuetudinem testari possunt, si eorum bona non confiscentur, quod communiter fieri solet in nostris partibus, dum pœnâ capitis debent plecti. *Qui possint testari*

Religiosi etiam ad Episcopatum promoti, non possunt testari nisi ex dispensatione Pontificis, idque solùm ad causas pias. Beneficiati verò sæculares Clerici, testari possunt de bonis suis patrimonialibus, & de aliis, quæ suo labore conquisierunt, uti & de iis, quæ congruæ sustentationi substraxerunt. De iis verò, quæ honestæ sustentationi supersunt, ex consuetudine testari possunt, sed solùm ad pias causas: unde peccant mortaliter beneficiarii omnes Ecclesiastici, si de dictis bonis disponant testamento ad causas prophanas, relinquendo ea consanguineis divitibus, vel sinendo eos ab intestato succedere. Si enim mortaliter peccent, ejusmodi bona dando in usus prophanos, quid ni & mortaliter delinquent eadem per testamentum relinquendo in similes usus? adde, quòd vel illorum bonorum non sint Domini, vel si tales supponantur, tamen Domini sunt cum onere eadem elargiendi ad pias causas: unde & hoc passim à piis observari videmus: *qua in re*, ait Lessius in suo opere posthumo V. *testamentum*, casu 8. num. 21. *Doctores Lovanienses dant aliis bonum exemplum: qui etsi pleraque sua bona labore & industriâ suâ comparaverint, tamen quia simul aliquod beneficium* *Episcopi Religiosi, Clerici, &c.*

neficium Ecclesiasticum habuerunt, fere omnia relinquunt ad pias causas pro salute animæ suæ & bono Ecclesiæ: & parum relinquunt suis consanguineis, etsi tenuibus.

Secundum autem sententiam, quæ tenet beneficiatos illos non esse Dominos fructuum debitæ sustentationi super excedentium, dispositio de illis facta ad causas non pias, erit invalida; aliàs erit quidem valida, etsi, ut dixi, illicita.

Qui possint institui hæredes. Dicendum 3. De jure non possunt institui hæredes, qui sunt hæretici, eis credunt, apostatæ, qui ob crimen est intestabilis activè, etiam est talis passivè: Fratres Minores de observantia, Cappucini, Professi in Societate, neque illorum communitas: bene tàmen domus professa Societatis: uti etiam potest in eorum favorem hæreditas relinqui, ut per executores testamenti, testatoris bona vendantur, & illis detur eorumdem pretium. Idem est de spuriis, qui à patre non possunt institui hæredes, neque à matre, nisi per subsequens Matrimonium, aut indultum Principis legitimentur. Potest tamen illis relinqui portio, quæ necessaria est debitæ eorum alimentationi.

Exhæredatio puerorum. Dicendum 4. Olim necesse fuit liberos instituere hæredes, aut nominatim exhæredare, expressâ causâ exhæredationis, hodie verò satis est, illos præterire, sic tamen ut iis detur querela inofficiosi testamenti facti, & ad habendam suam legitimam, idest tertiam partem bonorum si sint 4. pueri, aut pauciores, vel semi, si sint plures.

Qui possint conficere testamenta. Dicendum 5. Testamentum conficere possunt, omnes qui testari possunt: Consulendum tamen est, ut notarii periti ad confectionem illius vocentur; ut etiam, ne Parochi vel vice-Parochi, facile se illi negotio ingerant, cum experientiâ teste, maxima pars litium ratione testamenti provenientium, inde nascatur, quòd notarii aut Parochi minus periti, terminos necessarios non adjungant, dubios ingerant, neque mentem testatoris satis exponant.

Dicen-

Dicendum 6. Si quis Hæreticus faciat hæredi testamentum eâ conditione, ut dentur ipsi 1000. Floreni si nubat, si verò Religionem ingrediatur, aut in fide Catholicâ educetur, solùm vult solvi 100. si hæres ille, habeat jus succedendi, illa conditio habetur pro non adjecta, utpote quæ in odium Religionis & fidei est adjecta. *Testamentum cum conditione turpi.*

Dicendum 7. Executor testamenti potest esse masculus & fœmina, Laïcus & Clericus, etiam Religiosi, sed de sui superioris licentiâ, & quidem Generalis, si sit societatis, Minores autem nullo modo possunt. Si verò nullus executor à testatore sit positus, executio spectat ad hæredes. Tenetur autem statim post hæreditatem aditam, exequi testamentum, idque intra annum, nisi justo impedimento excusetur. Legata verò pia exequi debet intra 6. menses, etiamsi hæreditas non sit adita. Unde si in eo sint negligentes, ab utroque judice civili & Ecclesiastico possunt compelli. Tenetur verò executor testamenti, omnia sincerè exequi juxta mentem testatoris; neque illis debetur salarium, cum sit officium gratuitæ amicitiæ, nisi fortè ex executione damnum sentiant. Quòd si rogatus testamentum exequi renuat, privatur legato, quod subinde executori testamenti relictum est, & datur alteri executori. *Executor testamenti*

SECTIO X.

De Negotiatione & contractu Societatis, ludo & sponsione.

Dicendum primò *Negotiatio* est, cum quis rem aliquam sibi comparat eo animo, ut eandem non mutatam vendat & inde lucretur. Licitam esse negotiationem satis constat, etsi res sit periculis plena: unde Eccli. 26. dicitur: *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt; difficile exuitur negotians à* *Quid sit negotiatio* *An sit licita.*

negligentiâ (salutis procurandæ) *& non justificabitur caupo à peccatis.* Hinc etiam Clericis negotiatio est interdicta, qui ne quidem per alios negotiari licitè possunt, cùm sit eadem ratio prohibitionis, ne lucris inhiando incidant in laqueum diaboli & desideria multa inutila & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem, ut ait Apost. 1. Thim. 6.

Clericis interdicta.

Quid contractus societatis.

Dicendum 2. *Contractus societatis* est conventio duorum vel plurium, ad conferendum aliquid in communem quæstum. Unde singuli debent in commune aliquid conferre, sive pecuniam, sive laborem & industriam &c. Deinde debet illud conferri in unum, eo animo, ut sit unusquisque partialiter Dominus sortis in unum collatæ. Et lucrum ex sorte consecutum sit commune omnibus. Denique debet fieri divisio lucri, juxta illud, quod quisque contulit, quæ proportio desumi potest ex æstimatione prudenti laboris, pecuniæ & aliorum, quæ quis contulit.

Quid ludus.

An licitus.

Dicendum 3. *Ludus* est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. Quidem verò ludi jure civili prohibentur etiam laïcis, scilicet ii, qui fortunâ magis, quàm industriâ & arte reguntur, uti est lusus alearum, eo quòd ex simili ludo sæpè soleant oriri iræ & blasphemiæ, lites & pugnæ, quod per illos substantia domestica sæpè soleat exhauriri, & deinde diverti ad furta & latrocinia. Idem majori jure prohibitum est jure Canonico Clericis, uti statuit Synodus Trid. sess. 22. c. 1. reform. neque tamen illis prohibitum est aliquando recreationis causâ aleis aut chartis ludere, sed solùm ne ludendi faciant professionem.

Conditio justi ludi.

Variæ tamen sunt conditiones requisitæ ad debitum lusum. 1. ut sit res illius, qui eam deponit. 2. Ne alium per fraudem ad ludendum pertrahat, fingens se esse lusus ignarum, ubi longè peritior est alio. 3. Ut absint fraudes contra leges ludi, exceptis illis, quæ communi consensu partium censentur sibi condonari. Quòd si quis fraudibus, aut injuriâ vicerit, tenetur lucrum resti-

restituere: non tamen si ludo vetito sit lucratus, quia etsi jura certum ludum vetent, non tamen irritant, aut annullant.

Dicendum 4. *Sponsio* est, quando duo de eventu aliquo, aut veritate alicujus certant & contendunt, aliquid deponentes, ut sit illius, qui veritatem est assecutus. Debet autem sponsio esse de re utrique dubia, nisi alius certitudinem alterius, quam obtendit, condonet: deinde, ut eodem modo accipiatur res, de qua fit sponsio. Spondere possunt ii, qui possunt de re aliquâ, quam deponunt, liberè disponere. *Quid Sponsio.*

SECTIO XI.

De assecuratione, fidei jussione, pignore & Hypotheca.

Dicendum primò, *Assecuratio* est contractus, quo quis rem alterius in suam custodiam suscipit, obligando se ad eam conservandam, idque gratis, vel certo pretio, si perierit. Debet autem assecurator esse incertus de eventu aut periculo, aliàs iniquè lucrum ex assecuratione reciperet: idem rectius docent, si certus sit privatâ notitiâ de eventu rei. Sic etiam, qui scit rem suam certò periisse, non potest pacisci cum alio de assecuratione. Ratio est, quòd obligationem quam petit, novit esse impossibilem, cum assecuratio supponat rem adhuc subjacere periculo, cui non amplius subjacet, cum sit in salvo in casu priori, vel perierit in posteriori. Hoc tamen in hoc contractu notandum est, ne plus in assecuratione recipiatur, quàm periculi & laborum quantitas prudenter æstimetur. *Quid assecuratio.* *Quid requiratur ad rectam assecurationem.*

Dicendum 2. *Fideijussio*, est contractus quo aliquis alienam obligationem in se suscipit, debitore principali non solvente. Jure civili perficitur contractus ille verbis, jure Canonico autem sufficit consensus internus etiam alio modo expressus hoc tamen notandum est, quòd fidei jussor non possit plus obligari, quàm ipse *Quid fidei-jussio:*

ipse principalis, adeo ut, si contractus aut obligatio principalis sit invalida, etiam fidei jussio erit invalida. Possunt autem fidejubere omnes ii, qui possunt principaliter obligari, nisi per legem aliquam ipsis sit prohibitum. Hinc illicita est fidei-jussio uxoris pro marito, si fide-jubeat absque instrumento publico, vel per instrumentum absque 3. Testibus : Sic etiam minores non possunt fide jubere, nisi pro Patre incarcerato; si verò pro alio fidejubeant, obligabuntur quidem naturaliter, sed beneficio restitutionis in integrum, possunt fideijussionem revocare. Episcopi & Clerici possunt fidejubere in damnum proprium, sed non in præjudicium Ecclesiæ : Religiosus verò non potest fidejubere sine licentiâ superioris, & majoris partis capituli : fidei-jussioni aliàs factæ, Conventus non tenetur, nisi cedat in ipsius utilitatem.

Qui possint fidejubere.

Potest autem pro fidejussione aliquid exigi, cum sit pretio æstimabile, alienam obligationem in se suscipere. Quòd si debitor suâ culpâ non solvit, tenetur fideijussori qui pro eo solvit, ad compensationem debiti soluti, & damnorum & expensarum : Si verò sine suâ culpâ non sit solvendo, videtur solùm obligari ad compensandum debitum à fidejussore solutum.

Quid pignus.

Dicendum 3. *Pignus* est contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam mobilem, aut immobilem, ut sit pro debito obligata, & ex ea solutio peti possit, differt verò ab *hypotheca*, quòd hæc propriè sit rei immobilis, illud verò rei mobilis : in jure tamen illa duo passim æquivalent. Cum verò pignus aut hypotheca sit res alterius, non licet eâ uti contra Domini voluntatem, cum hypotheca solùm detur ad securitatem, non verò ad usum : quòd si eâdem utatur, debet usum illius computare in sortem deductis expensis. Si autem quis pignus accepit, potest illud iterato oppignorare, sed non pro majori quantitate : Licitum quoque est eandem rem pluribus oppignorare, si sit sufficiens ad pluribus solvendum.

Quid hypotheca.

Oppignorari non possunt, nisi quæ possunt vendi,

v. g.

v. g. non possunt oppignorari Ecclesiæ, cœmeteria, sepulchra, jus patronatus, & hoc ideo, quòd similia non sint res, quibus debitum pecuniarium possit compensari. Res tamen Ecclesiæ pretiosæ, v. g. calices, casulæ, &c. Non possunt oppignorari, nisi in necessitate, in qua & possunt vendi. Peccant tamen graviter Superiores Ecclesiastici, qui res sacras sine sufficienti necessitate oppignorant, si neque ad hoc urgeat ratio boni communis, sed aliquando proprium interesse.

Quænam oppignorari possint.

CAPUT SEPTIMUM.

De Judiciis.

SECTIO PRIMA.

De Judicio temerario, an & quale sit peccatum.

Quid judicium temerarium.

DICENDUM primò, *Judicium temerarium* est illud, quod de alterius malo ex levibus fundamentis & rationibus concipitur, aliàs si ad illud concipiendum rationes sufficientes suppetant, non erit temerarium, sed rationabile judicium.

Quale peccatum sit.

Judicium illud temerarium cum advertentiâ saltem interpretativâ de gravi malo proximi, est peccatum mortale. Patet hoc ex sententiâ Salvatoris, Math. 7. & Lucæ 6. qua judicio temerario intermi-nat condemnationem & judicium, dum ait: *Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare & non condemnabimini.* Imò Jacobi c. 4. apertè dicitur, *qui judicat fratrem, detrahit legi*: Ratio hujus est, quòd gravis injuria irrogetur proximo, dum sine causâ habetur improbus: adeoque homines ægerrimè ferunt

runt, dum noscunt de se falsam haberi suspicionem de crimine. Adde, quòd judicium illud, soleant sequi graviora mala: extinguit alterius bonam famam, contemptum proximi causat, & quodammodo judicium Dei usurpatur, cujus solius est probare renes & corda, & cui proximus stat aut cadit, ut ait Jacobus c. 4.

Suspicio de proximi malo. Dicendum 2. Dubitatio aut suspicio infundata de gravi malo proximi est peccatum mortale, idque perinde est, sive suspicio illa nascatur ex errore intellectus, sive ex pravo affectu voluntatis. Ratio est, quòd utrobique gravis injuria irrogetur proximo: si enim ex errore intellectus judicium illud procedat, in eo culpabile est, quòd rationes insufficientes non rectè perpendat, & ex eo judicium temerarium ferat. Neque dici potest, S. August. tract. 90. in Joan. dicere, quòd ejusmodi judicia pertineant ad tentationem humanam, cum solùm agat de suspicionibus planè indeliberatis, quæ menti nostræ assiduè ingeruntur, prout alii motus primo primi, unde addit: *De rebus ipsis rectè sentiendum esse, & amandum quod amandum est, & detestandum, quod detandum est*, Hujusmodi indeliberatis motibus neglectis & sepositis. Idem dicendum est de dubitatione circa malum alterius, cum injuriosum sit, absque causâ judicare alicujus probitatem esse ambiguam, nec posse prudenter judicari aliquem esse probum.

Hoc tamen notandum est, si suspicio illa non sit firma, sed fluctuans, non esse condemnandam peccati mortalis, ut dum rogatus dicit, se non habere pro certâ rem, de qua suspicatur: aliàs, si rogatus dicat, se rem illam habere pro certâ, erit peccatum grave, si malum, quod suspicatur sit grave.

An dubia debeant interpretari in partem meliorem. Dicendum 3. Si utrimque sit æquale dubium de bonitate aut malitiâ alterius, debent iis dubia interpretari in partem meliorem, cum ut ait D. Thomas melius sit in dubio frequenter falli, bene de alio opinando, quàm semel malè opinando decipi. Aperiè id

id docet S. Aug. de Serm. Domini in monte l. 2. c. 18. ad illa: *Nolite judicare: hoc loco* ait, *Nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* & S. Bern. Serm. 40. in cant. *Etiamsi*, ait, *perperam quid factum deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excuso. Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum &c.*

Dicendum 4. Dum tamen agitur de vitando damno, aut adhibendo remedio, dubia sæpe sunt in deteriorem partem interpretanda. Sic dum quis hospitem ignotum domi recipit, rectè cavemus rebus nostris, ac si dubia foret ejus probitas, non tamen illum æstimando esse furem aut improbum. Sic etiam, aliquando superiores quædam dubia recipiunt in partem pejorem, & eatenus injungendo pœnitentias sese exterius gerunt, in ordine ad adhibendum remedium, ut imposterum ab omni mali specie abstineant, etsi in hoc subinde peccent quòd hoc pacto subditos exasperent, eos suspectos aliis reddant, & aliquando efficiunt tales, quales eos æstimare videntur.

SECTIO II.

Quænam requirantur ad debitum judicium.

Dicendum primò, Ad debitum judicium requiritur jurisdictio Judicis in Judice respectu ejus cui judicium fert: Hinc peccant graviter, qui sibi non subjectos judicant aut etiam exemptos, v. g. sæcularis Clericum, vel Laïcum ad Ecclesiam, ut ad asylum confugientem, unde vi vel fraude extrahitur, dum usurpant alienum judicium, cui proindè gravis censetur injuria irrogari. *Requisita ad judicium.*

Dicendum 2. Requiritur quoque in judice debita scientia legum, quibus in judicando debeat se conforma-

formare, aliàs exponit se periculo proximo iniquè judicandi, & alteri parti injuriam irrogandi. Hinc si talis confessario se sistat, vel officii depositionem injungat Confessarius, vel ut se sedulò aptiorem officio suo reddat, adhortetur. Deinde, si talis suâ imperitiâ parti Innocenti litem adjudicat, aut alio quovis modo injuriosam alteri sententiam ferat, tenetur alteri ad restitutionem, si suâ admonitione alium viâ appellationis integrum & indemnem reddere nequeat.

Obligatio judicum. Dicendum 3. tenetur Judex in conscientiâ causas criminales expedire, & litem absolvere, quàm citò potest, cum ex dilatione culpabili, soleant à partibus graves & inutiles expensæ extorqueri.

Officia judicum. Dicendum 4. Potest judex adversus crimina procedere, viâ *Inquisitionis, denuntiationis, & accusationis. Viâ accusationis*, Si actor spondeat se crimen, cujus alium accusat, probaturum. *Viâ denuntiationis*, Quando aliquis crimen detulit, qui non vult suscipere in se onus probandi. *Viâ inquisitionis*, Dum judex ratione officii sui, inquirit an bene se gerant sibi subditi, vel quisnam fuerit author criminis commissi. Inquisitio autem illa, alia est generalis, alia specialis, alia mixta. *Generalis* est, dum judex in genere inquirit, num communitas sibi subjecta, bene se gerat. *Specialis* dum de certâ personâ, aut de certo crimine inquiritur. *Mixta*, Quando vel solum crimen est speciale, vel sola persona: v. g. quis homicidium fecerit, an Petrus servet Leges Reipublicæ. Hinc

Quotuplex sit inquisitio

Dicendum 5. ut judex legitimè procedat viâ inquisitionis specialis, prærequiritur quædam de crimine infamia, si sit inquisitio tendens ad punitionem: secus si sit ad malum aliquod impediendum, v. g. quando agitur de conferendo beneficio, officio, &c. Quo casu licitum est inquirere, an nulla subsint conferendi impedimenta, etsi nullus de iis rumor antecesserit. Ratio autem prioris est, quòd judex de-

debeat procedere ad punitionem criminum ex scientiâ publicâ, quæ solùm habetur vel per accusationem, vel confessionem rei in judicio, vel per infamiam aut facti evidentiam: aliàs quisque de injuriâ posset conqueri, dum fama ejus sine causâ haberetur per inquisitionem suspecta. Infamia verò hîc requisita, prudenti æstimatione censenda est, ut si per majorem partem communitatis sit sparsus rumor; unde hîc non sufficiunt 2. aut 3. testes, quia adhuc res posset esse occulta; sed requiritur plurimorum, & quidem probatorum virorum testimonium.

Excipitur tamen à dicto casu, si reus in judicio etiam coram paucis crimen sit fassus, vel crimen alicujus per inquisitionem generalem sit apertum, in casu hæresis & Apostasiæ, in crimine læsæ Majestatis, dum quæritur de morte Domini contra servos & homicidium est occultum; Imo & ex denunciatione publici officialis dumtaxat, procedi potest ad inquisitionem specialem, quem usum probant diversorum regnorum consuetudines, & necessarium est publicæ tranquillitati. Unde quando passim docent DD. quòd absque infamiâ prævià procedere non liceat ad inquisitionem specialem, vel intelligi debet quando inquisitio solùm intenditur in ordine ad punitionem, vel nisi inquisitio illa aliàs sit necessaria ad bonum commune. *Exceptio à dicta regula.*

SECTIO III.

Quomodo possit judex reum subjicere torturæ,

Dicendum primò, Non potest judex subjicere reum torturæ, nisi adsit semiplena probatio, & sit homo qui torturæ subjici possit. Censetur verò adesse semiplena probatio, quando unus testis, omni exceptione major testatur se vidisse crimen committi. Ratio hujus est, quòd tortura sit solùm intro- *Quid requiratur ad reum subjiciendum torturæ.*

introducta in subsidium probationis, ut confessio rei suppleat, quod probationi perfectæ deest. Nec refert, quòd fieri quandoque possit, quòd innocentes aliquando torturæ subjiciantur, cum in rebus humanis non possint omnia incommoda vitari, nec ideo tortura damnanda sit: uti fieri potest, quòd innocens damnetur, neque ideo relinquenda est justitia. Quamvis hoc quoque notandum est, quòd tortura adhiberi non possit, nisi quando agitur de criminibus, quæ merentur plecti & puniri pœnâ graviori, ut mortis vel perpetui exilii, aliàs non potest per torturam infligi pœna, quæ sit major quàm pœna correspondens crimini, cujus confessio per torturam extorquetur.

Quinam torturæ subjici non possunt.

Dixi, *Et sit homo, qui torturæ subjici possit*: Varii enim sunt qui torqueri non possunt, ut sunt viri illustres, eorumque filii, Doctores, milites, mulier quæ sit gravida, necdum à partu satis robusta, &c.

Alia, quæ supplent semiplenam probationem.

Dicendum 2. Ad subjiciendum reum torturæ, non requiritur aliquando semiplena probatio, si scilicèt sit fama publica de authore criminis, vel si reus extra judicium crimen Confessus esset, vel coram judice non competenti, item quando 2. vel 3. socii criminis, illud alteri affingunt & asserunt: deinde, si quis crimine commisso fugiat, vel si habeat graves inimicitias adversus alium, & insuper ante alteri minatus esset: vel denique judicia talia, quæ prudenti æstimatione persuadent, eum crimen commisisse: quale judicium nondum est, si occisus coram aliquo emittat sanguinem ex vulnere inflicto, cum aliquando id fieri possit ex causâ naturali, imò aliquando arte & astutiâ Diaboli. Idem dic de probatione per aquas, quando fæminæ magiæ suspectæ certo modo immerguntur, si demergantur, absolvuntur, si supernatent, judicantur reæ, quod aliquando quoque ope dæmonis fieri posse certum est.

Potest reus sæpè torqueri.

Dicendum 3. Potest reus sæpe torturæ subjici, si con-

confessus est, postridie revocet; si verò tertiò torturam sustinuerit, non potest ampliùs torqueri, cùm hoc casu præsumi debeat innocens, & solo torturæ metu forsan crimen esse confessum.

Iudex tenetur legibus se conformare.

Dicendum 4. Judex tenetur in conscientia, seposito omni affectu judicare juxta leges; unde pœnam minuere vel augere nequit, nisi aliquando per epykiam judicare possit, id expedire ad bonum commune. Ob hanc rationem rectè statutum est, ne quis posset esse judex in eâdem causâ in qua est advocatus, cùm facilè judicium ferret pro parte, cui patrocinatur. Si verò sententiæ hinc inde stent probabiles, non potest sequi minus probabilem, sed sequi debet probabiliorem: Ratio est, quia judex ex officio litem v. g. illi abjucare debet, qui juxta allegata & probata videtur sibi magis nocens: aliàs esset acceptor personarum. Unde meritò à Sanctissimo P. Innocentio XI. damnata est nuper hæc sententia: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Neque hic distinguendum est, sitne judex superior, aut inferior, eò quòd inferior possit juxta minus probabilem opinionem procedere, aut quòd ad superius tribunal reus possit appellare: perperam inquam, eò quòd judex inferior eodem onere judicandi ex officio sit obligatus, ac superior, quod judicium ferre debeat juxta opinionem, quæ sibi videtur potior & rationi magis consona.

Nemo potest esse judex & Advocatus in eadem causa.

Iudex debet judicare juxta opinionem, quæ sibi videtur probabilior.

Quid debet in causa utrimque æquali.

Quòd, si hinc inde stent rationes pro utraque parte æquè plausibiles, non poterit pro suo libitu totum alteri adjudicare, cum cuilibet habeat jus ad rem æquale: unde vel partes hortari debet ad compositionem, vel aliquando eam injungere, vel rem divisionem patientem ex æquo dividat, & procedat juxta axioma juris: *Si partium jura sint obscura, potius favendum est reo, quàm actori.*

Quid aget de reo probato ne-

Dicendum 5. Non potest judex ad mortem condemnare eum, qui juxta formam juris probatus est

ente. quē privatim noſcit eſſe innocentem.

reus, quem tamen privatâ ſcientiâ noſcit eſſe innocentem. Contrarium eſt D. Thomæ, cujus ſalvâ authoritate, verior probatur dicta opinio: primo quidem, quòd generaliter ſit dictum Exodi 23. *Inſontem & juſtum non occides, quia averſor impium.* Et licet reus ille per teſtes probetur nocens, tamen illa probatio nihil obeſſe poteſt ejus innocentiæ. Deindè, occidere directè & ex propoſito innocentem eſt intrinſecè malum, uti & concumbere cum alienâ, quacum non licet concumbere, etſi millies probaretur eſſe tuam, ſi tu ſolùm noſcas eſſe alienam. Unde debet judex ille omnibus modis conari eum liberare, aperiendo carcerem, impediendo accuſationem, ſententiam extrahendo, &c. Quæ ſi nequeat exequi cum effectu liberationis, non poteſt talem morti adjudicare, etſi foret periculum officii perdendi. Excipiunt tamen hîc aliqui, quando ſolùm agitur de pœnâ pecuniariâ, quo caſu ſi falſam probationem impedire nequeat, poſſet ſecundùm probata procedere, etſi ſciret eum eſſe innocentem: Ratio eſt, quòd reſpublica poſſit ob bonum commune diſponere de bonis fortunæ ſubditorum, ea de uno transferendo in alium, quale bonum hîc eſſe poteſt, puta ne forma judicii cum populi ſcandalo pervertatur; cui adde, quòd viâ appellationis ejuſmodi bona repeti poſſint, ſecus eſt de vitâ.

Dicendum 6. E contra non poteſt condemnare eum, quem etſi privatâ ſcientiâ ſciat eſſe nocentem, tamen formâ juris probatus eſt innocens: Ratio eſt, quòd judex judicare debet ut perſona publica, ideoque procedere juxta ſcientiam publicam, habitam ex allegatis & probatis. Neque illa ratio quidquam obſtat concluſioni 5. jam dictæ, quaſi judex ille falſam accuſationem & probationem innocentis deberet ſequi, dum certò ſcit eum eſſe innocentem: cum poſſit ſequi, imò debeat ſcientiam publicam in abſolvendo, etſi non in condemnando, ne id, quòd pro juſtitia introductum eſt, cedat in injuriam.

Dicen-

Dicendum 7. Præcipuè in judice requiritur cum scientia, fortitudo & Constantia: *fortitudo*, ut fortiter sciat malefactoribus resistere: hinc dicit scriptura Eccli. 7. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*: *constantia*, ne se sinat unà cum justitia muneribus aut inordinato affectu corrumpi, unde & jure positivo munera judicibus dari est interdictum, ob periculum judicii pervertendi. *In judice requisita.*

SECTIO IV.

De Accusatore, & testibus in judicio adhibendis.

DICENDUM primò, In accusatore requiritur ante omnia veritas, ne alterum deferat aut accuset de falso crimine: aut etiam de tali, quod sufficienter probare nequit. Deinde requiritur constantia, ne sine causa ab accusatione desistat, quam jam inchoavit, qualis causa esse potest, si incipiat novisse se errasse, aut dubitare incipiat, aut si videat se crimen non posse probare. *Accusatio debet esse vera.*

Dicendum 2. Accusare non possunt, proditores, excommunicati, infames, filii, servi, suos Dominos aut parentes, Clerici in causa sanguinis, &c. Alii accusare possunt, non tamen debent, si sint privatæ personæ, nam aliqui accusare tenentur ex officio, ut fiscalis, & alii ad id conducti. Excipe tamen, si ad hoc accusatio sit necessaria, ut bono communi consulatur, vel innocentiæ alterius, tenetur eo casu privatus ad accusationem. *Qui accusare non possint.*

Dicendum 3. Ad plenam in judicio probationem requiruntur 2. testes idonei, quorum capacitatem hi versiculi insinuant: *Capacitas testium.*

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus illa requires.

Hinc à testando in jure Canonico in causa criminali repellitur mulier ob fragilitatem sexus, & in- *Incapaces testes.*

 genii

genii mutabilitatem. Deinde minor 20. annis, servi, inimici, infames, sanguine juncti & domestici, nisi ad reum defendendum: perjuri, socii criminis, personæ viles & inopes, de quibus suspicio esse potest, quòd pecuniâ possent corrumpi; semifatui & deliri, &c.

Obligatio testandi. Dicendum 4. Tenetur quis idoneus testari, ex charitate quidem si hoc exigat alterius innocentia, quam facile probare quis posset: ex obedientia verò, dum princeps id præcipit, etiam in causa criminali, quo casu & Princeps præcipere posset, ut secum judicet & reum condemnet. Sic in Anglia mos est, ut cum alterius nationis reum condemnant, ejusdem nationis quendam rogent & angarient, ut ipsi cum judice juxta conscientiæ dictamen judicium ferant, propositâ & ostensâ priùs criminis probatione, & legibus tali crimini constitutis. Unde, si quis ad testandum citetur, tenetur comparere, nec potest se occultare, cùm ad minimum peccet contra obedientiam, & aliquando id exigere posset ratio boni communis.

Casus, quibus testari non teneris. Dicendum 5. Variis quoque casibus testari non teneris, etsi legitimè etiam de crimine rogeris: primò, si illud noveris ex sola confessione, sub secreto naturali, si non possis, nisi cum ingenti damno tuo vel tuorum testari, si crimen à viris fide non satis dignis percepisti, si crimen per injuriam accepisti, v.g. litteras aperiendo, cogendo aliquem ad revelationem. Imò aliquando peccat testis, testando & affirmando id, quod ignorat, si pretium pro testando aut non testando recipiat, si scienter testetur falsum, quo casu tenetur ad restitutionem damnorum alteri ex sua injuriosa accusatione provenientium, quorum est causa efficax, vel saltem impedire, ne talia damna alteri obveniant. Aliud esset si inadvertenter aut ignoranter falsum testatus esset, aut testimonium ejus nihil effecisset, quo casu non fuisset causa efficax illorum damnorum.

SECTIO

SECTIO V.

De Reo & Advocato.

DICENDUM primò, Tenetur reus legitimè interrogatus, candidè & sincerè profiteri veritatem, cùm quivis teneatur obedire superiori legitimè præcipienti, & superior jus habet ad veritatem eliciendam, cui juri reus detrectans resistere aliàs censetur. Imò si reo deferatur juramentum, tenetur sincerè & candidè jurare ad mentem judicis; nec potest uti Amphibologiis & mentalibus restrictionibus, quæ nihil sunt aliud, quàm mendacia, quod etsi à multis licitum doceatur, jam tamen ut scandalosum condemnavit Sanctissimus Pater Innocentius XI. in hâc sequenti propositione: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* *Reus legitimè rogatus debet candidè profiteri de quo rogatur.*

Dicendum 2. Si reus rogetur vel à judice non competenti, vel contra ordinem & formam juris, non tenetur veritatem edicere, aut jurare de calumnia, idest, se dicturum esse veritatem. Rationem dat D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. ubi ait: *Non tenetur aliquis omnem veritatem fateri, sed illam solùm, quam ab eo potest, & debet requirere judex secundùm ordinem juris.* Jam autem non potest judex illegitimus de veritate aliquem interrogare juridicè, cum ad hoc jus non habeat, adeòque nec alteri possit obligationem veritatem fatendi imponere. Ut autem judex in interrogando hic servet ordinem juris, debet priùs præcessisse aliqua criminis infamia, aliqua indicia noxæ, & semiplena probatio. Prædicta tamen intelligenda sunt, *Quid si illegitimè rogetur.*

dum interrogatio judicis tendit ad punitionem, secus si tendat ad impediendum peccatum, quo casu tenetur subditus fateri crimen, de quo nulla præcessit infamia, indicia aut semiplena probatio: cum superior habeat jus etiam de talibus perquirendi, ut damnum reipublicæ avertere possit, nec subditus habet justam causam non obediendi.

Reus debet justitiæ se subjicere. Dicendum 3. Tenetur reus justæ sententiæ obtemperare, injustæ non item, undè injustè damnatus ad mulctam pecuniariam non tenetur eam in conscientiâ solvere: non tamen se potest per vim contra justitiæ ministros defendere: cum judex & ministri jus habeant, exequendi sententiam latam juxta ordinem juris, adeoque non potest reus illi juri resistere. Deinde aliàs sequeretur scandalum & perturbatio reipublicæ, cùm omnes judicarent eum committere crimen læsæ Majestatis.

An reo liceat fugere ex carcere. Dicendum 4. Licèt reo fugere de carcere tam ante, quam post sententiam latam: non enim in carcerem detruditur, ut ibi spontè maneat, sed ut ibidem diligenter detineatur & custodiatur. Deinde tantum cuique juris est ad conservandam vitam, ut nullâ superioritate humanâ ab eâdem conservandâ possit quis impediri, nisi aliud exigat commune bonum. Hinc etiam potest vincula disrumpere, effringere carcerem, sine tamen vi justitiæ aut ejus Ministris factâ: quæ non censetur inesse, vinculis & carceri, sed judici & justitiæ ministris: unde justitia non violatur, dum vincula rumpit reus, carcerem effringit, &c. Deinde, ut dictum est, non debet reus ibidem manere, sed debet detineri; unde etiam debitis mediis fugæ illorum judices consulunt, compedibus ferreis, firmissimo ergastulo eos detinendo, &c. Idem extendunt alii, ad casum, quo quis ad talem pœnam esset condemnatus, quæ morti æquivaleret: ut ad exilium, carcerem perpetuum, ad triremes, servitutem, &c. Quæ est mors civilis. Hinc etiam sequitur, quòd alius possit reo licitè suadere fugam, monstrare viam fugiendi, instrumenta

menta præbere, non tamen cum reo carcerem effringere, cum ad illud solus reus jus habeat propter magnum periculum, quod ipsi aliàs imminet; Deinde aliàs nihil judicibus foret satis firmum & tutum ad reorum custodiam, cum maximo damno Reipublicæ.

Obligatio Advocati. Dicendum 5. Tenetur Advocatus, antequam alicui patrocinetur, habere sufficientem notitiam legum & jurium, aliàs exponet se periculo graviter peccandi. Tenetur etiam antequam causam in se suscipiat, eam diligenter examinare, eamque sincere clienti exponere, & si quod periculum deprehendat, illi indicare. Quòd si falsâ promissione, aut fraude alium ad litigandum inducat & expensis intricet tenetur eidem ad restitutionem.

in suscipienda causa. Neque potest in se suscipere causam injustam, neque minus probabilem, nisi cliens de minore probilitate admoneatur, & litem nihilominus velit prosequi, cum aliquando id, quod est minus probabile, postea deprehendatur verius. Idem est de causâ, quæ vix aliquid habet probabilitatis, cum eam suscipiendo, clientem variis eisque inutilibus expensis involvet: Unde si de tali statu clientem non monuerit, tenetur illi ad restitutionem: Imò si causam injustam defendat, & pars adversa litem perdat, tenetur eidem ad restitutionem, cum illi causa fuerit injusta damni.

Tenetur Advocatus pauperibus gratis patrocinari. Dicendum 6. Peccant Advocati, si pauperi in extremâ necessitate detrectent patrocinari, v. g. si sine ejus ope esset condemnandus morte, &c. Ratio est, quòd quisque lege charitatis teneatur proximo suo succurrere extremè indigenti, si commodè possit. Hinc appositè S.Greg. hom. 9. in Evang. *Habens intellectum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, à misericordiæ largitate non torpescat: habens artem, qua regitur, usum illius cum proximo partiatur; habens loquendi usum apud divites pro pauperibus intercedat: talentum quippe ab unoquoque nostrum venturus judex exigit, quantum dedit.* Quin imò idem probabiliter extendunt aliqui

ad necessitatem gravem, si id sine incommodo exequi possit.

Quid agendum Advocato, dum causæ injustitiam advertit.

Peccat quoque, si in processu advertens causæ injustitiam, eam clienti non manifestat: Si processus nimium extrahat, cum damno partis: Si plures causas suscipiat, quàm commodè possit promovere: Si utrique patrocinetur: Si simul sit judex vel assessor & advocatus in eâdem causâ: Si velit pretium majus, quàm labori à republica taxatum est, vel communi prudentum æstimatione sit debitum: si contractum usurarium defendat: Si leges falsas & abrogatas, instrumenta falsa proferat: Jure quoque positivo illis interdictum est, pacisci prævie de aliquotâ litis parte, v. g. dimidiâ, tertiâ, &c. Si victoria sequatur, idque ideò, ne daretur aliàs occasio, per fas & nefas victoriam procurandi.

Potest tamen advocatus patrocinari reo, quem etsi sciat commisisse crimen, tamen nondum de eo est secundum ordinem juris plenè convictus. Ratio est, quòd reus non teneatur ad pœnam, nisi convictus: Ergo per se vel per alium eam potest avertere, donec convincatur.

SECTIO VI.

Quomodo Confessarius cum reo agere debeat.

Officium confessarii cum reo.

Dicendum primò, Reus ad confessionem non facilè admittendus est, priusquam in judicio res ejus sint liquidò probatæ, eò quòd vix adigi aliàs poterit, ut crimen candidè confiteatur, vel ob timorem ne deferatur, vel ne cogatur illud fateri extra confessionem.

Non debet se immiscere causæ criminali.

Dicendum 2. Non potest se Confessarius causæ ejus criminali immiscere, unde caveat ne modum procedendi illi suggerat, judices accuset, &c. Sed opportunius fateatur se Dei Ministrum, & reum ad pœ-

pœnitentiam disponat, simul eidem prædicens, se audita à reo nec communicaturum alicui, sive obsint sive prosint, ne aliqui falsò se excusent, ut à Confessario juventur: aut falsò se accusent, ne rursum torturæ subjiciantur.

Ad feriam pænitentiam reum disponat. Dicendum 3. cognitâ ejus causâ, interrogabit eum de circumstantiis vel speciem immutantibus, vel crimen notabiliter aggravantibus intra eamdem speciem, quæ tali crimini associari plerumque solent, idque pro qualitate criminis, de quo agitur. Deinde criminis gravitatem ostendat, & ad feriam pœnitentiam reum disponat; simul proponens, quàm breve sit hujus vitæ spatium, quàm certò mors sit obventura, & quò longior vita, eò major labor & dolor: Denique quàm melius in hac vita, quàm in futuro pœna criminibus debita possit hîc persolvi.

Ne executioni sententiæ ullatenus se immisceat. Dicendum 4. Caveat, ne se immisceat sententiæ executioni, aut aliquo modo eidem coöperetur, ne irregularitatem incurrat, de qua alibi. Caveat quoque, ne audita in confessione, post mortem rei, sive in ejus favorem, sive in ejus præjudicium ullatenus referat, cum per hoc reverentiæ Sacramenti officiat, & sæpè sigillum Sacramenti violet. Et quamvis pro reo quandoque intercedere possit, ut admonet Scriptura Prov. c. 24. dicens: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem: Et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses:* Tamen id moderatè faciendum, ne suâ importunitate tales liberet, quos morte punitos esse præstaret, aliàs particeps futurus malorum omnium, quæ ex tali intercessione postmodum orientur.

CA-



CAPUT OCTAVUM.

De Distributione onerum & beneficiorum.

SECTIO PRIMA.

Quomodo distribuenda sint officia.

Personarum acceptio.

DICENDUM primò, Superior tenetur in conscientia distribuere officia in digniores. Hinc peccat graviter, si accipiat personam, ideft aliquam personæ conditionem, quæ nihil ad officii distributionem pertinet v. g. quia est amica, favens & fovens suas cupiditates, quia beneficium ab ea vel ejus amicis accepit, &c. Peccatum hoc in superiore sæpè est mortale, cùm sæpè fiat cum injuria proximi, imò aliquando cum perversione potioris partis communitatis, dum cernit ad officia promoveri indignos, quo fit, ut negligant sese reddere idoneos officiis communitatis, dum favor, non dignitas prævalet. Tenetur ergo superior, sive sæcularis sive Ecclesiasticus, ex vi taciti contractûs, quo in se suscepit communitatem optimo quo possit modo, regere & gubernare, maximè idoneos præferre cæteris, & seponere affectus inordinatos, ad rem nihil facientes: Aliàs peccabit contra justitiam distributivam, & fidelitatem communitati promissam. Quinam autem in officio constitui debeant, exponit Scriptura Exodi 18. *Provide de omni plebe viros potentes, timentes Deum in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos.* Quod si negligant, promoventes aliquando in aliorum curam, qui se de jure curare & regere nequeunt, aut ut alios doceant, quod ipsi non didicerint, peccant graviter, cum injuria com-

Distribuentes beneficia indignis, peccant.

communitatis. Unde & jura civilia prohibent, ne quis minorennis ad senatum promoveatur, quod jure merito ob dictas causas observatur, & utinam ubivis observaretur. Certè communitatum pestis est personarum acceptio. *Officia etiam saecularia illicitè venduntur*

Dicendum 2. Licitè tamen excellentia & quaestus, quae in officio saeculari spectari possunt, possunt dividendi, cum sint pretio aestimabilia. Consultius tamen foret, ea quoque sine respectu ad pecunias conferri magis dignis, eò quòd ex alia praxi, gravia solent evenire incommoda, puta quòd homines magis ex ea studeant pecuniis, quàm scientiis & probitati, quòd si illis officia conferantur, non ea ad bonum reipublicae administrent, sed ad bonum & commodum proprium, ut illud recipiant, quod pro officio numerarunt, & ut insuper lucrentur, justitiam exinde venalem habeant. *Dignitas saecularis potest dividendi.*

SECTIO II.

De tributis & vectigalibus imponendis.

Dicendum primò Tributa sive vectigalia justè à Principe imponi possunt ad communia impendia, ac Principis statum intertinenda. Hinc ea, toti Christiano orbi imponere posset Pontifex, si hoc necessarium foret ad statum Ecclesiae conservandum. Idem possunt omnes supremi, qui supremum in suis Regnis non agnoscunt, & quidam Domini locorum, qui praescriptione quasi, jus illud liberae administrationis obtinent. Sic & civitas potest imponere *Collectas* suis civibus, dum hoc exigit bonum communitatis: Imò idem potest & Episcopus, cum consensu capituli in reparationem Ecclesiae, sustentationem ministrorum, quando aliter illis provideri nequit. *Potest resp. publ. imponere vectigalia.*

Dicendum 2. Ecclesiae & Ecclesiastici, & illorum bona à vectigalibus jure Divino & Humano sunt exempta. *Exemptio Ecclesiasticorum.*

empta. Patet hoc ex jure Canonico capt. *Quamquam* 4. de censibus in 6. & ex variis patet Pontificum decretis. Idem confirmat jus civile, ut novella Frederici Imp quæ incipit, *item nulla* de Ep.sc. & clericis. Excipiuntur tamen à dicto privilegio, clerici qui exercent negotiationem, si possessio alicujus, habeat annexum onus, antequam veniret ad Ecclesiæ possessionem, si contributio æquè cedat in utilitatem Clericorum ac Laïcorum, vel denique si Laïcorum facultates non sufficiant ad succurrendum publicæ necessitati. Exemplum hujus exemptionis habes Genes. 47. Ubi totam terram Ægypti subjecit Joseph Regi, fecitque eam tributariam, exceptâ terrâ Sacerdotum: Unde ait Conc. Trid. sess. 25. c. 20. reform. *Personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutam esse.* Clerici tamen minorum ordinum, primæ tonsuræ, nec ulli Ecclesiæ deservientes, nec habentes beneficium, videntur longâ consuetudine exemptionem amisisse, in cujus præscriptionem videtur Papa consensisse.

causa imponendi vectigalia.

Dicendum 3. Justa causa imponendi vectigal, est necessitas publica, cui aliâ viâ succurri nequit: v. g. ad solvenda stipendia militaria, urbium fortificationes; Deinde requiritur, ut causa sit vectigali proportionata, ne in prodigalitates vectigalia impendantur, aut etiam privatas utilitates, denique ne diutiùs maneant imposita, quàm causa exigat. Quibus adde, ut expensæ compensentur, quando Princeps urbem rebellantem statuit compescere expensis & sumptibus communibus.

Insuper, *Injusta sunt vectigalia, si sic imponantur, ut plus graventur, qui justâ ratione sunt minùs gravandi: utpote si magis indigentes graventur plus aut æqualiter cum ditioribus, minùsque indigentibus. Iniquum est, pauperem pro rebus, quas usu suo consumendas defert, tantumdem ad supportandum reipublicæ onera solvere quantùm dives solvit pro similibus rebus æqualis ponderis, ad usum suum delatis*, Ita Driedo. Unde vario jure statuitur, ne vecti-

gal-

galia imponantur illis rebus, quæ usu consumuntur, cum æquè gravarentur indigentes ac divites, adeòque violaretur æqualitas & proportio in distributione onerum observanda. Excipe tamen casus, quo vectigalia aliunde collecta, communi necessitati non sufficiunt, vel etiam fiunt cum consensu totius populi; vel pro securitate viarum, ut præstet aliquod onus sustinere, quàm omnia in viâ perdere, vel denique si longâ consuetudine similia vectigalia sine populi contradictione fuerint servata.

Dicendum 4. Qui defraudant vectigalia justè imposita in notabili summâ peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem. Probat hoc Apostolus ad Rom. 13. Ubi docet vectigalia esse omnino debita, dum ait: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Ubi enim publica causa id exigit, potest cuilibet parti vectigalia superior imponere, cui tenentur subditi in conscientiâ obedire, sicut debent dare decimas statutas ab Ecclesiâ, adeòque defraudantes peccant & tenentur pro suâ quotâ, vectigalia defraudata restituere. Aliud esset, si probabiliter teneret subditus, vectigalia esse iniqua, quo casu non teneretur vectigalia in conscientiâ solvere, nisi esset periculum scandali aut perturbationis Reipublicæ. *Vectigalia defraudantes.*

SECTIO III.

De Collatione beneficiorum Ecclesiasticorum.

DICENDUM primò, *Beneficium* est jus perpetuum percipiendi fructus, ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spiritale, authoritate Ecclesiæ constitutum. Aliud est sæculare, aliud regulare. *Sæculare* est, omne illud, quod pro regularibus non est institutum, neque iis annexum: unde & illud sine dispensatione Papæ conferri non potest regularibus, *Quid sit beneficium* *Sæculare.*

juxta-

juxta hanc regulam generalem: *Beneficia sæcularia sæcularibus, regularia regularibus conferenda esse.* Excipitur autem, si sint beneficia curata, hæc enim regularibus conferri posse, sine dispensatione Papæ, statuunt jura & constat experientiâ. *Regulare* est, quod pro regularibus est institutum, ut sunt Abbatia, prioratus, Canonicatus Regularis. Alia quoque sunt beneficia duplicia, alia simplicia. *Duplicia* sunt, quæ annexam habent administrationem vel eminentiam in Ecclesiâ, ut sunt Papatus, Archiëpiscopatus, Decanatus, Prioratus, personatus, &c. *Simplicia* sunt, quæ non habent talem administrationem vel eminentiam in Ecclesiâ, sed solùm instituta sunt ad preces Deo persolvendas, aliaque divina officia obeunda, v. g. Canonicatus etiam Cathedralis, Cappellaniæ, sacellæ, item præstimonia, idest beneficia instituta pro studiosis, ut possint prosequi studia, vel in subsidium terræ sanctæ.

Regulare. *Duplex.* *Simplex.*

Horum omnium beneficiorum tam sæcularium, quàm simplicium regulares capaces esse ex privilegio Papæ, sine speciali ejus dispensatione Continuata praxis ostendit, & signanter in Canonicis Ordinis Præmonstratensis, cui olim 16. Ecclesiæ partim Archiëpiscopales, partim Episcopales, quasi hæreditario jure annexæ fuerunt, ut per aliquot sæcula, omnes etiam Episcopi talis Ecclesiæ, fuerint talis instituti: idem adhuc in vigore est in variis Regnis & Provinciis.

Præmonstratensiû capacitas quoad beneficia.

Dicendum 2. Obtineri possunt beneficia, primò præsentatione Patroni & institutione collatoris. *Præsentatio* autem est exhibitio personæ, facta à Patrono collatori, ut illi beneficium conferat, cujus collatio est *institútio*, quæ non nisi ab Ecclesiasticis fieri potest, nec Laïcis competere potest. Secundò conferri potest beneficium, electione capituli, aut aliorum Ecclesiasticorum, & confirmatione. 3. collatione libera, idest, quando beneficium solo jure Prælati datur, nec subest juri Patronatus. 4. Resignatione. 5. Permutatione. Di-

Modi quibus beneficia possint obtineri.

Dicendum 3. In conferendis Ecclesiis Parochialibus, hanc formam præscribit Conc. Trid. sess. 24. c. 18. ubi habet 1. quidem, quòd si vacet Ecclesia Parochialis, debet illi provideri per interim de deservitore; deinde, debet Patronus & collator intra certum tempus aliquos examini subjicere aliquorum, quos ad hoc munùs idoneos judicavit, nec minus quàm trium, qui jurare debent, se omni affectu seposito, judicaturos prout in veritate comperient: prohibetur autem, ne quidpiam ratione hujus examinis recipiant, aliàs fiant Simoniaci, & beneficium suum amittant. Quo examine facto, tenetur Episcopus beneficium conferre illi, qui est inventus magis cæteris curæ Pastoralis idoneus: imò si rejecto magis idoneo, minus idoneus ab Episcopo sit institutus, possunt alii digniores appellare ad Metropolitanum, vel si ille desit, ad viciniorem Episcopum, tamquam delegatum Sedis Apostolicæ, & institutum ad novum examen apellare: interea tamen electio prior exequenda est. *Modus quo debeat conferri Ecclesia Parochialis cura.*

Dicendum 4. Numquam licet conferre beneficium indignis ratione infamiæ, ignorantiæ, vitæ vel morbi aut alterius impedimenti: aliàs collator & patronus sunt causa malorum, quæ ex indignitate talis obveniunt. Beneficium, quod annexum habet animarum curam conferri debet digniori: est communis SS.PP. & DD. sententia, utroque jure stabilita: Unde si digniore omisso, dignum quis eligat, postulet, aut præsentet, peccat mortaliter. Colligitur hoc ex Conc. Trid. sess. 24. c. 1. refor. ubi dicitur: *Omnes & singulos qui ad promotionem præficiendorum, quomodocumque jus habent, mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed coram exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Neque dici potest, quòd hîc Concilium in to *digniores*, accipiat comparativum pro positivo, aut impropriè loqui, quòd quidam scandalosè docent: Unde & illud à Pontifice nostro moderno nuper condem- *Beneficia danda sunt dignioribus.*

natum

natum est: *Cum dixit Conc. Trid. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint ad Ecclesias promovent, Concilium vel primò videtur per hoc* DIGNIORES *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundò locutione minus propriâ ponit* DIGNIORES, *ut excludat indignos, non verò dignos: vel tandem loquitur tertiò, quando fit Concursus.* Unde, & rectè statuta Ordinis Præmonst: admonent prælatos, ut *eum promoveant, quem dictante conscientiâ, omnibus consideratis & æstimatis, ad tale munus* (Pastorale) *obeundum maximè idoneum censuerint. Nec hac in re tam ætatis aut temporis professionis, quàm idoneitatis & virtutis ratio habeatur.*

Peccata patronorum. Peccant ergo Prælati mortaliter, qui omisso digniore, minus dignum præsentant ad tale munus, non pro conscientiæ dictamine, sed pro suâ libidine, eum digniorem censentes, qui suæ libidini quandoque magis obsecundat: peccant mortaliter, qui importunis amicorum precibus acquiescentes, tale munus conferunt minus digno, prætextu amicitiæ aut muneris suscepti. Peccant mortaliter, qui dignioribus prætermissis, minùs digno beneficium assignant, ut parentes aut consanguineos indigentes sustentent, cum præjudicio Ecclesiæ & aliorum digniorum: satiùs esset, si Patronus ipse suis eleëmosynis eosdem sustentaret, & damnis & injuriis aliorum ita obviaret. Neque hic valet casus pro amico, qui si sit minus dignus, erit casus pro diabolo. Hæc Paulò fusiùs, eò quòd, sit frequens Constitutionis Tridentinæ violatio.

SECTIO

SECTIO IV.

De conditionibus requisitis, ut censeatur quis aptus beneficio.

Dicendum primò, requiritur ut sit natus de legitimo thoro, nisi ex superioris dispensatione legitimetur. 2. Requiritur ordo prævius, aut saltem prima tonsura. Quod si acceperit Parochiale beneficium, debet intra annum ordinari Sacerdos, aut aliàs ipso jure beneficio est privatus; quod intellige à quieta possessione annum computando, & nisi legitimum impedimentum obsit, v. g. morbus, absentia Episcopi, &c. Nam pœna locum non habet, ubi nulla est culpa. Idem statuit Concilium Trid. de Episcopis, qui se intra 6. menses non sinunt consecrari. 3. requiritur debita ætas, ad Episcopatum 30. annorum, ad aliud officium minus habens annexam curam animarum 25. annorum, ad alias vero dignitates annorum 22. ita Conc. Trid. sess. 24. c. 12. hoc ultimo addens sess. 23. c. 6. *Nemo ante 14. annum beneficium possit obtinere.* 4. Requiritur cœlibatus: unde si Clericus matrimonium ineat, ipso jure illud amittit, eo quod suscipiat statum cum beneficio incompatibilem. 5. Requiritur, ut sit nullâ censurâ irretitus, hinc excommunicato, suspenso aut interdicto non potest conferri beneficium. Requiritur quoque ne sit irregularis, item ne sit hæreticus aut hæretici filius, qui in hæresi decessit, ne eorum sint defensores, ne sit Simoniacus confidentialis, in electione Papæ, vel in examine ad paræcias, ne sit intrusus, &c. 6. Ne sit infamis, sed moribus probus, 7. ut sufficienti scientiâ sit instructus: unde Conc. Trid. sess. 22. c. 2. requirit, *ut Episcopus sit Doctor aut Licentiatus in Theologia, aut jure Canonico, aut saltem publico alicujus Academiæ testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur.* Hinc inhibet idem Concilium sess. 25. c. 9. nè quis sine examine prævio, ad beneficium assumatur. Et re-

Capacitas beneficiati ut sit legitimus, ordo prævius,

Ætas legitima,

Cœlibatus

Non irregularis,

Non infamis.

Vt sit literatus.

ctè Conc. Roman. sub Eugenio 2. c. 4. *Presbyteri*, ait, *Sint litterati, aliter enim quomodo erunt Magistrati, qui non fuerunt Discipuli? ..... isti sunt canes muti, non valentes latrare.* 8. Requiritur habilitas ex parte corporis, necessaria ad debitè officium persolvendum, unde cæcus, mutus & similes ad beneficium sunt inhabiles.

Aptitudo corporis.

Debita intentio.

9. Requiritur debita intentio in beneficiato, de qua ita appositè Catechismus Rom. p. 2. c. 4. *Quoniam in omni actione suscipienda, magnopere refert, quem sibi quisque finem constituat, (optimo enim fine posito rectè omnia consequuntur) de hoc in primis, qui sacris initiari volunt, admonendi sunt, ut nihil sibi tanto munere indignum proponant...... alii enim eo consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt, ut quæ ad victum vestitumque necessaria sunt, parent: ita ut præter quæstum, nihil aliud in Sacerdotio, quemadmodum vulgo cæteri omnes in quovis sordido artificii genere, spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli sententia, natura & divina lex jubeat, ut qui altari servit de altario vivat: tamen quæstus & lucri causâ ad altare accedere, maximum sacrilegium est. Alios honoris cupiditas & ambitio ad Sacerdotalem ordinem ducit. Alii verò, ut divitiis affluant, initiari volunt: cujus quidem rei illud argumentum est, quod nisi opulentum aliquod Ecclesiasticum beneficium eis deferatur, nullam sacri ordinis cogitationem habent: Hi verò sunt, quos Salvator noster* MERCENARIOS *appellat .... illi autem ostio in Ecclesiam meritò introire dicuntur, qui à Deo legitimè vocati, Ecclesiastica munera ejus unius rei causâ suscipiunt, ut Dei honori inserviant.* Hucusque Catechismus. En ergo rectam intentionem ordinandi & beneficiati, solius Dei causâ munus suscipere, & ejus honori inservire.

Requiritur insuper, ut beneficiatus non habeat plura beneficia incompatibilia, unde fit.

SECTIO

SECTIO V.

De Pluralitate Beneficiorum.

DICENDUM primò, pluralitatem beneficiorum semper detestata est Ecclesia. 1. enim dist. 86. can. *Singula* dicitur : *singula Ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis sigillatim committi jubemus.* Et in 7. Synodo Constantinop. ut refertur 21. q. 1. cap. *Clericus* ita dicitur : *Clericus ab instanti tempore non connumeretur in 2. Ecclesiis.* Et 70. distinct. cap. *Sanctorum*, ait Urbanus : *Omnino in duabus Ecclesiis aliquem intitulare non liceat, sed unusquisque in qua intitulatus est, in ea tantum Canonicus habeatur.* Et extrav. de præbend. cap. *quia*, perhibetur præbendarum multitudinem Canonibus esse inimicam. Idem novissimè statuit S. Synodus Tridentina sess. 24. c. 17. ubi ait : *Cùm Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, Sanctè S. Canonibus cautum fuit, neminem opportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum, quoniam multi improbæ cupiditatis affectu se ipsos, non Deum decipientes, ea quæ benè constituta sunt, variis artibus eludere & plura simul beneficia obtinere non erubescunt : S. Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens præsenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo etiamsi Cardinalatûs honore fulgeant, mandat observari : statuit ut imposterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæc non modo ad Cathedrales Ecclesias sed etiam ad omnia beneficia tam sæcularia quàm regularia, quæcumque etiam commendata pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant.* Hucusque Concilium.

Plura beneficia habere semper in Ecclesia fuit illicitum.

Dicendum 2. Non tantum juri positivo, sed & recto

An sit contra re-

tionem habere plura beneficia. cto ordini naturæ contrarium est habere plura beneficia pro cujus pleniori intelligentia cum S. Thoma quodlibeto 8. q. 7. Notandum est, esse triplex actionum genus. Unum quod est intrinsecè malum, & quod inseparabilem habet deformitatem, v. g. mendacium: aliud quod secundùm se est indifferens, v. g. ambulare, quod benè fieri potest & malè. Tertium deniquè, quod secundùm se consideratum aliquam continet deformitatem, ita tamen, ut in certis circumstantiis possit reddi licitum, v. g. occidere, quod adveniente lege justitiæ redditur licitum & honestum. De hoc ergo tertio genere actionum est plura obtinere beneficia. Illud enim secundùm se spectatum aliquas recti ordinis continet perversiones.

Rationes quare hoc sit vetitum. 1. Quòd recta ratio dictet, quòd unicuique ministerio suus designetur minister. 2. Quòd diminuatur per illud cultus divinus. 3. Cùm bona Ecclesiæ stipendia sint Ecclesiæ, Ecclesiæ suo jure fraudantur, dum multiplicatis ita præbendis ad personarum paucitatem, vix ulli Ecclesiæ pro ratione suarum decimarum servitur competenter & dignè. 4. Violatur justitia distributiva, dum hac multiplicitate multi digni esuriunt, alii verò ebrii sunt: 5. Quod eâdem pluralitate accendatur ambitio, dum plures pluribus beneficiis sibi honores conciliant. 6. Studia litterarum, quæ nervus sunt disciplinæ Ecclesiasticæ eâdem pluralitate negliguntur, dum vident nec meritorum haberi rationem, sed solorum ambitiosorum & ditiorum libidini satisfieri. 7. Quòd fundatorum & testatorum voluntates defraudentur, quorum intentio fuit promovere Dei cultum suâ fundatione, qui pluralitate beneficiorum diminuitur. 8. Quòd animæ defunctorum debitis spolientur suffragiis, dum unus pluribus obligationibus illis animabus nequit satisfacere. Hæc & alia inconvenientia, quæ ex pluralitate beneficiorum primâ fronte apparent, satis indicant, eamdem omnino esse secundùm se illicitam & recto ordini repugnantem.

Aliquando licet Dicendum 3. Cùm pluralitas illa beneficiorum non

non sit intrinsecè mala, ut dictum est, sed certis circumstantiis possit reddi licita, hinc prima est, quando Ecclesiæ reditus sunt ita tenues, ut se solâ non sufficiat ad sustentandam unam personam. Secunda, quando una Ecclesia dependet ab alia. Tertia, quando in aliqua Ecclesia tanta est clericorum parcitas, ut omnibus beneficiis per singulos ministros non possit provideri. Quarta si Ecclesia aliqua annexa sit præbendæ vel dignitati:sic potest idem esse Canonicus & Pastor, uti fit Antverpiæ; item Pastor & persona. Quinta, si habeat unam intitulatam & aliam ad tempus commendatam, donec de personâ idoneâ Ecclesiæ illi provideatur. Alii addunt sextam, puta ob eximiam aliquorum doctrinam, quæ majoribus beneficiis est honoranda, ut dicitur C. *De multa de præb.* Verum ut notat Dominicus Soto de jure & justit. l. 3. q. 4. Ratio illa dispensandi in pluralitate beneficiorum solum habebat locum, quando Ecclesia vagiebat in cunis, & potentiâ sæculari opprimebatur, adeòque opus habebat illustrium viribus suffulciri: quâ de causâ indulgebatur, ut aliquantò plus stipendiorum sortirentur. Jam verò hoc ætatis, si fas est dicere verum, nescio an eadem dispensationis causa tam legitima existat. Ita præfatus author.

habere plura beneficia.

His insuper circumstantiis excusantibus pluralitatem beneficiorum addunt alii dispensationem Papæ in eadem pluralitate dispensantis: quam quidem quoad beneficia simplicia, curam animarum non habentia annexam nec residentiam requirentia non necessariam docet idem author, benè tamen in iis, quæ residentiam requirunt, sed curam animarum non habent annexam eam esse necessariam, v. g. in Canonicatu. In aliis tamen similibus canonicatu minoribus, usus non habet, ut acquiratur dispensatio, ait idem author, addendo tamen, quòd ejusmodi beneficiorum coacervationes sive per dispensationem fiant, sive secus, carere non possint culpâ etiam quandoque mortali, atque gravi scandalo in Eccle-

siarum detrimentum, idque potissimè ubi nimium multiplicantur & personis deputantur indignis. *Jam enim*, ait *nulla spectantur aut desiderantur merita, sed perinde, quin etiam turpius atque impudentius quàm sæcularia & profana ambiuntur, Cambiuntur, veneunt, hæreditantur, regressantur, profanantur ac dilapidantur.*

Abusus in multiplicandis beneficiis.

Quid si Papa dispenset.

Dicendum 4. In pluralitate beneficiorum, quibus cura animarum annexa est, v. g. paræciis, &c. requiritur dispensatio, & quidem legitima, adeo ut dicat dictus author, quòd & Papa sine legitimâ causâ dispensans graviter delinquat, & ejus delictum non liberet ambientem, & retinentem à culpa. Ratio ejus est, quòd beneficia, quibus animarum cura annexa est, requirant præsentiam administrantis, nemo autem potest esse præsens duabus Ecclesiis administrandis, adeòque sine urgentissimâ causâ eâdemque Ecclesiæ necessariâ, non potest citra atrocem culpam super hoc dispensari.

Sed ait fortè ille, cum quo dispensatum est: Papa dispensavit, ipse sibi viderit, ego immunis sum. Hic tamen cavillus securos multos reddit, tutum verò neminem, quoniam Papa non est Dominus, sed dispensator, ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, & qui eâ utitur, eâdem semper irretitur iniquitate. Hæc rursum Soto ibidem.

Notat verò Dionysius Cathus. art. 8. de plural. benefic. quòd Papa non dispenset cum avaritiâ & ambitione, ex quibus aliquando dispensatio hîc quæritur: *non enim*, ait idem author, *intendit nutrire pestes vitiorum, de temporalibus bonis Ecclesiæ, quæ plenè novit ad sustentationem servorum Dei in ejus servitio sacrificata esse Domino & oblata.*

An liceat alium substituere

Dicendum 5. Neque licitum est in unâ paræciâ per se residere & in aliâ substituere Vicarium, cum Ecclesia absolutè prohibeat duas paræcias obtinere, uti patet cap. *dudum de elect.* Ratio est, quòd beneficium detur ratione personæ beneficium obtinentis, cujus aptitudo & dignitas sæpè nequit suppleri per sub-

substitutum: adeo ut idem author addat, miraculum est, quòd liceat curato ob eam solùm curam & onus quòd Vicarium vilius, quàm potuit, sibi substituit, amplitudinem fructuum percipere, reclamante Paulo, *Qui non laborat, non manducet: sed ait, satis est laborare per alium. Profectò si non debet manducare nisi qui laborat, fit, ut qui non per se, sed per alium laborat, non debeat ipse manducare, sed contentus esse, si loco illius alius manducet. Ait fortasse paræcius beneficii possessor, satis est huic Ecclesiæ hunc vicarium substituere. Responderet autem, Ecclesia, si fari posset, ergo satis est ei, hæc quam tu illi tribuis, merces. Cur ergo reliquum ex me absque ullo servitio surripis?* Hæc ille & meritò. Ex quo quoque concludi posset, quo jure plurimi Pastores impotentes sibi Vicarios substituant, & ipsi sine ullo labore de stipendio Ecclesiæ manducent.

Dicendum 6. Cùm ex præscripto Concilii Trid. possit quis obtinere plura beneficia simplicia, non exigentia residentiam, quando unum ad debitam sustentationem non sufficit: Hinc inquiri posset, quæ sit debita Clerici aut beneficiati sustentatio. Et quidem Lugo de jure & justitia disp. 4. sect. 4. docet eam esse congruam sustentationem, quæ necessaria est ad decenter suum statum intertinendum, secundùm conditionem gradûs, dignitatis, qualitatis & regionis: & consequenter juxta dictorum considerationem morali ac Christiano judicio de eo esse judicandum, debet enim attendi persona, quia plus requiritur ad congruam sustentationem Episcopi, quàm Decani, Canonici, &c. Idem est de consideratione regionis, personæ qualitatis, &c. ex quorum consideratione morale judicium in hac re dependet. *Quæ sit debita Clericorum sustentatio.*

Quomodò tamen excusari possint ii, qui plura beneficia obtinent, etsi sine aliquibus beneficiis debitè satis possent sustentari, addit dictus Card. num. 58. *Quòd sit causa dispensandi in ca pluralitate, quando Cardinalis ille adeo piò & laudabili exemplo expendit reditus il-*

los, ut Compensari videantur, inconvenientia, quæ ex pluralitate sequuntur: & aliunde providetur, ne eâ occasione detrimentum patiantur Ecclesiæ beneficiorum in spiritualibus vel temporalibus, & omnibus constet bonus & pius usus talium redituum, ut vitetur scandalum & malum exemplum. Hæc ille: Verùm ultra hoc, quòd dicta omnia difficulter possint concurrere simul, etiam obstare videtur, quòd non sufficiat reditus illos expendi in pios usus quoslibet: sed debeat satisfieri fundatorum intentioni, ut in usus ab illis intentos expendantur. Adde, quòd per illud non videatur posse vitari, quòd ministri Ecclesiæ ejusque cultus diminuantur, quòd justitiâ distributiva violetur, quòd studia litterarum vilipendantur, & alia incommoda in principio hujus sectionis allata. Unde videtur hîc requiri alia dispensandi causa in beneficiorum pluralitate.

Quæret aliquis, an ergo peccet ille, qui retinet vel obtinet plura beneficia, conformans se opinioni, quæ dicit hoc simpliciter esse licitum. Ad quod ita respondet S. Antoninus 3. p. tit. 25. c. 1. §. 8. *Nota quòd secundum Thomam, quòd si quis habeat plures præbendas, innitens opioni illorum Magistrorum, qui dicunt simpliciter hoc esse licitum: illa opinio non est vera, nec propterea excusantur à peccato: sed etsi sit vera opinio, quam sequitur, scilicèt tenere præbendas esse licitum, si tamen ex contrarietate opinionum dubitat de veritate opinionis, quam sequitur, & nihilominus tenet plures præbendas, peccat mortaliter, quia discrimini mortalis sic se exponit.*

Dicendum ultimò, Potest quis obtinere plura beneficia etiam curata, si Ecclesiæ illæ legitima authoritate sunt unitæ: unio autem illa aliquando facta est ad vitam, quam abrogavit Concilium Tridentinum sess. 7. c. 4. reform. Item sess. 24. c. 17. reform. Alias verò perpetuas, ex legitimis & rationabilibus causis, coram loci ordinario verificandis fieri debere ibidem statuit idem Concilium; causam verò ejusmodi unio-

nis

his assignat idem Concilium sess. 21. c. 5. reform. Ecclesiarum paupertatem & alias in jure constitutas, ita tamen, ut uniones illæ cedere debeant in Ecclesiæ ipsius emolumentum, non personæ alicujus favorem. *Sic est illustris quispiam*, ait Soto loco citato, *pluralitate beneficiorum pressus, qui ad eximendum sibi scrupulum conscientiæ, procurat per connexionem cuncta in unum coadunare. Profectò is arbitratu meo, dum hoc sophismate fascinare cogitat divinos oculos, gravius turpiusque delinquit, quam si plurium figuram retineret. Debet enim unio Ecclesiarum in emolumentum ipsarum absque dolo malo fieri, ut sit legitima.* Ita ille.

Ex dictis patet, quam periculosum sit obtinere plura beneficia, adeo ut cum S. Bernardo timendum sit, *Quòd qui non unus est sed plures in beneficiis, non unus sed plures erit in suppliciis.*

Dicendum tamen ultimò Temporibus nostris imprudentis esse aut temerarii appetere Episcopatum. Probatur primò ex S. Augustino, qui ita ait l. 19. c. 19. de Civitate Dei: *Locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur, ut decet; tamen indecenter appetitur.* Et S. Thomas ad illa Verba Apostoli prioris ad Timot. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, aut*, inquit, *appetit aliquis circumstantias*, puta gradum, honorem, opes, &c. *Tunc nescit, quid appetat: aut appetit ipsum quis, & hoc est superbiæ.* Cùm enim Episcopus juxta Chrysostomum hom. 10. in priorem ad Tim. Debeat lucere inter populum, ut sol inter stellas: Et juxta Gregorium 2. parte Past. Debeat superemінere inter populum, quantum homo præstat pecudibus; & juxta Tridentinum sess. 6. c. 1. Episcopale munus sit Angelicis humeris formidandum: præsumptuosum & planè temerarium videtur, appetere Episcopatum.

An liceat appetere Episcopatum.

Objiciet aliquis locum Apostoli prædictum, quòd qui Episcopatum desiderat, bonum opus desideret, ex quo videtur sequi, licitè posse appeti Episcopatum, tam-

tamquam opus bonum. In primis S. Greg. 1. Pastor. c. 8. docet, hoc solùm verum fuisse primis Ecclesiæ temporibus, dum promiscuè Episcopi trahebantur ad Martyrium. Unde etiam dictum est in Conclusione, *temporibus nostris*. Communis tamen expositio habet, quòd ille, qui Episcopatum desiderat, bonum opus, id est rem arduam & sublimissimam desideret, cùm subdat continuò Apostolus: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*: Tanta autem res admiranda potius est, quàm expetenda. Unde & Hieronymus [in] dictum locum, *opus*, ait, *desiderat, non honorem*, ubi & multis exaggerat celsitudinem hujus officii. Hoc considerantes SS. PP. non nisi inviti ad Episcopatum trahebantur: ut de Cornelio scribit Cyprianus l. 4. Epist. 2. de Ambrosio Paulinus in ejus vita: de Joanne Chrysostomo idem patet ex libris ejus de Sacerdotio: de Augustino idem ex Sermone de communi vita Clericorum; de Gregorio ex Joanne Diacono l. 1. c. 44. de S. Norberto ex ejus vita c. 42. unde alibi dicitur *Indignus Sacerdotio, qui non fuerit ordinatus invitus*. Et S. Bernardus l. 4. c. 5. de consideratione ad Eugenium, ita scribit: *Non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes: etiam coge illos, & compelle intrare*. Quantopere ab horum exemplo deflexerit hæc ætas nostra, loquitur experientia, dum non solùm ejusmodi officia appetuntur & desiderantur, sed etiam petuntur, & extorquentur.

Dicta autem omnia, non solùm de Episcopatu intelligenda sunt, sed & de quolibet officio, cui annexa est cura animarum, quæ est ars artium, cui proinde non nisi præsumptuosè sese ultro ingerit, illam ambiendo & desiderando. Aliud tamen est, si evidens Ecclesiæ necessitas alicujus ministerium exigeret, quo casu laudabile esse Episcopatum etiam appetere, docet S. Thomas loco supra citato.

SECTIO

SECTIO VI.

De Residentiâ Beneficiatorum Ecclesiasticorum.

DE residentiâ necessariâ beneficiatorum cum animarum curâ ita rursum statuit Tridentina Synodus Sess. 23. reform c. 1. *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique Dei prædicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere; & in cætera omnia pastoralia incumbere: Quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, & assistunt, sed mercenariorum more deserviunt: Sacro-Sancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio & veritate pascant, & regant. Ne verò ea, quæ de residentia sanctè & utiliter jam antea sub fel. rec. Paulo 3. sancita fuerunt in sensus à Sacro-Sanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti, quinque mensibus continuis abesse liceat.* Et ulteriùs præcipit, ne absint temporibus Quadragesimæ, Paschæ, Nativitatis, &c. Diebus, quibus oves maximè gaudere debent præsentiâ Pastoris: Ne Episcopi plusquam 3. mensibus sine justâ causâ absint, ut quando Episcopi in comitiis vel statibus assidere debent, prout hîc in Belgio observatur. Quòd si sine justâ causâ diutius absint, fructus pro rata temporis absentiæ non faciunt suos, ultra quod peccent mortaliter: Neque possunt eosdem tutâ Conscientiâ, aliâ etiam declaratione non secutâ, sibi retinere, sed tenentur illos dare aut Ecclesiæ fabricæ, aut pauperibus loci. Idem extendit Concilium ad omnes curatores inferiores quorum officio animarum cura annexa est, quoad dictas pœnas & culpas. Ut autem parochi aliqua de causa

Præceptum residentiæ.

causa diutius abesse possint, requirit Concilium, ut causa sit ab Episcopo cognita & approbata: Deinde revocat omnes consuetudines, & statuta, quibus ante licitum erat abesse ultra 3. menses, *Etiamsi*, ait, *sit immemorialis, quæ potius corruptela censenda est*; Non ideo tamen revocat aliquorum privilegia, si qui ea habeant. Conformiter ad dictam inhibitionem Concilii Trid. statuunt statuta Ordinis nostri, *Ne Pastores sine manifesta vel propria vel Parochiarum suarum necessitate, locum residentiæ suæ exeant, omnesque vagos discursus evitent.*

Statuta Præmonst.

Prædictis constitutionibus non obligantur Abbates vel Priores, nisi curam sæcularium officio suo annexam habeant: de quibus tamen ita conformiter ad Concilium Trid. statuunt dicta nostra statuta dist. 2. c. 2. de officio Abbatum: *Omnes Prælati, prout omni jure obligantur, strictè resideant, ut suo gregi, cujus sanguis à supremo pastore, de ipsorum manibus requiretur, vigilanter intendere queant. Rarissimè autem absint, nisi aliud officii eorum ratio postulet, quo in casu domui suæ bene prospiciant, ac assiduè curent, ne subditi per eorum absentiam aliquod detrimentum patiantur: Scientes, quod non sit admittenda Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & ipse earum custodiæ minimè incumbens, nescit.* Viderint, an non peccent mortaliter ii, qui neglectis ovibus propriis, disciplinam monasticam depravari sinunt, apud externos commorando, & regimen domesticum indignis, imò aliquando scientiâ & experientiâ monasticâ vixdum imbutis relinquentes: Viderint, an non sint causa moralis omnium damnorum inde obvenientium. Neque excusantur hîc illi, qui more custodum carceris subinde ad suos divertunt, & vident an omnia sint in tuto & bene conserventur, solùm contenti, si oves stabulo includantur, ipsi vagentur pro sua libidine.

Residentia Abbatum

Causa non residendi. Dicendum 2. Justa causa beneficiatis dictis se ultra præfixum terminum absentandi esse potest, auditio Theologiæ aut juris canonici usque ad 5. annos:

nos : Idem est de Doctrina eorumdem aliis facta : Utilitas Ecclesiæ ejusve necessitas ; honesta consuetudo, ubi Concilium non est receptum : Item, si quis Romæ de consensu capituli moretur, ut praxi Romanæ studeat ; quod si absint, tempore absentiæ non recipiunt distributiones, nisi ubi aliter legitimâ consuetudine præscribente sit in usu, prout est alibi hîc in Belgio.

Dicendum 3. Potest Capellania vel plures, erigi in Pastoratum, etiam reducendo missas talibus Cappellaniis addictas. Vetat quidem Synodus Trid. Sess. 23, c. 18. Uniri vel variari beneficia cum diminutione divini cultûs, tamen id non vetat, quando illud bonum Ecclesiæ postulat. Et quamvis in dicto casu Missarum numerus diminuatur, facilè illæ compensantur onere pastorali. Sic quoque potest Episcopus onera Missarum reducere ad minorem numerum, eo quòd aliàs justo stipendio persolvi non possint, v. g. si à 300. vel 400. annis fundatæ sint, quibus temporibus rarior & carior erat pecunia, adeo ut, quod tunc justum stipendium erat pro 6. aut 7. Sacris, modo non sit justum pro unico ; quo fit, ut antea potuerint vel unico beneficio debitè sustentari, ubi jam tribus aut quatuor simul adunatis vix possunt. *Reductio missarum & beneficiorum immutatio.*

Dicendum 4. Qui habet beneficium à patrono hæretico sine legitima collatione ordinarii collatoris, non potest tutâ conscientiâ illud retinere : Patronus enim solus, non potest conferre jus in re aut beneficium, sed solum jus ad rem : Ad hoc enim prius, indiget collatione : Unde, si sciens illud beneficium ita occupet, fit intrusus, & fit inhabilis ad idem beneficium : aliud est de ignorantibus, v. g. pueris, &c. Hoc tamen notandum est, illicitum esse, emere beneficia ab hæreticis : Optimo verò consilio à Pontifice occultè talis beneficii collatio hoc casu petenda esset : & ulteriùs agere de fructibus beneficii, non involvendo titulum, de ejusdem dispensatione *Patronus hæreticus.*

quo

quo casu erit redemptio fructuum, quos hæretici injustè possident.

Collatio beneficii ab Episcopo solùm confirmato.

Dicendum 5. Tenet collatio beneficii ab Episcopo confirmato solùm, nondum in possessione Episcopatûs existente, hîc in Belgio: quod addo, quia aliud vetat regula Cancellariæ Romanæ, quæ in aliis Provinciis non obligat, nisi ibidem promulgata sit & acceptata: adeoque videtur potius regula particularis Cancellariæ Romanæ, quàm universalis Ecclesiæ totius. Talis autem potestas de jure communi competit Episcopis solùm confirmatis.

SECTIO VII.

De habitu & tonsura Ecclesiasticorum.

Origo tonsura Ecclesiastica

DICENDUM primò, Tonsuram Ecclesiasticorum ab ipso S. Petro originem duxisse, testatur Rabanus l. 2. de institut. Cleric. c. 2. qui dicit, hunc ritum S. Apostolum *primum sumpsisse, ut formam & similitudinem Christi in capite gestaret, dum pro redemptione nostra Crucis patibulum subiturus, à nefanda Judæorum gente acutis spinarum aculeis coronaretur.* Debet ergo in modum sphæræ seu coronæ coma abradi & tonderi, prout variis Conciliis, & universalis Ecclesiæ usu receptum est & statutum.

De habitu verò ita statuit Conc. Trid. sess. 14. c. 6. *Etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitûs extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Tanta autem aliquorum inolevit temeritas Religionisque contemptus, ut propriam dignitatem & honorem Clericalem parvi pendentes, vestes etiam deferant publicè laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis alterum in carnalibus. Propterea omnes Ecclesiasticæ personæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut dignitates, Personatus, officia, aut beneficia qualiacumque Ecclesiastica*

clesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalem, illorum ordini & dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio & beneficio ac fructibus & redditibus & proventibus ipsorum beneficiorum, nec non si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum hujusmodi coërceri possint & debeant: secundum Constitutionem Clementis V. in concilio Vienensi editam, quæ incipit: QUONIAM, &c.

Quisnam verò sit debitus Clericorum amictus, & consuetudine & præscripto debet esse talaris, neque sericus aut alias pretiosus & rarus, *nec*, ut ait Augustinus in regula, *Sit notabilis habitus, nec affectent vestibus placere, sed moribus*. Coloris autem nigri esse solent, etsi enim teste Baronio ad annum 393. omnes Clerici violaceo colore amicti incederent, tamen color ille communi Ecclesiæ usu solis reservatur Episcopis. *Amictus Clericorum.*

Dari tamen possunt varii casus, quibus alio amictu, etiam sæculari possent Clerici indui, v. g. si illud necessitas exigat, dum in partibus hæreticis degunt, eo causa necessitatis aut honestæ recreationis divertunt: sicut etiam veste non talari, sed breviori Clerici usu communi incedunt, dum itinerantur. In aliis Clericis regularibus, extra tonsuram, quisque ordo suos habet limites vestium & ordinationes.

Qui & quando Clerici teneantur ad horas, dicam in sequentibus.

CA-

CAPUT NONUM.

De Simonia.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Simonia, quale peccatum & quo jure prohibita.

Quid Simonia, & quotuplex

DICENDUM primò, *Simonia* est studiosa ideft deliberata voluntas emendi vel vendendi rem spiritualem vel spirituali annexam. *Emendi & vendendi* comprehendit, omnes contractus, ut est elocatio, &c. Per *rem spiritualem* intelligitur donum Spiritûs Sancti quod ad salutem operatur; ut potestas absolvendi, ordinandi, &c. Simonia alia est mentalis, alia conventionalis, alia realis. *Mentalis* est, quando recipiens vel præstans alteri rem spiritualem, intendit alium obligare ad aliquid pretio æstimabile reddendum. *Conventionalis* est, quando vel ab una parte vel utraque fit externa conventio de dando temporali pro spirituali. Huc solet referri *Simonia confidentiæ*, quando datur spirituale, cum tali pacto & obligatione, quod accipiens postea tenebitur rem spiritualem alteri dare: v. g. habet quis Canonicatum, quem vellet resignare Petro nepoti, sed ob defectum ætatis inidoneo, interim illum resignat Paulo, eâ conditione ut posteà idem beneficium det Petro, dum habebit annos requisitos. Simonia *realis* est, quando pactio ex utraque parte saltem inchoativè impleta est.

Porro *Simonia* nomen sortita est à *Simone mago*, qui act. 8. *Volebat emere Spiritum Sanctum quia volebat vendere Spiritum Sanctum* ut ait S. Aug. tract. 10. in Joan. est autem omni jure prohibita Simonia: in primis enim

jure

Jure naturæ, eo quòd sit contra naturæ ordinem; quòd res dignior subjiciatur viliori, *in hoc enim errant homines, quando subdunt pretiosa vilioribus*, ut ait S. Aug. c. 13. de mendacio. Unde & juxta Scripturam, Simon Magus existimavit donum Dei pecuniâ posse possideri, in quo Simonia consistit. Deinde juxta Apost. 1. cor. 4. homo non est Dominus rerum spiritualium, sed solùm dispensator; jam autem est contra ordinem naturæ, quòd homo rem spiritualem velit vendere, cujus non est Dominus. Denique jure civili & Canonico sæpiùs interdicitur Simonia, unde & alibi in jure vocatur *execrabile flagitium*: *Simoniaca pestis*, *& instar criminis læsæ Majestatis*. Patebit hoc latiùs ex dicendis de pœnis Simoniacorum. Patet verò ex dictis, omnem Simoniam esse contra justitiam, dum aliquis usurpat Dominium rerum, quod non habet: sequitur quoque, quòd neque Deus ipse possit facere, ut Simonia sit licita; cùm facere nequeat, ut liceat, quod ordinem naturæ pervertit, dùm viliora præponit pretiosioribus, sicut nec potest facere, ut liceat se creaturis postponere.

Malitia Simoniæ in quo sit sita.

Dicendum 2. Datur tamen probabiliùs Simonia juris humani, adeo ut non foret Simonia, si Ecclesiæ prohibitio aut dispositio non interveniret. Potest enim Ecclesia per suam dispositionem efficere, ut illud, quod est naturâ suâ vendibile, reddatur invendibile ob connexionem cum re spirituali, uti factum est in jure percipiendi temporalia ob connexionem cum divino officio, respectu beneficiorum. Deinde, sicut Ecclesia suâ dispositione efficere potest, ut locus sacer reddatur immunis, adeo ut peccet judex reum eò confugientem extrahens; ita & efficere potest, ut id, quod est vendibile, fiat invendibile, adeo ut peccetur contra Religionem si vendatur.

Simonia juris humani.

Dicendum 3. Ad dignoscendum generaliter, quandonam simonia committatur, videndum est, an res spiritualis, vel illi annexa detur vel accipiatur pro re pretio æstimabili, sive pro munere sive à manu

Quandonam committitur Simonia.

five à lingua, five ab obfequio, etfi illa munera fint folum motivum dandi illud fpirituale, non item verum pretium. Ex quo deduco fequentia.

Ad Simoniam fatu eft quod temporale pro fpirituali detur tamquam motivum.

1. Quidem, quòd fit Simonia dare aliquod fpirituale pro temporali tamquam motivo, quare detur: Nec enim verofimile apparet Balaàm, Giezi, Simonem magum aliàs recepiffe aut obtuliffe pecuniam, quam ut erat motivum dandi vel offerendi fpirituale pro temporali. Unde contraria fententia à variis tradita *Ad implendam Lupis Ecclefiam, & corrumpendam ejus in fonte, hoc eft Sacerdotum Ordine, Sanctitatem inventa eft*, Ut ait Archiep. Senonenfis in cenfura ejufdem propofitionis. Deinde poftquam 1657. à facultate Lovanienfi damnata effet hæc propofitio, ejus damnationem hoc anno confirmavit Innocentius XI. hanc ut fcandalofam profcribens: *Dare temporale pro fpirituali, non eft Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, fed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi fpirituale, vel etiam quando temporale fit folum gratuita compenfatio pro fpirituali, aut econtrà.*

Et hanc fequentem: *Et id quoque locum habet, etiamfi temporale fit principale motivum dandi fpirituale immò etiamfi fit finis ipfius rei fpiritualis, fic ut illud pluris æftimetur, quam res fpiritualis.*

Munus ab obfequio.

2. Sequitur, quòd fit Simonia, fi quis alteri beneficium conferat, pro obfequiis præftitis, vel ut obfequium poftmodum ab eo obtineat: Datur enim res fpiritualis pro re temporali, puta obfequio, five ea detur ut pretium, five ut gratuita compenfatio. Aliud effet, fi perfonam, quæ nobis fuit obfequiofa, præficiamus alteri ignotæ, non intendendo per hoc munerare obfequia præftita, modò perfona illa fit æquè digna beneficio.

Datur Simonia rei fpiritualis pro re fpirituali.

Sequitur 3. Non effe neceffarium ad Simoniam, quòd res fpiritualis detur pro temporali, cùm etiam illa fubeffe poffit, quando res fpiritualis fine legitima authoritate permutatur, de quo poftea. Deinde in jure decerni-

decernitur Simoniacum, si quis alteri pro voto Abbatiæ, promittat Prioratum, ut patet ex capt. *de hoc*, de Simonia. Malitia enim Simoniæ, uti dictum est, in eo sita est, quòd quis non habens Dominium rei spiritualis, sed solùm dispensationem, sine legitima authoritate eam in alium transferat.

Simonia pro labore rei aut actionu sacra. Sequitur 4. Simoniacum esse aliquid pretio æstimabile accipere pro labore intrinseco rei vel actionis spiritualis. Qui enim gratis debet præstare functionem sacram, etiam gratis debet præstare laborem ad illam functionem requisitum, cùm labor ille sit inseparabilis à tali functione: unde si unum vendit, vendit & alterum: aliud est, si quid detur pro sustentatione fungentis officio spirituali, quo casu non habetur respectus ad opus, sed ad personam. Sic dicit Scriptura dignum esse operarium mercede sua, & qui Altari servit, de Altari posse vivere.

Pro Doctrina Theologica, Catechistica, &c. Sequitur 5. Non esse Simoniam aliquid accipere pro tradenda Doctrina Theologica: partim quòd illa scientia prout innititur principiis speculativis, non est quid spirituale: partim quòd hæc traditio Doctrinæ solùm ordinetur ad exercitandam memoriam, vel excitandum intellectum audientis. Aliud est in Catechesi vel concione, pro qua præcisè aliquid accipere, est Simoniacum, cùm pro fine habeant instructionem in ordine ad salutem animæ, adeòque annexa sunt rei spirituali. Poterit tamen aliquid dari Catechistis & Concionatoribus per modum sustentationis, sicuti celebrantibus sine Simonia dantur stipendia.

SECTIO II.

An sit Simonia aliquid accipere, vel exigere ab illis, qui ingrediuntur Religionem.

Pro ingressu aut professione Religiosa.

DICENDUM primò, certum est esse Simoniam, dare aliquid vel recipere pro ingressu aut professione Religiosa, tamquam pretium aut motivum ingrediendi aut profitendi. Sequitur clarè ex jam dictis. Unde Simoniaci sunt parentes ingredientium, qui dum vident filium non satis aliàs instructum aut Religioni idoneum, offerunt pro ingressu aliquam pecuniæ summam, quâ superiorem movent ad filium recipiendum. Simoniaci itidem sunt superiores, qui talem ex tali motivo ad Religionem assumunt, ultra hoc quod graviter peccent, acceptando tales, qui Religioni sunt inidonei.

Casus incidens.

Sed quid, si parentes sponte suâ summam notabilem pro filio offerunt Monasterio satis dotato, v. g. summam 8. aut 10. millium florenorum, dicentes se tantum velle dare pro filii dote, quantum pro filiâ nuper nupta: filius autem ille eo tempore est juvenis planè inhabilis, quoad studia, & solùm superest spes, quòd tempore novitiatûs perfici possit & exerceri, quod & superior in se suscipit? Resp. Esse ibidem certissimò Simoniam, cùm filius ille accipiatur intuitu pecuniæ, cùm aliàs sit inidoneus: imò si dicat superior pecuniam suppleturam defectum idoneitatis, abunde indicat mentem suam, se filium suscipere intuitu pecuniæ. Neque censeri debent exclusa sola pacta explicita & formalia, sed etiam implicita juxta Conc. Trid. quale juxta morale judicium comprehendi videtur in dicto casu. Sed omisso nunc eo, alia specialia & extraordinaria in facto casus propositi displicent; primò quòd filius ille non recipiatur intuitu suæ capacitatis, sed peccuniarum. Secundò, quòd

non

non foret recipiendus, nisi mediante summâ longè majore, quam ad ejus intertentionem sit necessaria: tertiò quòd ista contingant, etiamsi Monasterium, si rectè administraretur, possit suis bonis illum alere. Propter quæ, judicamus ejusmodi receptionem, tam ex parte parentum, quam ex parte Monasterii esse illicitam, neque videmus, quomodo illa receptio possit à Simonia excusari.

Huic favet, quod docet S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. a. 2. ad 7. ubi ait: *Si sine gravamine monasterii possit recipi novitius, Simoniacum est aliquid exigere.*

Sunt tamen qui non distinguunt, utrum monasterium sit dives vel pauper, uti Dom. Soto de jure & just. l. 9. q. 6. a. 2. in fine ubi ait: *Respondetur nihilominus opulentiam monasterii nihil prorsus facere, ut quæ in paupere non erat Simonia, sit in divite. Et ratio est patentissima: Nam Simonia ex objecto speciem sortitur nempe quia spirituale venditur, puta professio ipsa & locus in Religione. Si autem illud caveatur, & pecunia non nisi pro victu recipitur, etiamsi monasterium illo subsidio nullatenus egeat, poterit quidem esse peccatum avaritiæ, non tamen Simoniæ. Sed hoc tantum fatendum est, quod præsumitur Simonia: Nam si victus est abundans, præsumitur pecuniam recipi pro ingressu, prout illic convincit Silvester. Quo circa monasteria ditissima, quæ pauperes recipere absque pretio renuunt eodemque ingenti, profectò citra scandalum facere id non possunt.* Hæc ille. Ex quo saltem hoc habetur, quòd sit scandalosum monasterio diviti recipere aut exigere ab ingredientibus amplas dotes, imò & aliquando monasterii ejusque honoris ruinam, & pecuniam cum illo esse in perditionem.

Quod tamen nec pro jure sustentationis aliquid exigere liceat, etiam in monasteriis egentibus, declarat Dionys. Carth. opusc. de Simonia l. 1. art. 11. ubi ait: *Præterea si dicant se facere talem exactionem & pactionem considerando rem temporalem non ut pretium rei spiritualis, sed ut est stipendium aut sustentaculum vitæ,*

tæ, jam patuit illud non sufficere nec valere. Nam & simili palliatione posset pene omnis Simoniaca pravitas excusari. Simili quoque modo posset de missa celebranda & anniversario concedendo fieri pactio, cujus contrarium dicunt Doctores concorditer. Insuper exactionis pactionisque hujus forma est in se inhonesta ac scandalosa, repugnans decori Ecclesiæ, & derogans sinceritati Religionis monasticæ, propter quod Urbanus Papa eam totaliter ac apertissimè reprobat. Videri potest idem author ibidem plurima ad rem nostram spectantia adferens.

Dicet aliquis communem esse Ecclesiæ praxim, de tali sustentatione stipulari in monasteriis tenuibus: imò alibi, uti etiam Romæ, statui in quibusdam monasteriis, ne aliqua admitteretur, nisi solutâ aliquod millium aureorum summâ: Quod tamen Ecclesia permittere non posset, si foret hoc Simoniacum aut ita scandalosum. Resp. hujus objecti ratione, plurimi in contrarium convenerunt, scilicèt in praxi hoc esse modo licitum, sciente nec contradicente Ecclesiâ prout à 2. annis vidimus Romæ à variis subsignatum. Verùm cùm sustentatio sive jus ad illam ita professioni annexum est, ut præbenda beneficio, hactenus non video quomodo ratione ejus possit aliquid exigi ab introeuntibus monasterium: Neque etiam, quomodo aliquâ lege humanâ dispensari possit in lege divina, *Gratis accepistis, gratis date*: Ex qua tot & tam arctæ constitutiones Ecclesiæ circa pacta ingredientium monasterium. Certè an legitima esse possit praxis, tot Ecclesiæ & Dei ipsius constitutionibus contraria, meritò dubitatur. Hinc etiam Conc. Trid. Sef. 25. c. 3, ne hujus prætextu, puta quòd plures accipiant quam possent sustentare monasteria, pactiones facerent, statuit, *Ut in monasteriis & domibus tam virorum, quam feminarum is tantum numerus constituatur & conservetur, qui ex propriis reditibus monasteriorum vel consuetis eleëmosynis commodè possit sustentari.* Quæ Tridentini Constitutio si exactiùs observaretur, non esset

esset necessarium ad ejusmodi pacta cum scandalo recurrere, nec communitatem tantopere gravarent importunis eleëmosynis.

Unum tamen obtendunt aliqui, quòd ratione ejus quod cedat monasterium juri succedendi in bona novitii aut professi, aliquid possit ab illis exigi: cùm variis privilegiis indultum sit variis Ordinibus, ut possent succedere monasteria in bona professi, si vellent, ac si mansissent in sæculo. Verùm, quidquid sit de aliis Provinciis, certum est, quòd variis legibus privilegia dicta sint hîc in Belgio abrogata, unde in vim eorundem non posset aliquid exigi, cùm non possit aliquid exigi pro jure, quod ampliùs non habetur. Quare titulus ille perquam idoneus est palliandæ Simoniæ. *Non licet accipere pro cessione juris, quod quis non habet.*

Certum tamen est ingredientem vel profitentem liberaliter aliquid dare posse Ecclesiæ vel monasterio, cui incorporatur.

SECTIO III.

De Permutationibus Beneficiorum Simoniacis.

DICENDUM primò, Permutatio beneficii sine debitâ authoritate facta, est Simonia jure divino interdicta. Ratio est, quòd jus divinum dictet, ne res spirituales indebitè tractemus, ne de eis disponamus tamquam essent nostræ, ubi tamen earumdem sumus dumtaxat dispensatores. Debita autem authoritas permutandi est authoritas Ecclesiæ, cui amplissimam dedit Deus potestatem de rebus spiritualibus disponendi. *Permutatio beneficii Simoniaca.*

Dicendum 2. Sequitur ex dictis, quòd simoniacum sit, permutare propriâ authoritate beneficia cum fructuum inæqualitate compensatâ. Ratio patet ex dictis: quibus adde jus Ecclesiæ, quod prohibet privatâ authoritate separari jus percipiendi fructus, ab *Beneficii permutatio Simoniaca.*

ab ipso titulo percipiendi fructus. Deinde illa major dignitas est quid spirituale, unde non potest pecuniâ æstimari. Aliud est, si accedat superiorum authoritas, & patet ex communi Ecclesiæ praxi. Pro quo notandum est, in beneficio duo posse considerari, jus percipiendi fructus temporales, aliud quod jus illud ex ordinatione Ecclesiæ annexum sit titulo spirituali v. g. Pastoratus, Canonicatus, &c. unde, sicut jus illud, Ecclesiæ ordinatione annectitur illi titulo, sic in permutationibus prædictis, authoritate Ecclesiæ ab eodem titulo separatur & alteri titulo conjungitur. Debet tamen adesse rationabilis causa, ut talis permutatio possit concedi.

Resignatio beneficii. Dicendum 3. Licitum quandoque est beneficia resignare alteri, servatâ sibi certâ pensione, si tamen debitæ conditiones adsint, puta, quòd illud fiat legitimâ authoritate; ut pensio sit moderata, nec excedat limites à jure præscriptos: ut sit justa causa creandi pensionem, v. g. si pastor sit senex, &c. Idem est de resignatione vel permutatione facta in manus ordinarii, idest *si ordinario placuerit.*

Restitutio rerum Simoniacè acceptarum. Dicendum 4. Pretium simoniacè acceptum, jure naturæ debet restitui, eo quòd nullo titulo possit retineri; cùm contractus à principio fuerit nullus: hoc autem intelligi debet de iis bonis spiritualibus, quæ restitui possent, aliàs Sacramentum Baptismi v. g. simoniacè acceptum, dimitti non potest.

Debet autem de jure Ecclesiæ talis restitutio fieri in pios usus, nec restituendum est illi à quo accepit, cùm utrumque tam dantem quam accipientem velit Ecclesia punire. Ita habet capt. *audivimus* & capt. *de hoc*, de simonia.

Pœnæ Simoniæ. Dicendum ultimò, Variæ simoniæ reali constituuntur pœnæ à jure positivò: primò, quòd illa facta circa Religionis ingressum, inducat excommunicationem; Conventui, si consenserit, suspensionem; simoniacè verò ordines conferens, est excommunicatus, suspenditur à collatione ordinum, & ab execu-

cutione

cutione omnium munerum pontificalium, interdicitur illi ingressus Ecclesiæ, non potest absolvi, nisi à Summo Pontifice: qui verò ordinem simoniacè susceperit, est excommunicatus, suspensus ab executione ordinum, &c. qui simoniacè accepit beneficium, sub quo comprehenditur Abbatia & Prioratus, est excommunicatus, omnis provisio & collatio ejus est nulla, fit inhabilis ad idem beneficium, mediatores in simonia beneficii & ordinis, ut parentes, amici, procuratores & omnes operam suam conferentes, sunt excommunicati, &c.

CAPUT DECIMUM.

De Religione.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Religio, & qualis sit virtus.

DICENDUM primò, *Religio* est virtus moralis, quæ debitum Deo cultum exhibet. *Cultus* est honor cum sui submissione alteri exhibitus: hinc differt ab honore, quia etsi Deus sanctos & amicos suos honorificabit, non tamen eos colet, cùm se illis non submittet. Debetur verò cultus Deo à nobis, titulis planè innumeris, titulo creationis, conservationis, redemptionis, &c. Differt Religio à virtutibus Theologicis, si propriè de Religione & eisdem loquamur; cum virtus Theologica habeat Deum pro immediato objecto *quod*, Religio verò habeat pro tali objecto cultum Deo debitum, cum Deus solum sit objectum *cui*: Deinde virtus Theologica habet Deum pro immediato objecto formali, fides, quia Deus verax est; spes, quia nobis bo-

Quid Religio quid cultus & quid honor.

Differt Religio à virtutibus Theologicis.

bonus eſt: charitas, quia Deus in ſe bonus eſt: Religio verò debitum Deo cultum refert, quia ipſi debitus eſt: adeòque ratio formalis proxima non eſt Deus ipſe, aut aliqua ejus proprietas, ſed debitum cultûs. Rectè tamen S. Auguſtinus docet, quòd *Deus non colitur, niſi amando*, eo quòd debita Religio ex amore erga Deum ſaltem virtualiter prodeat: ſic etiam docet, quòd Deus colatur fide & ſpe. Differt verò Religio à cæteris virtutibus moralibus, quatenus aliæ ſubjectum bene diſponunt in ordine ad ſe ipſum ut temperantia & fortitudo, aliæ vero in ordine ad proximos, v. g. juſtitia; Religio verò in ordine ad Deum.

Religio fit ex amore

Religio interna & externa.

Dicendum 2. Religio alia eſt interna, alia externa & interna ſimul. *Interna* eſt, quâ colimus Deum actu merè interno, v. g. contemplatione, æſtimatione divinæ excellentiæ, &c. *Externa* eſt, quando externis ſignis Deo debitum cultum exhibemus, v. g. eum ore oramus, coram eo genuflectimus, pectus tundimus, manus levamus, &c. Hæc autem Religionis ſpecies nulla eſt, ſi interna Religio non correſpondeat à qua procedat externa; adeo ut veriùs ſit Religionis ſimulatio aut umbra: Hinc in V. T. accuſantur illi, qui Deum externis actibus videbantur colere, ubi cor eorum non erat rectum cum eo. Præſtat interim Deum colere tam externè, quam internè, ut totum Deo demus, dum totum ipſi eſt debitum: unde pſalmiſta *Cor meum & caro mea exultaverunt*, &c. Pſalmo. 83.

Externa eſt interna neceſſario connexa.

Actus Religionis.

Præcipui Religionis actus ſunt, *devotio*, *adoratio*, *ſacrificium*, *votum*, &c *Devotio* eſt, voluntas promptè illa faciendi, quæ ad cultum Deo debitum ſpectant; unde eſt proximus actus virtutis Religionis, quo imperatur externa devotio, genuflectendi, orandi, pſallendi, &c.

SECTIO

SECTIO II.

De *Oratione*.

DICENDUM primò, *Oratio est adscensio mentis ad Deum*: & S. Bern. l. de Scala Claust. c. 1. *Oratio est devota cordis intentio in Deum*, &c. Ad hanc requiritur oculus fidei, quâ credimus Deum esse omnipotentem, bonum & paratum ad opitulandum: unde & Apost. ad Hæb. 11. dicit: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Requiritur insuper cognitio & confessio propriæ indigentiæ, & necessitatis, cui per orationem subsidium quærimus. Ad hæc requiritur spes, unde Jacobus 1. *Postulet in fide*, idest FIDUCIA, *nihil hæsitans.* Denique, sicut ad Religionem, ita ad orationem Religionis speciem requiritur amoris affectus erga Deum, unde imperetur saltem virtualiter oratio: Unde SS. PP. Orationem dicunt *Conversionem*, *intentionem cordis ad Deum*, *Deo adhærentis affectionem*, &c. *Quid sit oratio.* *Ad orationem requiruntur 3. virtutes Theologicæ.*

Dicendum 2. Oratio tam ad intellectum spectat, quam ad voluntatem. Ad intellectum quidem, quatenus iutellectus explicat, quod voluntas desiderat. Et quidem hæc pia voluntatis affectio aut desiderium ita necessarium est ad orationem, ut nulla sit oratio, cui hoc non adjungitur, quo pacto aliquibus à Deo exprobratum est Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est a me.* Patet quoque ex ante dictis aliâ conclusione 1. *Oratio spectat ad intellectum & voluntatem.*

Dicendum 3. Alia est oratio mentalis, alia vocalis. *Vocalis* est quæ sermone fit, ex intimo cordis affectu promanante. Hic enim cordis affectus, necessariò ad veram orationem pertinet. Neque ideo, non verè orare dicendæ sunt, quæ orant vocaliter idiomate, quod ignorant, v. g. moniales dum horas recitant: quia etsi verba non intelligant, finem tamen orationis *Oratio vocalis & mentalis.*

nis intelligunt, & ad illum intentionem dirigunt, qui est Deum colere & orare.

Mentalis est, quæ internè perficitur absque exteriori signo eam manifestante. De hac ait S. Textus 1. Reg. 1. *Quod Anna loquebatur in corde suo, tantumque movebantur labia ipsius, & vox penitus non audiebatur*: Hâc orabat Paulus dum ait *orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.* Tali orabat Psalmista psalmo 3. dum ait: *Voce mea ad Dominum clamavi*, de quo ita S. Augustin. *Non corporis voce, quæ cum strepitu verberati aëris promitur, sed voce cordis, quæ hominibus silet, Deo autem sicut clamor sonat.* Præstat tamen ob humanam infirmitatem mentali orationi adjungere vocalem, quatenus verba externa internam devotionem excitant, & ad internam attentionem sono suo conservandam, à distractionibus præservandum sunt idonea, hoc interim notato, juxta monitum Salvatoris, quod orantes nolint multum loqui, idest juxta S. August. Epist. 121. & c. 10. de orando Deum: *Aliud*, inquit, *est sermo multus, aliud diuturnus affectus.* Et infra. *Absit ab oratione multa locutio: sed non desit multa precatio, si fervens perseveret intentio; nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis verbis agere: multum autem precari est, ad eum quem precamur, diuturnâ & piâ cordis excitatione pulsare.*

Oratio publica & privata. Alia deinde est oratio publica, alia privata. *Publica* est quæ authoritate publicâ & Ecclesiæ nomine offertur, ut horæ Canonicæ, &c. *Privata* est, que privatâ voluntate & nomine privato offertur. Alia quoque *Implicita & explicita.* est oratio implicita, alia explicita. *Implicita* est, quando quidem explicitè non rogamus, sed in alio aliquo orantis affectus explicatur, v. g. in desiderio, contritione, &c. *Explicita* verò est, quæ explicito conceptu, seu explicitâ voce formatur. Alia oratio infu- *Acquisita & infusa.* sa, alia acquisita. *Acquisita* est, omnis ordinaria oratio, quam homo Dei gratiâ excitatus ordinario modo emittit. *Infusa* est, quæ extraordinariè homini infunditur à Deo, sic Deus dicit Zachariæ 12. quod effundet

det super habitatores Jerusalem; *Spiritum gratiæ & precum.*

SECTIO III.

An & quale præceptum sit orandi.

DICENDUM primò, attentâ pronitate hominis ad malum ex corruptione naturæ, & infirmitate ad bonum, necessaria est oratio. Quibus accedunt assidua labendi pericula, difficultates in exercitio virtutum occurrentes, quibus sine oratione & subsidii precatione vix poterit obviari, adeo ut Lucæ 18. dicat Salvator, *oportet semper orare.* Etsi enim Deus noscat, etiam antequam rogemus, quid cuique necessarium sit, tamen plurima non dare constituit, nisi mediante oratione, unde ait: *Petite & accipietis*, &c. Matth. 7. Hinc ait quoque S. August. Serm. 1. de S. Stephano: *si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* *Oratio necessaria.*

Præceptum illud obligat, quando gravis urget tentatio; hinc dicit Salvator: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Matth. 26. deinde obligat præceptum orationis, quando instat aliquod periculum, quod sine Dei ope superare non speramus: item quando peccator vult suscipere Sacramenta, tum enim peccatorum veniam rogare debet. Denique quando quis ad usum rationis pervenit, cum orationem diu differre, ad contemptum Dei pertinere videatur: uti aliàs sæpè. Ex dictis sequitur præceptum orandi esse divinum naturale, quatenus mediis necessariis tenetur quilibet tali jure procurare suam salutem, quod oratione faciendum est, cum *quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*, ad Rom. 10. *Quandonam oratio obligat.*

SECTIO

SECTIO IV.

De Horis Canonicis.

Quid importent horæ Canonicæ. DICENDUM primò, *Horæ Canonicæ* sunt officia divina, quæ Psalmis, Hymnis, canticis, &c. Publico ritu, per certas horas diei regulariter distribuuntur. Dicuntur *Canonicæ*, eo quòd per Canones Ecclesiæ sint impositæ. *Psalmus* est Cantus Ecclesiasticus, *Hymni* sunt Carmina, quæ ad Dei laudem canuntur: *Lectiones* sunt Historiæ Sacræ propositiones, quibus ad virtutem & imitationem sanctorum permovemur. *Cantica*, sunt quæ ad cantum modulantur in Ecclesia, & differunt à Psalmis, quod hi sint ad Psalterium compositi, illi verò ad humanam vocem. *Antiphona* est sacra sententia, quæ Psalmo canendo præmittitur & subnectitur. *Responsoria*, sunt ejusmodi sententiæ, quarum aliqui unam partem inchoant, & alii alteram respondent. *Capitula & versus* sunt quoque sententiæ sacræ ex Scripturis aut Concilis deprompptæ, legi solitæ ad instructionem & excitationem legentium & audientium. *Collectæ* denique sunt orationes, quibus fidelium vota Deo exhibentur.

Quot sunt horæ Canonicæ Dicendum. 2. Horæ Canonicæ sunt 7. *Matutinum cum Laudibus: prima: tertia, sexta, nona, Vesperæ & Completorium.* Horæ illæ sunt antiquissimæ, de quibus meminit ipse Psalmista dicens Psal. 118. *Septies in die Laudem dixi tibi:* Et ibidem Matutinum designans ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*: Primam verò innuit ibid. dum ait: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculò.* Tertiam, sextam, nonam, & vesperas, dum ita psallit Psalm. 54. *Vespere & mane & meridie narrabo & annuntiabo.* Completorium denique dum ait: *Si adscendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, donec inveniam locum Domino.* Psalm. 131. Sic etiam act. 3. & 10. adscenderunt in Templum Petrus

trus & Joannes ad horam orationis nonam, & Petrus adſcendit in ſuperiora, ut oraret circa horam ſextam.

Tempus verò quamque horam legendi diverſum eſt in variis Eccleſiis & Religionibus, uti praxis docet. Nonnulli & ſatis fundatè docent, Matutinum per tria noctis ſpatia abſolui olim ſolitum, puta in principio, medio & fine noctis. Tempus verò illis horis vel uſu vel conſtitutionibus Eccleſiæ immutare, ſi juſta cauſa ſubſit, non eſt adeo deforme, uti etiam juſta de cauſa immutare ordinem horarum inter ſe. *Tempus horarum.*

Modum verò horas illas recitandi dat capt. *dolentes*, ubi ita dicitur: *Diſtrictè præcipimus in virtute S. Obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudioſè celebretur pariter & devotè.* *Modus recitandi horas.*

Per to *Studioſè* imponitur obligatio ita officium perſolvendi, ſicuti in ſerio negotio requiritur, ut accuratè fiat. Deinde inhibet, ne perfunctoriè peragatur, ſed modeſtè & elaboratè. Unde maledicitur homo, qui facit opus Dei negligenter. *Quid ſignificet ſtudioſè & devotè.*

To *devotè* importat devotum mentis affectum inter orandum, adeo ut attentè & intenté officium peragant. *Intentio* requiritur ſaltem virtualis, quâ quis intendit obligationi ſuæ per horas ſatisfacere, Deum colere, &c. *Attentio*, ut attendat quid faciat, non tantùm ut pſittaci verba pronuntiet, ſed & internus devotionis affectus adſit & verba animet. Unde non ſatisfacit præcepto legendi horas, qui illa agit, quæ cum attentione debita horarum ſunt incompatibilia, v. g. ſi quis eo tempore, quo alter chorus canit, fabulatur, voluntariè ſe aliò divertit, &c. Deinde, non ſatisfacit præcepto de legendis horis, qui ſolum materialiter verba horarum profert, ſine interna intentione requiſita ad orationem. Nec hîc objici poteſt, Eccleſiam non poſſe præcipere actus merè internos, cujus contrarium docuimus de legibus, cum illud juxta omnes poſſit indirectè, quando internus actus ad actum externum præceptum, eſt neceſſa- *Quid ſit attentio.*

cessarius. Non tamen debet quis penes se expresse dicere, *Volo recitare horas*, aut etiam se reflectere supra suam intentionem, sed satis est, quòd virtualiter oratio à præterita intentione, sed virtualiter perseverante censeatur exire. In dubio autem, an habuerit quis sufficientem attentionem & intentionem, judicandum est eam se habuisse, cùm in dubio hîc possit esse melior conditio possidentis. Hoc serviat scrupulosis, & sibi & aliis in legendis horis molestis.

Porrò interdicitur omnis ille recitandi modus, quo fit, ut officium, vel non devotè, vel non studiosè recitetur. Hinc syncopatio verborum, uti fieri solet in semiebriis, semisomno gravatis, &c. Impedit lectionem horarum, & si per notabilem partem duret, est peccatum mortale. Idem est de omni actione incompatibili cum vera oratione. Intentionem quoque, & attentionem debitam dat D. Bern. serm. 47. in cant. *Vos moneo*, ait, *dilectissimi purè semper ac strenuè divinis laudibus interesse.... ut nihil dum psallitis, quam quod psallitis cogitetis. Nec solas dico vitandas cogitationes vanas & otiosas, vitandæ sunt & illæ, illâ duntaxat horâ & illo loco, quas officiales fratres pro communi necessitate, quasi necessariò frequenter admittere compelluntur: sed ne illa quidem profectò recipere tunc consuluerim, quæ fortè paulò ante in claustro sedentes in codicibus legeratis, qualia & nunc me vivâ voce differente, ex hoc auditorio Spiritus Sancti recentia reportatis, salubria sunt, sed minimè illa salubriter inter psallendum revolvitis.* Hæc ille. Unde rectè hîc illud locum habet, *Age, quod agis.*

Distractio in recitatione horarum. Dicendum 3. Distractio voluntaria in recitatione officii, ita ut nec ad ipsam recitationem, nec ad finem ejus intrinsecum attendat, si materia sit gravis, est peccatum mortale, neque illâ distractus obligationi suæ recitandi satisfacit. Censetur verò quis voluntarie distractus, quando vel in se vel in causa ponit actum incompatibilem cum attentione requisita, v.g. voluntarie se alio divertendo: Item si se distra-

distractum sentiens, animum ad horas revocare negligat; aliud est si involuntarias distractiones habeamus ob volubilitatem naturæ nostræ, quas quasi inviti patimur, cùm illas subterfugere nobis sit moraliter impossibile. Tenetur tamen illas, dum easdem sentit, rejicere & animum ab eisdem avocare. Neque hic nimium indulgendum scrupulis, cum satis sit naturales illas distractiones, dum sentiuntur, rejicere, & antea animam ad orationem præparasse. Si enim tanta obligatione, & tam præcisè ad horas obligasset clericos Ecclesia, prout sibi quidam scrupulosi imponunt, & inesse judicant: onus certè intolerabile impositum esset, cum detrimento sæpè animæ & corporis, uti aliquando experentiâ patet.

SECTIO V.

De iis, qui ad horas recitandas sunt obligati.

Dicendum primò Obligantur quotidie ad horas recitandas Sacerdotes, majoribus ordinibus insigniti, id est Diaconi & Subdiaconi: item beneficiati omnes, cùm beneficium detur propter officium, Religiosi & Religiosæ ex vi suæ Regulæ ad id obligatæ, aut qui aliàs ex voto, vel pacto aliquo ad horas obligantur. Deinde Canonici, qui tenentur singulis horis cantandis aut legendis interesse choro: neque ullatenus audiendi sunt, qui docent, solùm eos debere interesse, quando aliquid muneris ipsis est obeundum, sic enim raro interesse aut residere tenerentur. Eâdem censurâ digni sunt, qui docent eos solùm obligari, ad interesse uni aut duabus horis, aut sacrificio missæ: plus enim Canones & Concilia requirunt; aliud est, si aliunde justo impedimento detinerentur, ut in solemnioribns festis, ratione alterius officii incompatibilis. Unde dico teneri Canonicos interesse singulis horis, idque ex virtuali con- *Obligati ad horas.*

tractu justitiæ, in fundatione & collatione beneficii contento, ad hoc enim Canonicatus sunt primariò instituti, ut officium publicum in choro persolvant, ob quod stipendia tam ampla recipiunt. Nec solùm requiritur eorumdem præsentia materialis, sed formalis & moralis, id est ad orandum ordinata. Unde, etsi corpore adsint, si tamen fabulentur, excurrant, aliò distrahantur voluntariè, &c. non censentur obligationi suæ satisfacere. Nec refert quod per consuetudinem censeantur aliqui canere per Cantores & Capellanos, cùm ipsi equidem obligentur exhibere præsentiam religiosam & modestam, quod satis indicat Conc. Trid. sess. 24. c. 12. reform: ubi ait, Canonicos *Debere assistere, & in choro ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distinctè & devotè laudare.* Ab hac obligatione excipiuntur ob justam causam, puta morbos, studiorum instructionem, & alia impedimenta, ratione quorum sine suo gravi damno, aut alterius, choro adesse non possint. Quod si abfuerint sine justa causa, ita præscriptum habent à Conc. Trid. sess. 24. c. 12. *Distributiones verò, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione aut remissione exclusâ, his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit:* Consuetudinem : *quod S. Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus.*

Præsentia formalis & moralis.

Dicendum 2. Idem dicendum est de beneficiatis & præbendatis, qui ad chorum sunt destinati, ob dictam de Canonicis rationem: Idem est de stipendiariis, qui loco Canonicorum officium persolvunt cum in se obligationem eorum assumant, ergo tenentur choro assistere, & officium devotè ac studiosè persolvere. Stipendiarii verò ad musicam, solum obligâti sunt ad persolvendum cantum materialem ut organistæ, eo quòd finis eorum stipendii non sit alius.

SECTIO

SECTIO VI.

An regulares omnes, & potissimum Moniales teneantur ad horas in conscientiâ.

Dicendum primò, Certum esse, quòd in choro regularium qui ad chorum sunt deputati, debeat sub mortali officium horarum persolvi, cui invigilare debent superiores. Idem est de omnibus regularibus in majoribus ordinibus constitutis, & qui ex vi regulæ suæ ad illam obligationem aliàs tenentur, certum quoque est, non peccare graviter Laïcos omnes, qui indies aliquot *Pater & Ave*, vel *miserere* legere debent, si illa aliquoties omittant, nisi adesset scandalum aut contemptus. *Moniales an ad horas privatas sint obligandæ.*

Dicendum 2. Religiosi & Religiosæ etiam ad chorum professæ, extra majores ordines constituti, satis communiter dicuntur obligati ad horas quotidie, etiam dum à choro absunt, privatim persolvendas: ratio eorum est, quòd consuetudo illa hoc onus jam imposuerit, & communi æstimatione censeatur graviter peccare talis monialis, si privatim horas legere negligat. Verùm hæc sententia aliquibus numquam visa est satis certa: tum quòd non constet, consuetudinem illam esse inductam animo eas obligandi, quod ad consuetudinem vim legis habentem requiritur: tum, quòd illa consuetudo induci non potuerit, nisi mediante hominum opinione, quæ de tantâ obligatione facilè tollitur, monstrando eam inniti falso fundamento. Ratio ergo hujus sententiæ est, quòd moniales non sunt ad hoc obligatæ vi voti aut professionis, neque ex regulâ, neque ex Ecclesiæ præscripto, adeoque non nisi Consuetudine, de quâ, uti jam dictum est, non satis constat. Deinde Canonissæ Montenses, Nivellenses, &c. Non tenentur ad horas sub tantâ obligatione, ergo nec Moniales.

Ità aliqui, & maximè Petrus Marchantius Tom. 2. Tribunalis Sacram. tract. 2. p. 2. tit. 3. sect. 1. q. 2. ubi ait, consuetudinem illam esse solùm inductam titulo pietatis & devotionis. Idem sentit & Lessius in resolut: V. *horæ Canonicæ*, ubi docet solùm obligare illam consuetudinem, per modum statuti sub aliquâ pœna, non verò sub culpa mortali. Imò contrarium ei videtur durum & parum humanum, quia sine ulla necessitate vel notabili utilitate præbetur occasio plurimorum peccatorum mortalium, & scrupulorum, quibus plurimæ bonæ virgines creberrimè implicantur. Ita ferè ille, qui & addit, posse confessarium hanc opinionem in praxi sequi, & virginibus illis, quæ timore tantæ obligationis sunt anxiæ, dicere quòd sub lethali non obligentur. Denique concludit, quòd expediat uti sententiâ probabili, ob tantum bonum promovendum.

Verùm judico in praxi aliter esse procedendum, & dico, consuetudinem illam inductam esse sub obligatione gravi & non tantùm per modum statuti sub aliquâ pœnâ: ut autem clariùs id pateat, recolligendum est, conditiones ad consuetudinem vim legis obtinentem requisitas esse, 1. Ut sit rationabilis: 2. Quòd observetur à majori parte communitatis: 3. Quòd legislator seu superior tacitè in eam consentiat. 4. Quòd sit inducta animo obligandi. Ex iis clarè patet consuetudinem legendi horas apud Moniales habere vim legis. 1. Quidem, quia est rationabilis, quod & alii admittunt, dicentes eam esse laudabilem. 2. Consuetudo illa observatur à majori parte ejusmodi hominum, puta Monialium & aliorum Religiosorum. 3. Certum etiam est, quòd superiores in eam consentiant, cùm ad eamdem suos & suas inducant, etiam puniendo. Quòd sit inducta animo obligandi, patet ex ipsa intentione consuetudinem illam observantium, dum credunt se graviter ad hoc obligari, ex qua intentione optimè colligitur consuetudinem aliquam esse inductam animo obli-

obigandi. Sic quoque rectè colligitur, consuetudinem recitandi tertiò *Ave* ad pulsum campanæ, sumendi aquam benedictam in ingressu templi, &c. Non esse inductam animo obligandi, eo quòd fideles credant se non delinquere, si illa omittant, & consequenter ad hoc non esse strictè obligatos. Sequitur ergo sententiam hanc in praxi esse tenendam, & aliam esse planè infundatam. Quæret aliquis an Moniales rectè dicant in suo *Confiteor*, *tibi Pater*, & *vobis Fratres*, neque dicere debeant, *tibi Mater*, *vobis Sorores*; videtur enim illa locutio esse falsa, dum dicitur feminis, *tibi Pater*, &c. Gavantus tom. 2. Thesauri sect. 5. c. 17. docet easdem rectè dicere *tibi Pater*, *&c.* Potest enim & fœminis dici, *tibi Pater*, & *vobis Fratres*, cum teste Salvatore Matth. 12. Qui facit voluntatem Patris, qui in Cœlis est, Frater ejus sit, Mater & Soror: Moniales autem non solum tenentur facere voluntatem Patris, sed & opera Consilii.

SECTIO VII.

De usu Breviarii, & Missalis.

DICENDUM primò, Tenetur quivis beneficiatus uti Breviario Romano Pii V. jussu edito, çùm juxta Concilium Tridentinum, illud Pontifex componi curaverit, ut uniformitas ritûs Ecclesiastici ubivis esset videnda, uti & fecit cum Catechismo quem *Romanum* vocant, & Missali. Si tamen ille, qui utitur tali Breviario, illo alibi careat, & sit alterum ad manum; tenetur juxta illud alterum officium suum absolvere, cum in eo casu censeatur obligationi suæ satisfecisse. *Breviarii Romani obligatio.*

Dicendum 2. Non tamen tenentur illud Pii V. Breviarium admittere, qui à 200. Annis particulare Ordinis sui Breviarium observarunt, uti sunt Benedi- *Quinam alio Breviario uti possint, quam Romano.*

 ctini,

ctini, Præmonstratenses, Prædicatores, qui ultimi uti regulam & statuta, ita & Breviarium à præmonstratensibus mutuarunt, Carthusiani, &c. Idem est, de Missali, ut ex Bulla Pii V. Missali præmissâ constat. Hoc tamen notari potest, quòd si ejusmodi ordines relicto proprio Missali & Breviario, velint illa Pii V. recipere, liberè id possint, uti ibidem declarat Pontifex, quòd fortè ad pariformitatem Ecclesiæ non parum conduceret.

Dicendum 3. Si Abbas v. g. præmonstratensis, notabiliter post dictam Pii V. constitutionem Breviarium immutasset, non tenerentur subditi illud recipere. Ratio est, quòd Pius V. solùm permittat Breviaria ordinum, quæ consuetudine 200. Annorum observarunt, non verò permittit nova; quale esset illud, quod notabiliter immutaretur. Aliud esset, si adesset hîc authoritas Papæ, uti sæpè fit, cum qua Breviaria ordinum sæpè immutari videmus.

Officia particularia. Dicendum 4. Officia particularia, quæ specialiter Breviario superadduntur, aliquando in conscientia obligant, aliquando non obligant. Obligant, quando illa generaliter toti Ecclesiæ aut ordini, jussu legitimi superioris observari injunguntur: adeo ut aliquando habeant eam obligationem, quam continet Breviarium. Non obligant autem si solùm ex devotione composita sint, cujuscumque devotioni & libertati permissa, vel ea observare vel non observare. Ubi & hoc notari potest, sæpè posse esse obligationem illa officia particularia observandi in choro communi, sicut privatim non obligent, quod sæpè particulari constitutione statuitur,

Officium B. Mariæ, Defunctorum, &c. Dicendum 5. Officium B. Mariæ, Defunctorum, Psalmi Pœnitentiales, sunt solùm accessoria Breviarii, neque privatim legentes obligant: ita expressè statuit Pius V. in Bulla Breviario præfixa, dum dicit: *Quod in Rubricis nostri hujus officii præscribitur, quibus diebus Officium B. Mariæ semper Virginis & Defunctorum, item 7. Psalmos Pœnitentiales, & Graduales dici*

ac

ac psalli oporteat: Nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus. Aliud tamen censent de litaniis diebus rogationum præscriptis, quas communi satis sensu sentiunt esse partem officii illarum dierum, quod & timorati observant.

SECTIO VIII.

De Cantu Ecclesiastico.

Dicendum primò: Non tantùm Hæretici varii, sed & Catholici cantum Ecclesiasticum improbarunt. Hæretici quidem, ut Julianus apostata, Petrobrusiani, & Wiclef, qui hac de causa nostros Sacerdotes comparat Sacerdotibus Baal; Item Ariani, etsi ipsi Psalmos canant. Ex Catholicis autem, ut refert S. August. l 2. retract. c. 22. fuit Hilarius quidam tribunitius, &c. Verùm ritus ille cantandi in Ecclesiâ fuit vetustissimus, & Psalmista jussu divino Psalmos ad cantum & Psalterium composuit, adhortans voce Dei omnes, ut Deum laudarent *In tympano & choro, in chordis & organo*: Psal. 150. idem approbat Jacobus c. 5. ubi ait: *Æquo animo est, psallat.* idem facit Apostolus admonens Catholicos ad Ephes. 5. & Coloss. 3. Ut se invicem commoneant in Hymnis & Canticis. De eodem prisco Ecclesiæ ritu meminerunt, Dionysius Areopagita, Cassiodorus, Justinus Martyr, & S. Ambrosius & Augustinus, qui alternatim, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, concinnarunt *Te Deum laudamus.*

Vetustas Ecclesiastici Cantus:

Dicendum 2. in primitivâ Ecclesiâ cantus ille Ecclesiasticus non erat ita flexilis aut elevatus, sed magis loquenti, quam canenti similis. Unde S. Aug. l. 10. confess. c. 33. ita de hac re ait: *Tutius mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpè mihi dictum commemini: qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem*

Olim magu submissus

ctorem Psalmi, ut pronuntianti vicinior esset, quam canenti. Et Concilium Generale 6. Can. 73. *Eos*, ait, *qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, nec naturam ad clamorem urgere .... sed cum magnâ attentione & devotione psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerre.* Ex qua verò ratione cantus Ecclesiasticus ex simplici illo factus sit modulantior, narrat Nicephorus l. 9. Hist. c. 16. ubi ait: *Cum jam per 3. à Christo nato sæcula simplex cantus sive potius recitatio, nullo modulationis fuco permixta, Christi populos nutrivisset: ecce tibi Hermonius quidam Bardesanæ Heresiarchæ filius, mali corvi malum ovum, cum sua prava dogmata musicis numeris includeret, & multi ex Syris propter verborum venustatem & sonorum suavitatem demulsi, paulatim hæreses imbiberent: B. Ephrem eâ re cognitâ, carmina Catholicam fidem resonantia veneficis Hermonii versibus opposuit, clavo scilicèt clavum trudens. Ea itaque suavi vocum sonorumque flexu accomodata Syris audienda præbuit & canenda: ab eoque posteriores Ecclesiæ cantores, modulorum formulas mutuati magis atque magis eas auxerunt & propagarunt.* Idem fecerunt & alii SS. Patres: imò & Judæos ipsos adhibuisse instrumenta musica in eorumdem ritibus, ut populum ab idolorum cultu averterent, ubi idem instrumentorum musicorum erat usus, est manifestum. Hinc multi jure colligunt, quòd cantus Ecclesiasticus solùm in Ecclesiam sit introductus, ad imperfectiores confirmandos, vel ut ait S. Aug. l. 10. confess. c. 33. *Ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis exsurgat.* Hinc etiam sæpè in Ecclesia proscriptam esse musicam, uti de usu cytharæ scribit August. in Psalm. 132. Conc. 1. docent Historiæ. Sic tempore S. Thomæ rarissimum fuisse organorum usum in Ecclesia, ex verbis Doctoris Angelici docet Caietanus in 2. 2. q. 91. a. 2. additque usum illum tolerari posse ob infirmitatem hominum, ut vel sic allecti divinis intersint. In eo tamen semper exactior fuit Ecclesia Romana, in tantum ut quando sub Sergio organo-

ganorum usus in Ecclesiam fuit inductus, Romana tamen Vaticana Ecclesia coram Summo Pontifice eadem non admisit. Ita & modernus Pontifex in eadem Ecclesia simplici Cantu utitur & insuper interdixit omnem musicalem Concentum in Ecclesiis Monialium. Causam horum omnium dat S. Bern. quod non levis sit jactura spiritualis levitate cantûs abduci à sensuum utilitate, & plus intendere vocibus, quam rebus.

Utilitas Cantus Ecclesiastici.

Dicendum 3. Cantus tamen Ecclesiasticus opportunè ad devotionem augendam & cordis affectum excitandum, est ab Ecclesia institutus. Meminit hujus S. August. l. 9. confes. c. 6. ubi ait: *Quantum flevi in Hymnis & Canticis tuis suave sonantis Ecclesiæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.*

Sæpè est moderandus.

Dicendum 4. Cantus ille Ecclesiasticus superiorum authoritate ita moderandus est, ne plus adferat vanitatis, quam devotionis, non sit lascivus aut impurus, non disturbet suâ inordinatione audientes potius, quam commoveat, denique eumdem temporibus accomodet, tristiori tristem, lætiori tempori lætum, &c. Hinc videmus permultos magis ad audiendum cantum musicum subinde ad Ecclesiam confluere, quam ad orandum, unde in Ecclesiis Fabulæ, cachinni; imò quod novimus aliquando, magis ad libidinis, quam divini amoris faces inflammari. Quare & Conc. Trid. ses. 22. de celebranda Missa: *ab Ecclesiis, Musicas eas, ubi sive Organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur*, mandat removeri. Hinc in musica plenum periculi negotium fatetur S. August. cap. 33. supra citato, & *ita fluctuo*, ait, *inter periculum voluptatis & experimentum salubritatis.* Deinde cantu abutuntur, qui incompositâ voce chorum perturbant, cujus aliquando rei sunt superiores, qui sibi subditos cantum non jubent edoceri,

Musica lasciva è templis eliminanda.

Ejus disordinatio.

quo

quo fit, ut cantûs Ecclesiastici dignitas vilescat alibi, & contemnatur. Qualis verò debeat esse Chori Cantus, statuit his verbis Concilium Aquisgran. sub Ludovico Pio Can. 137. *Psalmi in Ecclesia non cursim & excelsis atque inordinatis vocibus, sed planè & dilucidè & cum compunctione cordis recitentur: ut & recitantium mens, illorum dulcedine pascatur, & audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur.* Et constitutio Ecclesiæ Gallicanæ: *Laudes divinæ per singulas horas non cursim ac festinanter, sed tractim ac cum pausa decenti, præsertim in medio cujusque versiculi, debitam faciendo inter solemne ac feriale officium differentiam, reverenter ab omnibus persolvantur.* Plura qui de hac re desiderat, adeat opus Eminentiss. Card. Bonæ de Psalmodia, opus dignissimum & admodum rarum.

SECTIO IX.

Quænam à Lectione horarum excusent.

Infirmitas gravis. Dicendum primò, excusat à lectione horarum, 1. gravis infirmitas, non itidem levis, quæ cum illa lectione sine periculo ulteriori stare potest. Hinc febris tertiana aut quartana non excusat, nisi tota die aut potissima diei parte duret: aliàs illi non tenentur alium substituere, quem audiant legentem, ut aliqui volunt. Si tamen solus non ita commodè posset, & commodè posset legere cum altero, ad id teneretur. Consultum tamen hîc, ut in aliis, esset, uti judicio medicorum, cum sæpè posset hîc mentiri iniquitas sibi, & amor proprius rectum judicium pervertere.

Carentia Breviarii. Dicendum 2. Excusat quoque carentia breviarii inculpata: quod ultimum addo, quia si sit culpata, omissio officii quoque censebitur culpabilis in causâ. Si tamen sciret memoriter aliquas horas, vel aliud breviarium acquirere posset, deberet eas persolvere, & eo breviario uti. Dicen-

Dicendum 3. Excusat quoque justus timor gravis damni, v. g. proditionis inter hæreticos: quale damnum non censetur esse derisio, aut contemptus, si nihil aliud adveniat. Si tamen in partibus hæreticis degens, satis tutò eas horas persolvere possit, omnino tenetur.

Dicendum 4. Excusant quoque opera charitatis alteri exhibenda, quæ cum lectione horarum stare nequeunt, & prævalent in obligatione eisdem horis. Sic si confessarius tota die deberet audire confessiones, quæ differri non possent, vel ire ad infirmum moribundum, ex benigna Ecclesiæ intentione tales possent ab horarum recitatione excusari. Si tamen ii possint hoc impedimentum prævenire, vel extrahere, deberent officium anticipare, vel superaddere. Ea de causa aliqui excusant illos, qui sub *magnificat* aut *benedictus* thurificando aliqua omittunt, cum chorus eadem pro ipsis persolvat: verùm meliùs illud negatur, cùm prævіè aut postea satis commodè possit præveniri lectio vel subdi, & thurificatio sat urgens causa sit ad officium aliquatenus interrumpendum, non item ad illud omittendum. *Opera Charitatis.*

SECTIO X.

Quid, cui, à quo sit aliquid rogandum.

Dicendum primò, *Quærite primum Regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*, ait Salvator Matth. 6. hinc & Lucæ 11. dicentibus discipulis, *Domine doce nos orare*, subnectit Christus: *Cum oratis dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum, adveniat Regnum tuum, &c.* Quasi dicat, primum, quod in omni actione quærere debeas, est, ad Deum ejusque gloriam intendere, utpote qui sit omnium principium & ultimus finis, ad quem dirigenda sunt cætera. Hinc appositè alii dicunt, quidquid censurent alii, *Ante omnia rogan da est gloria Dei.*

alii, ideò primò posuisse Salvatorem in oratione Dominica *adveniat Regnum tuum*, ut significaret omnia opera nostra in Deum esse referenda. Censuram illorum diluit Doctor Angelicus 2. 2. q. 83. a. 9. ubi ait: *In oratione Dominica, non tantùm peti omnia, quæ rectè desiderare possumus, sed etiam eo ordine, quo desideranda sunt. Manifestum est autem, quod primò cadit in desiderio nostro, finis, deinde ea quæ sunt ad finem. Finis autem noster Deus est, in quem noster affectus tendit dupliciter: uno quidem modo, prout volumus gloriam Dei: alio modo, secundùm quod volumus frui gloria ejus, quorum primum pertinet ad dilectionem, quâ diligimus nos in Deo: & ideo prima petitio ponitur,* SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, *per quam petimus gloriam Dei.* Huic adde S. Bernardum, qui scribens in eamdem orationem in auctuario ita habet: SANCTIFICETUR NOMEN TUUM; *post invocationem petitiones adjungit: & quia plus gloriam Dei, quam utilitatem nostram quærere nos oporteat (hic quippe finis debet esse in omnibus quæ agimus, scilicet ut glorificetur Deus) tres istæ ut dixi petitiones, glorificationem ejus expostulant.* His conformia habet Catechismus Romanus, D. Franciscus & alii quos brevitatis causâ prætereo. Unde patet, omnia bona tam animæ, quam corporis rectè appeti & orari posse, sed ut primùm in intentione semper sit finis ultimus, qui est Deus.

Oratio in peccatum. Cavendum verò summopere ne precemur aliorum mortes, puta inimicorum, nisi notabiliter Ecclesiæ aut bono communi nocerent; aliàs fiet oratio nostra in peccatum.

Qui specialiter teneantur ad orationem. Dicendum 2. Etsi omnes orare teneantur, ut antedictum est, peculiari tamen ratione orare debent viri Ecclesiastici, qui pro populo Hostias Deo offerre & preces sunt obligati, & constituuntur tamquam intercessores inter Deum & homines.

A quo sit orandum. Dicendum 3. Orari debet ille, qui necessitati nostræ potens est subvenire: hinc quia Deus ratione summæ bonitatis ac potentiæ, cuilibet necessitati succurrere

currere paratus est, dum ait Psalm. 49. *Invoca me in die tribulationis*, ad ipsum ante omnia nostra oratio est dirigenda. Ab ipso enim, & per ipsum sunt omnia, & omne donum ac datum bonum descendit à Patre luminum, adeo ut quando Sanctos rogamus, tamen per Christum rogemus, quod innuit Ecclesia in omnibus collectis concludens, *per Dominum nostrum Jesum Christum*, &c. Quod etiam in Litaniis subindicat, dum dicitur Deo, *miserere nobis, propitius esto, parce nobis, libera nos, te rogamus audi nos*, &c. Sanctis verò: *Intercedite pro nobis, orate pro nobis*, &c. Unde & ipse Christus Joan. 14. ait, *si quid petieritis Patrem* IN NOMINE MEO. Vide quæ ad propositum dixi de cultu SS. *A Sanctis per Christum.*

Dicendum 4. Rationem, quare aliquando preces suo effectu frustrantur indicat Jacobus c. 4. ubi ait: *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.* Unde multi ut ait Augustinus in Psalmo 85. dicunt: *Quantum rogavi, quam sæpè rogavi, & non sum auditus:* Quibus idem respondet ibidem: *Si verè Deum invocasti, certus esto, quia id forte, quod volebas temporaliter, ideo non dedit, quia non tibi proderat. Ædificetur in hoc cor vestrum Fratres, cor Christianum, cor fidele: Ne incipiatis tristes facti, veluti fraudati desideriis vestris, ire in indignationem contra Deum & non expediat.* Malè insuper petunt, qui aliquando petunt non in nomine Domini, sed sæpè in nomine Diaboli: Qui non petunt in veritate; *Propè* quidem *est Dominus* omnibus invocantibus eum, sed *in veritate*, id est, qui internum affectum externis precibus adjungunt. Deinde notabile est, quod adfert S. August. Serm. 4. de verbis Domini, ubi ait: *Sæpè servat tibi Deus, quod non vult cito dare: Ut & tu discas, magna magnè desiderare. Cum aliquando tardiùs dat, commendat dona sua, non negat. Diu desiderata, dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt.* *Quare preces suo effectu frustrentur.*

Similis medico, de quo idem S. Præsul in Psalm. 85. *Æger multa petit à medico, quæ non dat vel non statim*

tim dat medicus: Sed non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem.

Orandum in templis Dicendum 5. Etsi Deus sit ubique præsens, tamen peculiariter invocari vult in locis sacris: Hac de causa loca quædam sibi sacrari voluit, promittens 2. Paralip. 6. & 7. *Erunt oculi mei aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.* Hinc etiam ex illo loco ejecit vendentes, nummularios, &c. dicens Matth. 21. *Domus mea, Domus orationis vocabitur.* Ad quod ita Vener. Beda hom. 7. in Evang. *Si ergo Dominus nec ea volebat venumdari in templo, quæ in templo volebat offerri, videlicet propter studium avaritiæ sive fraudis, quod proprium solet esse negotiantium facinus; Quanta putas animadversione puniret, si invenisset ibi aliquos risui, vel vaniloquio vacantes, aut alii cuilibet vitio mancipatos? Si enim ea, quæ alibi liberè geri poterant, Dominus in domo sua temporalia negotia geri non patitur: Quantò magis ea, quæ nusquam fieri licet, plus cælestis iræ merentur, si in ædibus Deo sacratis agantur?* Alia ad hanc rem pertinentia dabo agendo de Missa, in Sacramento Eucharistiæ.

Oratio ad omnia est utilis. Dicendum ultimò, oratio sicut pietas ad omnia utilis est, hominem Deo unit, ejus affectum ad Deum transmittit, contra omnia infausta & adversa subsidium affert, pro peccatis satisfacit, meretur gratiam, fidem, spem, & charitatem renovat & exercet, mentem illuminat, humilitatem causat & conservat, pacem & animi delectationem gignit, &c.

SECTIO XI.

De Decimis.

Quid decima & quotuplices. DICENDUM primò, Decimas esse decimam partem fructuum quæ quotannis Ecclesiæ Ministris persolvitur. Solet in jure Can. statui triplex decima, scilicet

scilicet *Prædialis, personalis* & *mixta*. *Prædialis*, est decima pars, quæ solvitur ex fructibus, qui proveniunt ex prædiis, v.g. ex vino, oleo, frumento, &c. *Personalis* est, quæ persolvitur ex fructibus provenientibus, ex industriâ sive operâ personæ, v. g. ex venatione, mercaturâ, opificio, &c. Hæc tamen in dissuetudinem abiit. *Mixta* est, quæ dari debet ex fructibus provenientibus partim ex industriâ hominum, partim ex prædiis, quales sunt decimæ animalium, v.g. pecorum, ovium, &c. Animalium, uti & illorum fructuum, puta lactis, casei, butyri, lanæ, &c. Ad pascenda enim & alenda pecora requiritur hominum cura & industria, uti & ipsa prædia, ex quibus solent sustentari.

Dicendum 2. Certum esse decimas absoluto jure deberi Ministris Ecclesiæ, idque ex verâ justitiâ, adeo ut Ministri illi easdem exigere possint tamquam ex justitiâ sibi debitas. Aliud docebat Wicclef in Concilio Constant. Articulo 18. damnatus, dicens: *Decimæ sunt puræ eleëmosynæ, & Parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.* Probatur tamen Conclusio, quia cum jura, sive divinum, sive naturale, sive etiam Ecclesiasticum (de quo statim) injungant & præscribant decimarum persolutionem; Tribuunt Ministris Ecclesiæ jus exigendi & percipiendi decimas. Unde sicuti ex verâ justitiâ debentur tributa principibus, adeo ut eadem defraudans peccaret contra justitiam: Ita & peccaret contra justitiam, qui decimas nollet persolvere, detinendo & usurpando sibi rem alienam, puta rem Ministris Ecclesiæ debitam. Probat idem communis loquendi modus tum SS. PP. tum Canonistarum & aliorum, qui unanimiter docent, defraudare Ministros Ecclesiæ illos, qui decimas nolunt persolvere; Per fraudem verò retinere rem alteri debitam, indubiè importat violationem justitiæ. Idem satis innuunt alii loquendi modi satis usitati, dum dicitur decimas Ministris esse debitas, & qui eas dare

Decimæ debentur ministris Ecclesiæ ex justitiâ.

dare noluerint aut dantes impediunt, res alienas invadere, prout loquitur Conc. Trid. Sef. 25. cap. 12. ex quibus sequitur ex justitiâ commutativâ decimas esse persolvendas, imò & aliquatenus ex justitiâ distributivâ, prout clarè ostendit Card. Bellarmin. de Clericis l. 1. c. 25. dub. 4. Deus enim primitus injunxit decimam partem fructuum dari levitis tamquam Dei Ministris, qui erant ex tribu levi ex aliis 12. tribus, sive 13. cum tribus Joseph in duas esset divisa, scilicet Eprahim & Manasse. Quòd verò decimam partem injunxerit, non verò decimam tertiam, ideo fortè magis proportionaliter fecit, quia non defuturi essent decimarum retentores, qui decimas vel non æquo vel nullo modo solverent, & consequenter decimam partem injunxit, ut ita veniretur ad æqualitatem. Nec tamen objici potest, Clerum in N. L. vix esse partem sexagesimam, ubi levitæ in V. T. erant pars decima tertia, adeoque non illis, uti levitis competere partem decimam fructuum: Quia ut notat idem Author loco citato, Ministri N. T. majoribus laboribus sunt obnoxii, quam erant levitæ Sacerdotes, qui ex solâ familiâ Aâronis assumebantur, alii erant turba famulorum: Adde, unicum in L. V. fuisse templum, modo verò innumera Ecclesiasticis sumptibus conservanda, uti etiam modo plurimos à solvendis decimis esse liberos, vel ex malitiâ nolentes solvere, vel ex concessione Ecclesiæ, v. g. Reges & principes, qui in subsidium belli earumdem condonationem ab Ecclesiâ impetrant; Unde concludit Doctor Angelicus quod omnibus ritè perpensis, determinatio decimarum ab Ecclesiâ facta, benignior sit & humanior quam patiatur rigor absolutæ justitiæ.

Ex quâ justitiâ debeantur decimæ.

Dicendum 3. Tametsi diuturna & minus aspera fuerit disceptatio inter Canonistas & Theologos, quo jure debitæ sint decimæ, verior tamen opinio tenet decimas secundùm id, quod sunt ministrorum stipendia, jure naturali divino esse debitas, cum jus

Quo jure decimæ sint debitæ.

jus naturæ & divinum dictent operarios dignos esse suâ mercede. Hoc dictamine naturæ obtulit Abraham ante Legem Scriptam decimas Melchisedech Regi Salem, de spoliis 5. Regum devictorum Genes. 14. Eâdem lege, legimus istos gentiles, suis Sacerdotibus & idolorum ministris certa stipendia assignasse, tamquam iisdem ex justitiâ debita. De divino jure res est clara ex Levit. ultimo. num. 18. & alibi passim, ubi Deus jubet Levitis dari decimam fructuum partem, quæ lex quatenus est moralis, etiam obligat Christianos, cùm moralia fundentur in lege naturæ, quæ omnes & semper obligat.

Quatenus verò stipendia Ministrorum Ecclesiæ taxata sunt & determinata ad partem decimam, sic verior est Theologorum sententia, decimas esse solùm ex jure Eccl siæ. Ratio est, quia præceptum decimarum, quantùm ad illam determinationem, non est legis naturæ, quæ solùm generaliter dictat, Ministris Ecclesiæ deberi stipendium, non determinando partem decimam aut vigesimam: nec etiam præceptum illud quoad illam determinationem est juris divini, cùm nullibi in lege novâ illud extet quoad illam determinationem: neque etiam in l. v. quia in quantùm morale est nos obligans, non importat talem determinationem, sed ut ita determinatum ad partem 10., est propriè judiciale prout docet S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 1. Quod cum suâ lege evanuit, prout & Cæremonialia. L. V. præcepta.

Dicendum 4. Ex dictis sequi Ecclesiam posse legem de dandis decimis vel extendere vel minuere, nullo modo tamen eam totaliter abrogare. Prius patet ex eo, quòd lex illa sit lex Ecclesiastica in quâ proinde potest Ecclesia dispensare, & pro suo beneplacito eam invariare. Unde potest Papa justâ de causâ præcipere, ut qui modo dant decimam partem fructuum, dent de cætero tantùm vigessimam, & è contra. Posterius etiam videtur certum: si enim legem decimarum tollere Ecclesia posset, posset tolle- *Quid Ecclesia possit circa decimas.*

re legem naturalem divinam, quæ dictat stipendia debita esse Sacerdotibus, quæ lex utique auferretur, si omnino lex decimarum supponeretur ablata aut abrogata. Fatendum tamen, posse Ecclesiam justis de causis aliquos absolvere à solvendis decimis, uti sæpè fit, sic tamen ut semper suis Ministris sufficienter provideat, nec in eo legem decimarum totaliter aufert, sed solùm cum aliquo dispensat, relinquendo legem illam in suo vigore quoad alios. Dicta quoque intelligenda sunt de lege decimarum consideratâ ut est lex dandi stipendia Ministris Ecclesiæ, siue ut est lex moralis, cùm certum sit, legem illam, ut est determinata ad decimam partem, posse ab Ecclesiâ abrogari eo ipso, quo in universum præscriberet solvi partem vigesimam.

Quæ in hac conclusione dicta sunt de lege, etiam dicenda sunt de consuetudine, quæ habet vim legis, ac proinde si possit lex decimas immutare vel etiam abrogare modo mox dicto; ita potest & consuetudo legitimè præscripta. Insuper, sicut consuetudo tollit legem, ita & è converso lex potest tollere consuetudinem: & consequenter ubi consuetudo obtinuit vel nullas decimas dare vel solùm vigesimam, potest Ecclesia justis de causis ferre legem de dandâ parte dacimâ, priorem consuetudinem abrogando. Postremò circa jam dicta notari potest, sæpè apud SS. PP. & DD. legi, decimas deberi ex jure divino, vel quia intelligunt decimas prout sunt stipendia Ministrorum Ecclesiæ; vel quia volunt eas esse de jure divino additâ determinatione Ecclesiæ, prout est lex de sanctificando Festo juris divini, vel denique, quòd illa determinatio ad decimam habeatur jure divino, quam Ecclesia innovavit, etsi quoad determinationem illam absolutè sint juris positivi Ecclesiastici, ut ex dictis constat.

Quomodò debeantur decimæ jure divino.

SECTIO

SECTIO XII.

Quinam decimas dare debant, quibus, quando & quâ de causâ?

DICENDUM primò, omnes omnino, qui propria possident, debent dare decimas, sive ille nobilis sit sive ignobilis: dives sive pauper: laïcus sive Clericus: Christianus sive hæreticus, dummodo propria possideant Christianis subjecta. Ita statuitur in jure C. *à nobis*, de decimis, & alibi passim: lex enim hæc Ecclesiæ est generalis omnes omnino obligans, nisi specialiter ab eâdem, justâ de causâ quis eximatur. Quòd verò ad nobiles spectat, non solùm ii ad dandas decimas obligantur, sed etiam ad jus decimarum pro Ecclesiæ ministris defendendum, contra illud jus violantes. Cùm enim nobilium maximè Regum ac Principum munus primarium sit jus suum cuique tueri: maximè obligantur ad tuenda jura ministrorum Ecclesiæ. Imò cùm Regnis suis ac Dominiis inaugurantur, non solùm tactis Sacrosanctis Evangeliis jurant se Ecclesiæ jura observaturos, sed etiam, quòd ea observari facient. Deinde, ad persolvendas decimas cæteris arctiùs obligantur, vel eâ solâ ratione, quòd si decimas violent, subditi eorum exemplo facilè inducentur ad easdem violandas, nam secundùm judicem populi, sic & ministri ejus, ait sapiens Eccli. 10. & *qualis rector est civitatis tales & inhabitantes in eâ.* Denique, si nec Principes à solutione decimarum sint exempti: multò minùs quoque alios ab iisdem persolvendis possunt eximere, cùm laïca potestas, nihil disponere possit de rebus ad Ecclesiam pertinentibus, sine consensu Ecclesiæ. Unde graviter peccant ii, qui principum agros elocant sub conditione non solvendi decimas, illos scilicet agros, qui defectu solutionis censualis evincuntur, etsi hucusque

Nobiles debent decimas dare & conservare.

decimas persolverint, quod aliquando Regii ministri insciis Regibus non sine magno scandalo & Ecclesiæ damno & injuria practicant ad propriam utilitatem, & ipsius Regiæ Majestatis vilipendium. Hinc tam sollicitè admonet Conc. Trid. sess. ult. c. 20. Reges & Principes Catholicos ut subditos suos ad debitam Ecclesiæ reverentiam vocent: nec permittant, ut officiales aut inferiores Magistratus, Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio seu inconsideratione violent aut infringant, sed unà cum ipsis principibus debitam sacris summorum Pontificum & Conciliorum constitutionibus observantiam præstent.

Etiam pauperes debent dare decimas.

Quòd verò non solùm divites sed & pauperes teneantur dare decimas etiam Clerico diviti, declarat S. Thomas quodlibeto 6. art. 10. ex eo, quòd obligatio decimarum spectet ad justitiam commutativam, in quâ non consideratur conditio personæ, sed æqualitas rei ad rem: sicut qui emit rem aliquam, tenetur solvere pretium rei, sive ille dives sit sive pauper.

Etiam Clerici.

Nec solùm Laïci, sed & Clerici tenentur solvere decimas, non quidem decimas decimarum, quas ipsi percipiunt, sed de prædiis patrimonialibus, quæ possident, cùm decimæ sint onera prædiis annexa, nisi fortè inserviant Ecclesiæ, cui debentur tales decimæ, cùm eo casu sint Parochi adjutores, & solùm de illis debeant decimas, quando in possessione eorumdem se habent ut Laïci, qui in alienâ Parochiâ bona possident. Si verò Clericus prædium habeat, quod pertinet ad Ecclesiæ dotem, sive quod habet ratione Ecclesiastici beneficii in alienâ Parochiâ, variant Authores, an teneatur de illo prædio Clericus dare decimas, aliis negantibus, eo quod similia prædia possideat ut Clericus, adeoque ab obligatione decimarum sit absolutus: aliis tamen absolutè affirmantibus, etiam similia prædia esse deci-
mis

mis obstricta: Etsi enim dotalia sint Ecclesiæ prædia, sunt tamen cum onere decimarum ad Ecclesiam translata, neque aliter transferri potuerunt, cùm una Ecclesia non possit cum damno alterius extrui, dotari, &c. Unde etiam prædia ad fundanda monasteria data, eo ipso non sunt libera ab obligatione decimarum: Quod & videtur rationi conformius & æquitati, quamquam in hâc re cuilibet legitimæ Consuetudini possit adhæreri.

De hæreticis quoque res est clara, cùm & illi subjiciantur legibus Ecclesiæ, uti declaravimus in anterioribus agendo de hæreticis. *Etiam hæretici.*

Dicendum 2. Decimæ debentur Clericis sive Ecclesiæ Ministris, ac Primario quidem Parocho loci, in quo est prædium, etsi prædii Dominus in aliâ parochiâ audiat Divina sive Sacramenta percipiat. Deinde Episcopo loci, qui est Parochus Superior, & cui Primariò incumbit pascere gregem suum in spiritualibus. Quod verò ad Laïcos spectat, quos sæpè decimas percipere & exigere videmus, in primis notandum est, Laïcum per se & nomine suo non posse obtinere jus decimarum, quod cum sit spirituale, in Laïcum cadere non potest. Unde, qui possessionis est incapax, rem illam usucapere nequit aut præscribere. Poterit tamen nomine Ecclesiæ concedentis ipsi decimas, exigere easdem, prout ille, qui decimas à Parocho conducere solet. Solet autem Ecclesia personis Laïcis, similem facere facultatem propter obsequium aliquod Ecclesiæ præstitum, quare sæpè in feudum Principibus decimas ab Ecclesia datas videmus; vel etiam decimas concedit propter aliquod munus in Ecclesiâ, v. g. cantus aut quid simile; Ita tamen ut semper ratione & nomine Ecclesiæ decimæ à Laïco exigantur. Ex quo Colligi potest, quo sensu varii Pontifices anathemate feriri curaverint Laicos varios, qui jure hæreditario decimas prætendebant, puta jure proprio, nec ab Ecclesiâ sibi communicato. Cùm verò in Concilio Lateranensi habito 1179. sit interdictum Laïçis dare de- *Quibus debeantur decimæ.* *An Laïci possint percipere decimas.*

cimas in feudum in perpetuum: Sequitur Episcopi authoritate decimas non posse Laïco dari in feudum idque in perpetuum, sed solâ summi Pontificis authoritate, cùm hoc jure communi sit interdictum, in quo Episcopus nequit dispensare. Possunt tamen authoritate Episcopi decimæ Laïco vendi, elocari aut concedi ad breve tempus justâ de causâ, cùm in Clement. I. *De rebus Ecclef. non alienandis*, dicitur, quod res Ecclesiæ ad breve tempus possint alienari. Modicum verò tempus in jure solet esse intra decennium; sub quo tamen non videtur posse comprehendi elocatio vel concessio ad vitam. Ubi tamen usu recepta est constitutio Pauli 3. quæ incipit *Ambitiosæ*: de rebus Eccles. non alienandis, decimæ ultra triennium alienari non possunt.

De quibus debeant dari decima.

Dicendum 3. Etsi in jure persolutio decimarum facienda sit ex omnibus fructibus prædii, ex omni lucro negotiationis, aut alterius industriæ, uti & ex omnibus animantibus eorumque fructibus, & satis concordet lex divina de omnibus bonis decimas præscribens: tamen in hac parte plurimùm valet & attendi debet, cujusque loci consuetudo. Hinc in quibusdam locis videmus decimas fœni solvi, in alia minimè, uti & in aliis multis, tam fructibus prædiorum, quam animalium. Hoc tamen notandum est, quòd si prædii fructus non solvant ex consuetudine decimas, si fructus illi à Domino mutentur, v. g. si prius fœnum erat postea aretur & fiat frumentum, de eodem decimas esse persolvendas: uti & è contra à decimis sunt exempti, si fructus ex consuetudine non debeant decimas, etsi fructus anteriores prædii debuerunt. Insuper, si prædium bis terve in anno ferat fructus, ex jure de omnibus dandæ sunt decimæ, quamquam consuetudo hîc sæpè aliud præscribat.

Quando decima sint solvenda.

Dicendum 4. Decimam prædialem solvendam esse, quando fructus prædii sunt collecti: ex fœtu verò animalium solvendæ sunt, quando est tempus nascendi pullorum: ex lanâ, quando pecudes solent

ton-

tonderi; ex pellibus, butyro, &c. Quando ejusmodi res solent præparari. Cùm verò decimæ, sint oblatio de jure debita Ecclesiæ ministris, clarum est decimas dandas esse etiam antequàm petantur. Hinc apud Esdram l. 2. c. 10. *Legimus; primitias Ciborum nostrorum... afferemus Sacerdotibus, & decimam partem terræ nostræ Levitis.* Et Deuteronomii 12. *in loco quem elegerit Dominus Deus vester ...... illuc omnia quæ præcipio vobis conferetis, holocausta & hostias ac decimas, &c.* Denique Malachiæ 3. *Inferte omnem decimam in horreum meum.* Et illud Esdræ 2. c. 13. *Et omnis Juda apportabat decimam frumenti, vini & olei in horrea.* Ubi notari possunt illa verba, *afferre, conferre, inferre* & *apportare.* In quo Judæi Christianos confundunt, qui non solùm manipulos decimarum in agro relinquunt, sed etiam eosdem ab injuriâ aëris vel digito liberare dedignantur, nec multum decimarum accederet ad Parochos, si eorumdem curâ decimæ non colligerentur: adeo ut verum foret illud Chrysostom. in 2. ad Ephes. hom. 4. *mihi*, ait, *dicere solebat nescio quis, miraculi loco referens, talis decimas dat.* Additque: *Quanti dedecoris plenum hoc est, quia quod Judaicæ legis tempore nihil præ se ferebat miraculi dignum, hoc ipsum inter Christianos cœpit videri mirabile?*

Dicendum 5. Decimas deberi primò Deo ipsi ob supremum ejus dominium in omnes res creatas, cùm *Domini sit terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & omnes qui habitant in eo*: Psalm. 23, unde Eccl. 35. *In exultatione sanctifica decimas tuas: da altissimo secundùm datum ejus.* & Levit. 27. *Omnes decimæ terræ, de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt.* Neque tamen inde liceat inferri, præceptum decimarum in L. V. fuisse Cæremoniale, quod tamen antea negavimus, cùm tametsi decimæ dentur in protestationem summi Dominii, & consequenter ad colendum Deum: non tamen immediatè & per se dantur ad illum finem, uti faciunt Sacerdotes in Sacrificiis: verùm Deo solùm mediatè dantur decimæ, puta Deo in suis ministris: ad cære- *Quibus debeantur decimæ.*

moniale præceptum autem requiritur, ut ſit immediatè & per ſe datum, ad colendum Deum.

Secundò dantur decimæ miniſtris Eccleſiæ ad eoſdem ſuſtentandos propter eorumdem miniſterium, cùm dignus ſit operarius mercede ſuâ, & qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſint habendi, maximè qui laborant in verbo & doctrina, ut ait Apoſtolus 1. Tim. 5. porro decimarum perſolutio in comparatione tanti miniſterii, nulla eſt, ſive laborem ejus conſideres ſive dignitatem, etſi homines carnales ſeſe nimium debere aliquando opponant ſine fundamento.

Tertiò dantur decimæ propter pauperes: nec ſolùm eæ dantur Clericis ut ſe paſcant, ſed etiam ut pauperum curam habeant, quorum ſunt Patres ſpirituales. Hinc S. Aug. Serm. 219. de temp. *decimæ*, ait, *Tributa ſunt egentium animarum: redde ergo tributa pauperibus: offer libamina Sacerdotibus: & quanti pauperes in locis ubi ipſe habitat, illo decimas non dante, mortui fame fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni judicis apparebit, quia à Domino pauperibus delegatam ſuis uſibus reſervavit.* Quæ ſententia meritò in jure Can. eſt olim inſerta. Ex quo etiam colligitur Epiſcoporum & aliorum Clericorum decimas recipientium obligatio quoad pauperes juvandos, cùm decimæ non ſolùm propriæ ſuſtentationi, ſed & pauperum ſint conceſſæ. Idem eſt de decimis Abbatiis & menſæ Prælatorum attributis: quaſi decimæ ſolùm ejuſmodi menſæ ſint appropriatæ & non ſimul debeantur egenis.

SECTIO XIII.

Quomodò decimæ ſint exigendæ?

DICENDUM primò, decimæ exigendæ ſunt coram judice Eccleſiaſtico, cùm decimarum cauſa ſit planè ſpiritualis, quæ ad Laïcam poteſtatem non pertinet. Quæ concluſio etiam locum habet in iis quæ-

quæstionibus, quæ ex jure decimarum ortum habent: v. g. quando conductor decimarum non satisfacit, &c. Aliud esset, quando fructus decimi jam collecti sunt aut soluti, si eosdem quis furetur aut aliter invadat, tunc enim ejusmodi causa coram judice Laïco poterit tractari, cùm ejusmodi fructus jam soluti, non sint quid spirituale, aut aliquam habere connexionem cum spirituali ampliùs censeantur.

Dicendum secundò, etsi Clerici teneantur sollicitè tueri jura suarum respective Ecclesiarum; illudque juraverint: tamen aliquando expedit, extremo rigore in defendendis decimis non uti, maximè si ex illo rigore prævideatur grave scandalum aut aliud incommodum. Cùm enim juramentum non sit vinculum iniquitatis, certum est, juramentum non habere locum in casu gravis scandali aut Dei vel proximorum injuriæ: debet ergo juramentum intelligi, salvis honore Dei & ædificatione proximorum, & temporalia potiùs perdenda sunt, quàm quòd nomen Dei propter nostrum rigorem blasphemetur aut proximi scandalisentur. Aliud foret, si solum esset scandalum Pharisaïcum, uti dictum est de simili casu, agendo de scandalo. *Præstat aliquando non uti summo rigore in exigendis decimis.*

Dicendum 3. Etsi quoque Concilia & Ecclesia velint, ut jura decimarum maneant inviolata, tamen sæpè propter commune bonum tum Ecclesiæ tum Reipubl. aliquid de jure illo adimitur, in quo sese subditi & inferiores Clerici tenentur conformare consensui superiorum. Sic Alexander Farnesius ab hinc circiter 100. annis partes nostras Catholico regimini subdens, alibi convenit, ut decimas non ex integro deberent solvere, prout & alibi ab aliis est institutum: Quod tamen nihil omninò conferre aliqui volunt, quo minùs subditi illi à solutione decimarum eximantur, cùm politica potestas nequeat illud relaxare, quòd generali Ecclesiæ constitutione est injunctum, puta decimas plenè & fideliter persolvere. Verùm-enim-verò supponi hîc debet, in

primis

primis talia non sine consensu superioris Ecclesiastici factum & conventum esse idque ob boni publici necessitatem. Quâ causâ expedit rigorem legis Ecclesiasticæ aliquando vel pro parte vel etiam in toto cedere & remitti: In quo proinde inferiores Clerici sese tenentur conformare: Si tamen, quædam opponenda habeant, quasi id necessitas boni communis, aut alia causa non exegisset, habent quo modestè appellent & judicetur de æquitate causæ, quæ prætenditur: In dubio tamen standum erit judicio Episcopi aut alterius superioris annuentis tali conventioni.

Tenetur Parochus jus decimarum exactè observare.

Dicendum 4. Tenetur quilibet Clericus decimas suas exactè observare & solvi procurare, nec potest pro suo libitu easdem remittere aut non exigere: Ad prius enim tenetur vi juramenti præstiti, ad tuenda jura suæ Ecclesiæ. Ad posterius quoque obligatur, quatenus non solùm ad se ipsum spectant decimæ, sed & ad omnes alios subsequentes, quibus sæpè condonando decimas graviter præjudicat. Hinc graviter delinquunt Parochi ditiores, qui decimarum curam negligunt, quo fit, ut alii succedentes non nisi cum magno labore & damno decimas sibi debitas recuperare possint, quas sui prædecessores suâ incuriâ neglexerunt.

Pœna non solventibus decimas.

Dicendum 5. Graves esse pœnas constitutas iis, qui decimas non solvunt, aut easdem injuriosè invadunt. Primò enim Malachiæ 3. dicitur homo Deum veluti clavis affigere, qui decimas non solvit. Deinde variè exaggerat aliam pœnam eorumdem S. Aug. hom. 49. ad plebem Africanam, dum ait: *Majores nostri ideo copiis omnibus affluebant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: Modo autem quia decessit devotio Dei, accrescit indictio fisci. Noluimus cum Deo partiri decimas, modo autem totum tollitur: Hoc tollit fiscus, quod non accepit Christus.* Et post pauca ex parte Dei ita subdit. *Fallere me existimastis, intus in thesauris vestris, & in domibus vestris erit direptio: Dabo impio militi, quod non vis dare Sacerdoti.* Certè experientiâ

rientiâ constat, plerosque experiri hanc S. Augustini sententiam, non aliâ de causâ, quam quia decimas Deo & Parocho non persolvunt. Aliam pœnam statuit Conc. Trid. Sef. 25. c. 12. in eos, qui decimas subtrahunt aut impediunt, scilicèt excommunicationem, nec quod ab hoc crimine absolvi possunt, nisi plenâ restitutione secutâ. Quod si quidam decimas injustè usurpatas, quietè easdem possidere pergant, nec in sua possessione deturbentur, cogitent sibi majorem in futuro remanere pœnam Sacrilegio ex æquo debitam,

Econtra verò, quanta benedictio maneat illos, qui exemplo Tobiæ c. 1. Decimas *Fideliter* offerunt, vel ipsi gentiles experti sunt, quorum hoc erat adagium: *Dives fieri, qui vult, herculi decimam solvito.* Idem promisit ipse Deus per Prophetam Malachiam 3. ubi ait: *Inferte omnem decimam in horreum & sit cibus in domo mea: & probate me super hoc dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas Cœli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem & non corrumpet fructum terræ vestræ.* Hinc eodem justo Dei judicio videmus, quasdam terræ partes congruenti imbre perfundi, fructus dare uberrimos, alias autem satis Contiguas arescere, fructus grandine devastari, à prædonibus conculcari, &c. Unde ut ab hujusmodi pœnis terræ liberentur, & è contra benedictionibus dictis repleantur: sæpè à parochis obligatio subditorum quoad decimas persolvendas erit exponenda & ad eamdem sollicitè admonendi, non proprii lucri cupiditate, sed desiderio & Zelo boni communis & gloriæ Dei & Ecclesiæ ac salutis subditorum.

Benedictiones solventium decimas.

Denique hic advertendum est, ne Parochi justâ decimarum solutione defraudentur, & superiores eisdem sine labore gaudeant: Fit enim subinde quod ii, qui sustinent pondus diei & æstûs minimam decimarum partem recipiant, quibus tamen primariò decimæ debentur. Hinc verbis Eximii D. Joan. Mo-

lani

Iani Concludo, quæ habet in fine orationis suæ de decimis, ita finiens: *Illud postremum sit, quod per viscera misericordiæ Dei rogo Canonicorum & Monachorum collegia, atque Capitula, ut decimas suas non defendant sordidè contra Pastores suos, sed meminerint primo loco eas deberi Pastoribus, ut videlicet exinde duplicem honorem, hoc est abundantem competentiam ac sustentationem percipiant. Quare, quod eis canonicè debetur, qui præ reliquis portant pondus diei & æstûs, hoc integrè ac sine ullâ molestiâ percipiant. imminuatur potius numerus Monachorum & Canonicorum. Nimia enim absurditas est Pastores canonicâ portione viros Ecclesiasticos defraudare: Quod nemo vir bonus flagitare, neque ullus Episcopus tolerare potest.* Hæc ille, qui & subdens laudat Coloniensem civitatem, quæ Ecclesias malè dotatas & ob hoc malè de Ministris provisas, meliùs dotavit & viros Doctrinâ eminentes eisdem acquisivit, optans, ut & idem aliæ Civitates imitarentur.

CAPUT UNDECIMUM.

De Voto.

SECTIO PRIMA.

Quid sit votum, & quæ obligatio ejusdem.

Quid sit votum. DICENDUM primò, *Votum* est promissio Deo facta. *Promissio*, non solùm propositum aliquid faciendi. Ad valorem ejus requiritur primò, ut sit deliberatum, ut cum advertentia fiat: hinc vota facta ex motibus primo primis, ex passione iræ, timoris, &c. Quæ rationem perturbant sunt irrita, defectu advertentiæ requisitæ.

Requisita 2. Requiritur libertas, cùm ut ait D. Bonav. in 3. dist.

dist. 38. a. 3. q. 2. *Deus vult sacrificia voluntaria, non coacta*. Idque ideo, ne forsan videretur coactionis aut injuriæ approbator. Hinc si quis metu gravi injuriosè intorto voveat, votum non tenet defectu libertatis essentialiter ad votum requisitæ. *ad valorem voti libertas.*

3. Requiritur intentio sese obligandi, quæ trahitur ab intentione vovendi. Qui enim vult vovere, vult quoque sese obligare. Unde si quis, vovens non intenderet sese obligare, irritum esset votum, cùm actus agentium ex intentione, non plus obligent, quam intentio ferat. Hinc etiam error versans circa substantiam vel finem voti, invalidat votum, cùm ad illud, de quo ita erratur, non censeatur sese extendisse intentio voventis. Aliud est, si error sit solùm circa accidens aliquod rei, quæ vovetur, vel finem secundarium qui intentionem voventis non censetur invariare. *Intentio se obligandi.*

4. Requiritur, ut votum sit de re Deo grata, idest, quæ cum ordinario Dei auxilio est in potestate nostra, quæ sit bona, & melior quam opposita, sub qua etiam intellige abstinentiam bonam & Deo gratam. Hinc votum de re mala, vel quæ impedit majus bonum, vel quam cum ordinaria Dei opitulatione facere quis nequit, est omnino irritum, v. g. votum numquam peccandi venialiter, votum aliquem occidendi, votum non ingrediendi Religionem, non dandi eleëmosynam, &c. Licitum tamen est votum ducendi uxorem, si non possit quis se continere, cùm tunc sit melius nubere, quam uri. Item licitum est vovere se numquam votum ampliùs emissurum, si vovens sese vovendo innumeris scrupulis & perturbationibus soleat involvere: tum enim præstat non vovere, quam vovere cum tanto onere. Ratio dictorum est, quod promissio sit gratificatio, nemo autem gratificat Deo promittendo rem Deo exosam, aut cui gratius est aliquid omittere, quam idem facere: deinde ad impossibile nemo obligatur. *Debet esse de re Deo grata & possibili.*

Dicendum 2. Votum in conscientia obligat, adeo ut *Obligatio voti.*

ut mortaliter peccet; qui in re gravi illud non servat. Unde Eccles. c. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* Si verò dubitet quis factâ debitâ investigatione, an voverit necne, non tenetur voto, eo quòd hoc casu melior sit conditio possidentis. Si verò certus de voto; dubium tamen sit de legitima materia, obligatur voto, eo quòd onus hoc pacto libertati sit impositum.

Dicendum 3. Obligatio voti negativi, quo quis vovet aliquid non facere, currit pro semper: obligatio verò voti affirmativi currit pro eo tempore, quo vovens illud vovit exequi: si verò ex intentione voventis illud tempus non sit determinatum, stringit primâ opportunitate. Si denique sint vota conditionata, obligant dum conditio est posita.

SECTIO II.

Quisnam possit vovere.

Potens vovere. DICENDUM primò Omnis homo rationis compos, quantum de se, potest validè vovere, nisi aliunde sit impeditus. Impediuntur autem lege Ecclesiæ quoad vota solemnia impuberes usque ad annum ætatis 16. ita Conc. Trid. Personæ verò alteri subjectæ vovere possunt, sed non firmiter, id est, non ita quin possint eorum vota revocari à superiori. Sic religiosi, etsi vovere possint, tamen à superiori eorumdem vota possunt irritari & revocari, unde illorum votis hæc conditio annexa subintelligitur, *nisi superior contradixerit*. Aliud tamen est, de novitiis, qui non censentur adhuc tam strictè superiori subjecti, nisi per professionem, quæ cætera omnia vota solvit. Idem est de impubere, cujus vota Pater aut curator potest irritare: Item uxoris vota potest irritare maritus, si vota illa sibi vel rei domesticæ sint incommoda, cùm in iis vir sit caput mulieris: item servorum

votum vota possunt irritare Domini, quatenus illa obsequiis debitis adversantur.

SECTIO III.

Quisnam possit vota commutare, in iis dispensare, &c.

DICENDUM primò, Quilibet etiam privatâ authoritate potest vota mutare in aliquid, quod constat esse melius, & Deo gratius. Ratio est, quòd illud melius in se contineat aliud minus bonum. Sic potest quivis, quævis vota commutare in votum professionis religiosæ, quo homo sese quasi Deo in holocaustum offert. Non tamen propriâ authoritate potest quis mutare votum in aliud æquale aut minus bonum: idem dic, si commutatio etiam in melius, cederet in detrimentum tertii, qui jus in illud quod votum promittebat, per acceptationem acceperat. *Permutatio voti.*

Dicendum 2. Quicumque potest in votis dispensare, potest eadem commutare: commutatio enim est minor dispensatione. Si verò quis velit votum commutare, debet commutare in aliquid aliud, quod sit æquale aut ferè æquale, cùm commutatio sit impositio alterius oneris in locum prioris, facta in ejus favorem, qui vovit. Et in hoc differt à dispensatione, quâ obligatio voti tollitur, non alia imponitur. In hoc tamen conveniunt, quòd uti dispensatio, ita commutatio voti debeat fieri justa de causa. *Qui possint vota permutare*

Dicendum 3. Ordinaria potestas dispensandi residet in Pontifice respectu omnium fidelium. Episcopus illam habet respectu suorum subditorum, exceptis iis votis, quæ Papæ sunt reservata. Eam Abbates etiam habent in suos subditos Religiosos. Vota autem Pontifici reservata sunt, *Castitatis perpetuæ*, *Religionis approbatæ*, quibus alii addunt vota *peregrinationis ad* *Dispensatio voti.*

Limina

Limina Apostolorum, *Compostellam* & *Ultramarinæ* sive *Jerusalem*.

Desitio voti. Dicendum 4. Sæpè quoque desinit obligatio voti, si materia voti fiat mala, impossibilis, inutilis, majoris boni impeditiva, &c. Idem est si cesset causa finalis, v. g. votum de danda eleemosyna Joanni pauperi, cessat si Joannes fiat dives. Idem est, si talis casus superveniat voto, à quo votum incipere non potuisset. Idem de gravi incommodo vel periculo supervenienti dicendum est, si prævideri moraliter non potuerit. Idem denique dicendum est de votis ad certum tempus determinatis, v. g. si quis die Dominica sequenti voveat audire concionem, quam negligit, cessat votum eo tempore transacto.

Dicendum 5. Potest summus Pontifex dispensare in voto solemni castitatis, prout factum est cum Casimiro Poloniæ Rege, Monacho Ord. Clun. Diacono authoritate Clementis XI. & Benedicti IX. item cum Constantia Rogerii Regis Siciliæ Filia Monacha, authoritate Cœlestini III. hanc sententiam probabiliorem docet S. Thomas 4. sent. dist. 38. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. ad 3. dicens quod Papa in casu communis utilitatis hîc possit dispensare. Hinc quando 2. 2. q. 88. art. 11. innixus Decretali cap. *cum ad Monasterium* contrarium quasi innuenti aliter differit, intelligi debet, quòd Papa non possit dispensare in hoc casu cum Monacho manente Monacho seu Religioso cui castitatis votum est essentiale. Patebit hæc conclusio magis ex dicendis sectione 5.

Dicendum 6. Poterit aliquando Episcopus longè Româ distans, v. g. in Belgio, dispensare in voto Pontifici reservato, si sit ingens periculum spiritualis salutis; quo casu dari posset dispensatio ex præsumptâ intentione Pontificis, de quo credi prudenter potest, quod hoc casu non velit sibi dispensationem reservare, sed Episcopis illam pro eo casu communicare, hocque videtur exigere suave Ecclesiæ regimen. Ita plurimi Theologi & Canonistæ. Tale periculum verò, est

est periculum incontinentiæ, gravis scandali, damni, &c. v. g. si hoc necesse sit ad legitimandam prolem, potest Episcopus in voto castitatis perpetuæ dispensare, si sit periculum in morâ. Item si quis violasset Virginem post emissum simile votum, & modo eam vellet ducere ad reparandum ejus honorem, poterit Episcopus in eo dispensare, si timeatur prudenter, quòd eo tempore, quo aditur Pontifex, matrimonium illud per amicos impedietur. Hoc tamen hîc sollicitè notandum est, quòd dispensatio illa in tantum sit concedenda, quantum necessitas postulat, cùm sola necessitas eam concedit. Hinc si possit adiri superior, aut ejus vices gerens, debet omnino adiri, nec dari potest dispensatio. Alia huc concernentia videri possunt in materia de matrimonio, agendo de voto & aliis impedimentis.

SECTIO IV.

An sit laudabile vovere castitatem perpetuam in sæculo.

DICENDUM primò, omnino laudabile esse & Consultum Apostolicum vovere castitatem etiam in sæculo. Patet illud exemplo B. Virginis, item Philippus Diaconus domi suæ habebat 4. Filias Prophetissas, de quo act. 21. has autem Virgines fuisse passim ostendunt commentarii bibliorum. Insuper 1. Tim. 5. satis ostenditur, quasdam viduas in sæculo castitatem vovisse. Deinde Matth. 9. commendantur eunuchi, qui sese castraverunt propter Regnum Dei, unde admonetur, *qui potest capere, capiat.* Denique, si hoc sit laudabile in Monasterio, cur non etiam in sæculo? cur in sæculo non tam meritorium illud est, quàm in sæculo orare, jejunare, &c. Hinc commendantur tot Virgines sæculares, quæ cogitaverunt quæ Domini sunt, ut S. Agnes, S. Cæcilia, &c. Adde, non omnibus quadrare ingredi Religionem ob infir-

Votum Castitatis in sæculo laudabile.

infirmitates vel aliâ de causâ, quæ indubiè non sunt ad nuptias cogendæ, sed laudabiliter possunt vovere castitatem in sæculo.

SECTIO V.

De statu Religioso, & voto solemni.

Quid status Religiosus. *Qui Monachi.* DICENDUM primò, *Status Religiosus* est status, quo aliqui conveniunt, ut totos se Dei obsequio consecrent. Alii ex instituto sunt *Monachi*, qui sibi soli & Deo vivunt: alii sunt Religiosi, qui ex instituto sunt *Canonici* vel *Clerici*, quibus nomen *Monachi* non competit. Vocantur subinde *Patres*, ut notent se amoris affectum & benevolentiam Laïcis debere impendere Paternam, & juxta D. Augustini regulam: *Non se existiment potestate dominante, sed charitate serviente felices.* *Essentialis status Religiosi.* Ad essentiam status Religiosi requiruntur tria vota, non tamen solemnia, sed satis est ad statum Religiosum, si ab Ecclesia ut talia recipiantur. Ratio hujus est, quòd uti mox probabo, solemnitas voti sit solùm ex institutione Ecclesiæ, quam solemnitatem sicut in unâ Religione potest exigere Ecclesia, ita in aliâ potest eamdem nolle exigere. Patet hoc in Scholasticis profitentibus Societatis, qui etsi non emittant vota solemnia, debent tamen dici, veri Religiosi, uti definit Greg. XIII. 1584. in Bulla *adscendente Domino.* Unde si alibi in jure legatur, ad statum Religiosum requiri vota solemnia, intelligendum est, juxta jus antiquum, quando talia vota ad Religiosum statum requirebantur.

Approbatio talis status. Dicendum 2. Requiritur tamen ad statum Religiosum Ecclesiæ approbatio, aliàs erit status Laïcalis, adeo ut etsi quis vota illa in tali statu emitteret, nihil efficeret, & alter in voventem non acciperet ultrà naturalem jurisdictionem. Non tamen requiritur ad statum Religiosum, quòd à Papa sit immediatè approbatus,

batus, nam Religiones S. Augustini, Basilii, Antonii, Benedicti, non fuerunt ab initio à Papa approbatæ, sed solùm ab Episcopis, quibus suberant, etsi sensim à Conciliis & Pontificibus approbatæ sint & confirmatæ.

Dicendum 3. Quo modus vivendi Religionis est conformior modo vivendi Christi, eo est perfectior: Hinc non semper austerior est perfectior, neque qui choro utitur semper perfectior est eo, qui eo non utitur, cùm verò vita Christi partim activa fuerit, partim contemplativa, sequitur Religionem de se activam simul & contemplativam esse cæteris paribus perfectiorem, cùm ordinetur ad finem perfectiorem, & ex perfectione finis debeat perfectio Religionis æstimari. *Status Religionis perfectior.*

Dicendum 4. Solemnitas voti est ex solo jure Ecclesiastico. Disertè id tradit Greg. XIII. loco citato: ubi ait solemnitatem voti solâ constitutione Ecclesiæ inventam esse: idem habet capt. *quod votum* de voto & voti redemptione in 6. capt. *Rursus qui Clerici, &c.* Ex quo patet posse Pontificem dispensare in voto solemni castitatis Religiosorum, cùm hoc possit in tali voto simplici, potest enim constitutionem à se positam relaxare. Sic Alex. 3. dispensavit cum Nicolao Justiniano Monacho, ut duceret uxorem, & alia exempla satis obvia hac de re suppetunt, & aliqua sectione 3. Attulimus. *Solemnitas votorum est ex solo jure Ecclesiæ.*

SECTIO VI.

Ad quid teneatur Religiosus ex vi votorum, ac primò de voto paupertatis religiosæ.

VOTUM paupertatis, est voluntaria abdicatio rerum omnium temporalium, quâ Religiosus se privat omni Dominio independenti à nutu superioris. Aliud est solemne, aliud est simplex; solem- *Quid sit Religiosa paupertas.*

ne est, quo redditur religiosus planè incapax omnis dominii, quod & fit in professione religiosa. Simplex est, quo vovens à se abdicat omnem usum proprietarium, sic tamen ut acquisitio dominii vel alienatio sit valida, etsi illicita. Votum solemne illud constituit statum religionis, ita tamen, ut idem juxtà bullam Gregorii XIII. Faciat votum simplex in Societate Jesu. Hoc tamen voto non obstante

Potest Religio habere aliqua in communi. Dicendum primò Quòd religio possit habere in communi aliqua bona, tam mobilia, quam immobilia, quod exceptis Capucinis & minoribus concedit Conc. Trid. ses. 25. c. 2. de regul. Etiam quoad dominium, non ad usum solum, quem etiam habent Capucini & Minoritæ. Deinde, dominium eorumdem âd se recepit Ecclesia, quo facto patet dominium aliorum ordinum spectare ad communitatem: unde solet etiam dici, quòd quidquid acquirit monachus, acquirat monasterio, tamquam Domino.

His dictis repugnat Navarrus & Marchant tribun. parte 3. Quasi id non conveniret statui religioso, exigenti omnis dominii abdicationem, etiam in communi, juxtà illud Christi....... *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, &c.* Quomodo enim, ait ille, omnia dimittit, qui sæpè pinguiorem adit Monasterii hæreditatem? quare docet, solam bonorum administrationem relictam monasterio, dominium verò Christo Domino: undè & bona Monasterii, dicuntur *patrimonium Christi.*

Verùm illa communi Doctorum sensui & doctrinæ repugnant, & aliquatenus errori fratricellorum videntur favere, qui teste S. Antonino p. 4. tit. 12. c. 3. tempore Joannis 22. circà annum 1324. non sine magno Ecclesiæ schismate docebant, nec Christum nec Apostolos habuisse aliquid in communi, non obstante quòd Joannes docuisset oppositum: quod & falsum fuisse claret ex S. Textu, ex quo colligitur Apostolos emisse necessaria: primis Christianis omnia fuisse communia, &c.

Qua

Quapropter dicendum, quòd dominium in communi non obſtet ſtatui religioſo, nec conſequenter paupertati à Chriſto inſtitutæ: cùm dictis verbis Chriſti, *ſi vis perfectus eſſe, &c.* Nihil aliud innuatur, quàm omnem proprietatem abdicandam, quod & fieri omninò poteſt, etſi in communi teneatur dominium. Neque talis hæreditatem adit Monaſterii, niſi quoad uſum, cùm nihil juris independentis habeat religioſus ad aliqua bona, quorum omnium proprietatem per paupertatis votum à ſe abdicavit.

Excipitur tamen hîc ordo Minorum & Capucinorum ubi N. Minores conventuales habere poſſe immobilia & mobilia in communi: Minores verò de obſervantiâ non habere ejuſmodi bona in communi: Sed tamen uti quibuſdam declarationibus Pontificum circà eorumdem paupertatem factis. Capucinos verò profiteri ſe nudam obſervare regulam, & dictis declarationibus renuntiare. Ità Bellisarius c. 2. de voto paup. ſect. 2. num, 70. qui & addit num. 116. Excipi quoque domos ſuas profeſſas, quæ quidem poſſunt habere bona mobilia etiam quoad dominium: non tamen reditus ullos, aut bona ſtabilia, neque in communi, præter ea, quæ ad habitationem aut uſum fuerint neceſſaria aut valdè convenientia: qualis eſt hortus, ad quem religioſi interdum ſe recipiant causâ recreationis. Ita ille.

Quæret aliquis, an dicta illorum paupertas ſit dignior & magis perfecta quàm paupertas aliorum Religioſorum? Reſp. volunt alii quòd ſic, unde alii vocant eam paupertatem altiſſimam, perfectiſſimam, &c. Verùm aliter tradit S. Antoninus loco ſuprà citato §. 25. dicens: *Nec majoris perfectionis eſt renuntiare omnibus in proprio & in communi, ut Minores faciunt, quàm renuntiare omnibus in proprio ſolùm, & non in communi: licet ſit arctior renuntiatio.* Nec enim omnis arctior, eſt etiam perfectior, uti dicam in decurſu: neque Religio aliqua ex eo eſt perfectior, quòd nihil habet in communi, ut ibidem probat S.

Quæ paupertas ſit dignior & perfectior.

Doctor: addens tamen jure merito: *Utinam tales gloriationes & propositiones inter religiosos cessarent: quia multorum malorum sunt causa, sicut experientia docet.*

Si verò quispiam roget, quænam paupertas sit perfectissima, Respondet Bellisarius suprà num. 10. si loquamur de religionibus vitæ activæ, quales sunt hospitales, militares, &c. Iis melius erit habere bona in communi, & quidem copiosa, tamquam necessaria ad finem suum obtinendum. Si verò sit sermo de contemplativis, v. g. merè monasticis: sic etiam præstat habere talia moderata in communi, ad tollendam sollicitudinem nimiam temporalium. Si denique loquamur de mixtis, cujusmodi sunt modò mendicantes, erit melius non habere bona nec in communi, nec in particulari. Ità quidem ex S. Thoma dictus author: addens tamen numero seq. juxtà varios Thomistas, etiàm accedente Cajetano, Religionibus vitam mixtam profitentibus, melius esse absolutè loquendo, habere bona in communi: eo quòd hoc tempore frigescente charitate & Religionibus multiplicatis, non ita possint Religiosi ab aliis sustentationem vitæ acquirere, nisi cum magnâ solicitudine & mentis distractione: idcircò convenientius est, ut habeant bona in communi. Imò huic favere addit Concilium Trid. quod sess. 25. c. 3. de regul. concedit illis dominia in communi exceptis prædictis ordinibus; existimantibus sapientissimis hujus Concilii Patribus talem paupertatis statum his temporibus maximè convenire. Idem probat ulterius variis rationibus: 1. Quòd, qui simile genus paupertatis observarint ordines, constet illos præ cæteris se conservasse in disciplinâ regulari. 2. Quòd alii ordines non habentes bona immobilia in communi, adinvenerint varios modos, quibus habere possent eadem in æquivalenti, quorum ait, plures adferre posset, si vellet: sed justis de causis omittit. 3. Quòd alii ordines non possint adeò liberè sua administrare,

ministrare, timentes amittere eleemosynas. 4. Quòd aliàs à prælatis non benè provideatur necessitatibus subditorum, quo fit, quòd quisque sibi aliunde procuret, sive ab amicis, sive ab aliis, non sine damno Religiosæ disciplinæ: ad quod adducit illud S. Bonav. in Epistolâ ad Provinciales: *Occurrit importuna petitio, quâ omnes transeuntes per terras adeò abhorrent fratrum occursum, ut eis timeant quasi prædonibus obviare.* *Et i.ud* exposit. ad Reg. S. Francisci quæst. 6. *Quando nimis urgemus homines ad dandum, perdunt devotionem prius ad nos habitam, quòd nec prædicatione, nec exemplis, neque aliis quæ facimus, ædificantur.* Certè Christi paupertas & Apostolorum fuit norma & exemplar omnis paupertatis Religiosæ, quibus tamen aliqua in communi dominio fuisse constat: quod locum etiam habet in ordinibus vitæ mixtæ, qualem coluerunt Apostoli.

An sit omnium ordinum eadem paupertas

Quæres ulteriùs an ergo non sit eadem religiosa paupertas in omnibus ordinibus? Resp. Quidam volunt aliam paupertatem esse Monachorum, aliam Canonicorum regularium: Aliam Ordinum mendicantium, aliam Societatis Jesu, aliam Minorum: Aliam ordinum Militarium, prout vel consuetudine vel conniventiâ facta est strictior vel laxior paupertas; Quasi paupertas variis religionibus posset accommodari: Quod non sine bile se legisse scribit Petrus Marchant Trib. p. 3. tr. 11. tit. 1. quæst. 1. in admonitione singulari, idque in quodam neoterico, fortè jam citato, qui paupertatem religiosam tempore Justiniani imperatoris tradit esse introductam & consensu Romani Pontificis firmatam: & addit: Eheu! in quæ tempora devenimus? Unde melius dicitur esse omninò unam & eamdem paupertatem Evangelicam à Christo Domino institutam, ab Apostolis excultam, à primis Religionum institutoribus observatam & commendatam, quâ omnis proprietas independens Religioso adimitur. Quidquid huic contrarium est, est omni paupertati adversum: &

ad summum illud sequitur, quòd paupertas una, sit aliâ strictior, ab unâ tamen & Evangelicâ paupertate descendens, quâ omne proprium interdicitur in omni religione.

Qua acceptio Religiosi sit contra paupertatem. Dicendum 2. Vi Voti paupertatis non potest aliquid religiosus sine ullâ superioris licentia accipere, etsi etiam illud cederet in bonum communitatis. Ratio illius est, quòd vi voti paupertatis religioso omni sit vetitus omnis actus proprietatis & dominii, qualis est actus ille, puta receptio nomine proprio. Excipi tamen hîc posset casus, quo quidpiam acciperet, eo animo ut à Prælato data occasione petat licentiam, quo casu acceptio illa dicit ordinem ad nutum superioris.

Insuper non potest religiosus sine ullâ licentiâ superioris accipere rei alicujus usum, manente dominio apud datorem, cum utendo re illâ se gerat, ut Dominus & proprietarius; usus autem proprietarius æquè ac dominium inhibetur vi voti paupertatis. Deinde, cùm usus ille sit pretio æstimabilis, sequitur, quòd sine licentiâ superioris talem rem accipiendo sit proprietarius.

Peccat itidem contrà votum paupertatis religiosus, si sine licentiâ superioris acquirat scedulam campsoriam sive obligationem, quâ possit pro suâ necessitate uti, cùm scedula illa pecuniæ æquivaleat. Idem est si eo modo accipiat mutuum aut commodatum: cùm per mutuum vi contractus acquiratur dominium rei mutuatæ cum obligatione solvendi, quod (uti supponitur) sit proprio nomine à religioso. In commodato tamen includitur hoc casu usus proprietarius.

Qua donatio. Dicendum 3. Peccat contrà votum paupertatis religiosus, sine licentiâ sui superioris donans alteri res ad usum suum concessas. Ratio est, quòd religiosus sit merus usuarius, & quidem precariò, id est, ad voluntatem & nutum alterius, scilicèt superioris, qui rem suo usui concessam nequit suâ authoritate

tate eam alteri donare. Notant tamen DD. in donatione rerum parvi momenti, præsumi facilè posse licentiam superioris.

Si verò unus religiosus rem aliquam majoris momenti det alteri religioso sine tali licentiâ, disputant an talis violet votum paupertatis: & quidem Caramuël in reg. S. Bened. docet eo casu non violari, eo quòd conventus non sentiat inde damnum, manente dominio talis rei apud conventum, cui consentiunt plures alii. Verùm rectiùs videtur etiam eo casu illud votum violari, exercendo actum proprietatis, sine authoritate superioris dando alteri usum rei sibi concessæ. Non solùm enim peccatur contrà paupertatem, quòd communitas damnificetur, uti patet ex eo, quòd peccari possit contrà paupertatem ubi communitas sentit commodum, v. g. accipiendo aliquid sine superioris licentiâ. Hoc addi potest, faciliùs hîc quidem excusari posse de præsumptâ superioris licentiâ ex eo, quòd res maneat sub dominio communitatis, quam in aliis donationibus externo factis.

Petet aliquis, an saltem religiosus non possit alteri donare sua manuscripta. Resp. plerique Casuistæ quod sic, idque ex eo quòd illa non sint pretio æstimabilia, cùm sint partus scientiæ, quæ de naturâ suâ sunt talia, uti & ipsa scientia, cum accessorium sequitur suum principale. Si verò opponas, quòd ejusmodi vendi possint: Respondent alii, non omnia quæ vendi possunt, prohiberi voto paupertatis, sed solùm bona temporalia & corporalia, quæ vendi possunt & divitem faciunt: Non verò spiritualia, qualis est scientia, ob quam libri pretio digni sunt. Verùm parum infundatè illa procedunt: partim, quòd si quis manuscripta aliqua ab alio accepisset, non posset illa ità alteri donare: Indifferens autem est, an ipse ea fecerit, an ab alio acceperit, cùm quidquid acquirit, acquirat illud monasterio. Deinde, sequeretur inde, nec alios libros esse pretio dignos, cùm non nisi ratione scien- *Quid si donet sic sua manu scripta.*

tiæ

tiæ contentæ sint tales. Imò manuscripta solent sæpè excusis esse rariora & cariora.

Qua occultatio sit contra votum paup. Dicendum 4. Peccat religiosus contra votum paupertatis res aliquas superiori occultando, cùm hoc fiat intentione utendi re aliquâ independenter à dispositione superioris, quòd nolit eam ab illo posse auferri. Excusant alii illos, qui ea occultant eâ solùm intentione, ne subeant confusionem, aut reprehensionem, de cætero parati illa relinquere dispositioni superioris. Idem pariformiter dicendum est, de occultatione rerum apud sæculares.

Peccat contra paupert. res Monasterii corrumpens. Dicendum 5. Peccat Religiosus contrà idem votum, si suâ culpâ res Monasterii corrumpat, eis negligenter utendo, &c. Ratio est, quòd habeat solum usum facti rerum Monasterii, non verò quòd possit illas pro suo libitu dissipare & consumere. Unde quivis Religiosus est quasi particularis dispensator, qui nequit de rebus suo usui concessis aliter disponere quàm juxtà mentem superioris, id est, modo paupertati congruo.

Quandonam violatio paupertatis sit gravis.

In violatione paupert. est ratio furti & sacrilegii. NOTANDUM hic primò, in violatione voti paupertatis reperiri duplicem malitiam, unam furti, aliam sacrilegii: furti quidem, quod usurpet rem alterius, Domino rationabiliter invito, scilicet Monasterio, in quo sita est ratio furti: sacrilegii verò, quatenus est contrà votum, & consequenter contrà Religionem. In utroque autem vitio, dari parvitatem materiæ, est manifestum.

Notandum 2. Ex illo sequi, dari quoque parvitatem materiæ in violatione voti paupertatis, cujus contrarium docuit Gerson. Quibus positis

Qua ma- Dico primò, in designandâ materiâ gravi in violatione

tione voti paupertatis, alii volunt pariformiter loquendum esse, sicut de furtis filiorum, quibus pro materiâ gravi illud statui debet, ad quod pensatis circumstantiis censeretur pater esse graviter invitus: adeo ut illud ex morali potius judicio judicandum sit, aut determinandum, quàm generali determinatione. Cùm ergo alia sit ratio filiorum pauperum, alia ditiorum in hâc materiâ, etiam varia posset statui ratio quoad Religiosos ditioris vel indigentioris Monasterii: adeo quod in unâ Religione esset materia gravis non iiidem esset in aliâ. Unde determinatio illius desumi posset, vel à quantitate circà quam superior hujus religionis esset graviter invitus, quod ex aliis circumstantiis est disjudicandum. Solet alibi illa quantitas determinari, prout fecisse dicunt P. Aquavivam Generalem Societ. statuentem eam quantitatem gravem quæ esset gravis in sæcularibus in furto: quod alii extendunt ad sæculares filios, de quo Fagundez & alii. *teria hic sit gravis.*

Quomodo cesset obligatio voti paupertatis Religiosæ.

CUM violatio voti in eo sita sit, ut ex dictis patet, quòd aliquid accipiatur, donetur, &c. Independenter à nutu superioris: certum est, quòd non violetur, si adsit licentia superioris legitima. Talis verò licentia est quadruplex, scil: generalis, specialis, tacita & expressa. *Generalis* est, quæ datur omnibus in generali. *Specialis* est, quæ alicui particulariter conceditur. *Tacita* est, quæ etsi expresse non habeatur, præsumitur tamen illa adesse, vel illam dandam, si peteretur. *Expressa* est, quæ datur expresse, idest, aliquo signo externo, puta verbo aut scripto, &c. *Quotuplex sit licentia superioris.*

Notandum tamen, ad tacitam requiri fundatam præsumptionem, non verò sufficere inanem & infundatam

daram suspicionem aut opinionem, aliàs censeretur esse nulla.

Potest sufficere tacita. Dicendum ergò 1. Etsi securissima hîc sit licentia expressa, quæ dum haberi potest, maximè expedit eam procurari: tamen si illa non ità commodè haberi possit, & aliqua necessitas urgeat, potest sufficere tacita licentia superioris, ne contra votum paupertatis peccet. Ratio est, quòd in moralibus, sit eadem ratio taciti & expressi, uti dicitur cap. 2. *de rescriptis.* Ut autem sciatur, quandò prudenter præsumi possit adesse tacitam licentiam superioris, assignant aliqui sequentes regulas.

Quid eam possit fundare. 1. Dum constat in simili casu Prælatum facilè licentiam tribuere.

2. Si sit talis consuetudo tolerata in eâdem Religione.

3. Si subditus de affectu sui Prælati ergà se prudenter præsumens, aliquid accipiat, donet, &c. Quòd eam licentiam sibi dedisset, si petivisset.

Excipiunt tamen alii casum, quo in aliquâ communitate esset lex, ne quis uteretur licentiâ præsumptâ: nisi fortè adesset urgens necessitas, neque adiri possit superior: quo casu vel lex illa posset dici irrationabilis: vel non habere locum: adeoque per Epykiam excusari. Hoc tamen addo, quòd in uno casu, etiam quoad quantitatem majorem, magis possit præsumi licentia superioris, quàm in alio, v. g. Quoad receptionem, quàm quoad donationem, magis quoad donationem factam huic, quàm alteri, &c.

Licentia debet data esse liberè. Dicendum 2. Licentia illa debet esse libera: undè, si obtenta sit dolo, metu aut precibus importunis, censetur esse nulla, cùm eo casu, ut ait S. Bern. magis sit *violentia*, quàm *licentia.* Deinde, non est satis ad licentiam præsumendam, quòd superior de eâdem rogatus taceat: quamvis enim plerumque juxta commune dictum, qui tacet, consentire videtur: posset præsumi illa licentia: tamen, sæpè occurrere possunt tales circumstantiæ, in quibus non adeò censendus est supe-

ſuperior conſentire, quàm permittere, quod rogatur: v. g. ſi rogatus ob graves rationes tacet, quæ ſi abeſſent contradiceret: nuda autem permiſſio non excuſat à culpâ.

Dicendum 3. Non poteſt ſuperior dare licentiam expendendi aliqua in uſus ſuperfluos, idque nec validè, nec licitè. Ratio eſt, quòd ſuperiori nulla ſit poteſtas data ad deſtructionem Religionis, qualis eſſet in hoc caſu. Non enim hoc caſu adeò eſſet diſpenſator, quàm diſſipator. Imò tacitè illis ablata eſt poteſtas talis per Conc. Trid. ſeſ. 25. c. 2. de Reg. ſtrictè præcipiens, ne aliquid ſuperfluum ſit in Religione. Unde mirum viros alioqui graves in hac re adeò clarâ, ob aliquas rationes merè quæſitas velle contrarium. *Licentia ad uſus ſuperfluos eſt nulla.*

Hinc ſequitur, quòd ſi ſuperior det licentiam Religioſo, expendendi aliqua in generali, cenſeatur ſolum dare licentiam ad uſus licitos, non vanos, turpes aut ſuperfluos, qualem dare non poteſt.

Dicendum 4. Excuſari quoque poteſt Religioſus à violatione voti paupertatis, per Epyckiam, conſuetudinem & diſpenſationem, uti aliarum legum prævaricationes: quæ tamen ultimatè fundantur in præſumptâ licentiâ. Etſi enim ſubindè injuſtè negare poſſit ſuperior licentiam, poteſt tamen urgenti caſu hîc per Epyckiam Religioſus agere contrà voluntatem ſuperioris illius; quatenus eo caſu ipſa æquitas naturalis cenſetur conſentire. Hoc tamen ſollicitè notandum eſt, debere certò conſtare de injuſtitiâ negationis, vel de ſubſiſtentiâ neceſſitatis, ut per Epyckiam excuſentur.

An

An, & quandò teneatur Religiosus restituere ob violatum votum paupertatis Religiosæ.

DICO primò; cum restitutio sit de jure divino naturali, uti alibi probatur, sequitur quòd Religiosus violando votum paupertatis, & faciendo furtum, teneatur ad restitutionem. Sæpè quidem ratione inopiæ ab obligatione illâ excusari poterit, cùm nihil habet proprii, ubi tamen ex propriis debet fieri restitutio. Cùm tamen eo non obstante de licentiâ sui superioris possit habere aliquos reditus & usum aliorum, quibus posset carere, & iis carendo Monasterio subvenire: sequitur, quòd eatenus posset Religiosus aliqua restituere Religioni, v. g. peculium suo usui concessum, in utilitatem Monasterii convertendo, rebus aliis ad suum usum aliàs concessis carendo, &c. Cùm restitutio fieri debeat omni modo, quo possibilis, &c.

Quomodo possit Religiosus restituere.

Dicendum 2. Si dictis modis Religiosus nequeat restituere, assignant alii varios modos, non quibus cesset obligatio restituendi, sed quibus fit restitutio in æquivalenti: v. g. si Religiosus pro communi bono procuret vel ab amicis, vel aliunde aliqua bona v. g. libros, ornamenta, &c. Item, si ille, qui aliquid à Religioso contrà paupertatem accepit, tantumdem Religioni reddat ex liberalitate. Denique, cessat illa obligatio, si superior illam remittat: sicuti enim ex justâ causâ potest superior alicui Religioso aliquid dare ad privatum usum; ita etiam ex justâ causâ poterit illi remittere aliquid illi æquivalens.

Dicendum 3. Si Religiosus rem mutuò acceptam malè consumat, tenetur restituere illud, quod superest de ea re, uti & illud, de quo factus est ditior. Si verò nihil de illâ re superfit, variant D.D. an teneatur

tur illud solvere. Varii quidem volunt eo casu Religionem gaudere privilegio Macedoniano; quod à lege; *& sequentibus* ff. & C. *Ad Macedonianum*, tale dicitur, quo filiis familias sic mutuum expendentibus, conceditur non solvere: eo quòd Religiosus in his, quæ utilitatem Monasterii concernunt æquiparetur filio familias, & sicut ille est in potestate Patris, ita iste est in potestate Prælati. Denique, quòd quoad utrumque sit æqualis ratio, puta ut ita refrænetur avaritia fœneratorum. Alii tamen rectiùs docent, Religiosos non gaudere tali privilegio: cùm ratio ejusdem cesset in Religioso, ob quam illud datum est filiis familias, puta ne filii machinarentur mortem Patris, ut possent solvere mutuum consumptum, quod cessat in Religioso, qui bonis Prælati non succedit. Deinde, etsi esset eadem in utrisque ratio, nihil inde posset firmiter concludi, cùm in positivis non valeat argumentatio à paritate rationis. Adde, hoc privilegium valdè deviare à jure naturæ, quod præcipit solvere mutuum: & consequenter majori jure esset restringendum, quàm extendendum.

Dicendum 4. Si depositum apud Religiosum pereat, per culpam Religiosi, non tenetur ad illud conventus, idque verum est, etsi ad illud habuetit licentiam superioris. Ratio est, quòd delictum Religiosi particularis non debet præjudicare communitati: aliud est, si monasterium indè factum sit locupletius, si v. g. in illius communitatem illud sit conversum, quo casu, sicuti sentit commodum, debet & sentire incommodum. Ipse verò Religiosus tenetur modo possibili illud restituere, uti & alias res per injustitiam ablatas. Prudenter tamen ob varias inconvenientias ex deposito nasci solitas, in variis Religionibus interdicitur Religiosis habere deposita, maximè sine scitu superioris.

Dicendum 5. Religiosis interdicta est fidejussio sine legitimâ licentiâ, adeò ut taliter facta sit omninò irrita. Primum clarè habet Cap. *Penult. de fidejuss.* Ratio

Religiosus an possit fidejubere.

Ratio posterioris est, quòd Religiosi nihil habeant proprii, quod fidejubendo alteri obligent: adeòque quòd sine debitâ licentiâ obligant, est nullum, eo modo ac si quidpiam sine debitâ licentiâ alteri donarent. Clericis quidem etiam interdicta est fidejussio, ita tamen ut si fidejubeant valeat eorum fidejussio, uti statuitur c. 1. & 2. *De fidejuss.* tamen alia est ratio Clericorum quoad hunc casum, alia monachorum: Clericis enim fidejussio est interdicta pro Laïcis, eo quòd illa illorum statum dedeceat: Religiosis verò interdicitur fidejussio quæcumque, non quòd illa eorum statum dedeceat solùm: sed etiam, quòd nihil habeant proprii, quod alteri obligent: quo pacto est nulla illorum fidejussio.

An contractus Religiosi sint irriti. Dicendum 6. Etsi Religiosis sine debitâ licentiâ superioris sit vetitum contrahere: tamen contractus ita initi sunt omninò irriti, quatenus cedunt in præjudicium Monasterii: quatenus verò cedunt in utilitatem ejus sunt validi, adeò ut in Monasterii voluntate sit, vel eos acceptare vel rejicere. Hoc enim privilegium competit Ecclesiæ, sicut pupillo: ut contractus sine debitâ licentiâ cum illâ facti ita claudicent, ut non sit integrum alteri resilire, & Ecclesia possit vel stare vel non stare tali contractui. Ita communiter Canonistæ. Ex quo deducunt, Religiosum peccare ita contrahendo cum sæculari, cùm illum sic contrahendo decipiat, nisi illius privilegii esset conscius, aut ipse Religiosus ob ignorantiam ejusdem excusetur. Supponitur autem Parochos Religiosos habere licentiam superioris ad contrahendum, uti & ad alia beneficii bona licité & liberè administranda: Nisi contrarium declarasset.

Corrolaria. 1. Ex dictis desumi potest, si prælatus limites suæ administrationis excedens contrahat obligationem, non teneri monasterium, eo quòd eatenus privetur jure administrandi à communitate concesso, neque personæ delictum debet præjudicare communitati: Aliud esset, si communi consilio capituli & Prælati

lati obligatio illa esset contracta, quæ in jure nocet Ecclesiæ.

Secundò, si Prælatus aliqua bona mutuò acceperit, ut illa expendat in usus vanos, non verò in utilitatem Monasterii, non teneri Monasterium. Aliud esset, si ille accepisset ad utilitatem Monasterii, etsi posteà mutatâ mente illa vanè expendisset: cùm ex legitimâ acceptione mutui teneatur Monasterium, cui præjudicare nequit, quòd posteà Prælatus illa malè expenderit. 2.

Tertiò, Si cuipiam commissa sit aliqua administratio, & limites illos non excedendo contrahat, teneri Monasterium obligationi à tali contractæ, cùm censeatur ipsum Monasterium per talem contraxisse. 3.

Quartò, Si quispiam à Prælato mittatur foras, vel ad studia, vel aliò, si ille in viâ faciat obligationes necessarias, teneri Prælatum, qui dando licentiam ad aliquid, censetur dare licentiam ad illud, quod ad alterum est necessarium: aliud est, si obligatio illa fuisset superflua: vel si expensæ ab ipso Prælato essent taxatæ, quas si excederet, non teneretur Prælatus, nisi iterum in viâ quid extraordinarii occurreret; vel etiam, nisi quis vel ad studia, vel aliò à superiore missus esset, eâ conditione, quòd alter daret expensas necessarias. 4.

Ex quibus omnibus patet, quam periculosum sæpè sit cum Religiosis pacisci & contrahere. 5.

Religiosus debet obedire in iis, quæ sunt juxta regulam, non item in iis quæ supra regulam.

Dicendum 1. Obedientiam debet secundùm regulam, adeò ut illa, quæ regulam excedunt, exequi non obligetur. Si verò dubium sit, an aliquid à superiore injunctum, sit regulæ suæ proportionatum, obsequi debet; cùm possessio hîc stet pro imperante. Aliquando obedire tenentur superiori sub mortali, si præcipiat in virtute S. Obedientiæ, si imperet in quantum potest, &c. Aliàs, absente scandalo & contemptu, non peccatur mortaliter. Abutuntur tamen suâ potestate superiores, & obedientiam quasi prodigunt, qui vel leviori de causa & quasi ad omnia mandata

ſub obedientia formali mandata imponunt. Neque etiam ad illa quæ manifeſtè injuſta ſunt, aut mala, obedire tenetur Religioſus, etſi rationes præcepti non ita anxiè debeat inveſtigare, cùm vera obedientia ſoleat eſſe cæca.

Caſtitas Religioſa

Dicendum 2. Ex vi voti caſtitatis, tenetur ſe Religioſus cuſtodire ab omni impudicitia tam internâ, quam externâ, aliàs ultra vitium luxuriæ, committet peccatum ſacrilegii. Quænam verò ad luxuriæ peccatum pertineant dicetur infra. Hinc etiam Conc. Trid. ſeſ. 25. c. 14. ne fœminam Clerici ſuſpectam ullo modo pœnes ſe retineant, aut viſitent, &c. Verè enim S. Aug. 250. ſerm. *Inter omnia Chriſtianorum certamina, ſola duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna & rara victoria.* Nam ut habet l. de Cohab. Clericorum: *Experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior: Cedros libani, duces gregum, ſub hâc peſte cecidiſſe reperi, de quorum caſu non magis ſuſpicabar, quam de Ambroſii vel Hieronymi impudica turpitudine.* Deinde notandum illud S. Bernardi ſerm. 65. in cantica: *Cum fœmina ſemper eſſe, & non cognoſcere fœminam, nonne plus eſt, quam mortuum ſuſcitare?*

Rectoris bonitas eſt bonum Religionis.

Dicendum 3. Cùm tota ſtatûs Religioſi conſtitutio debita pendeat à bono rectore, ante omnia opus eſt, ut caput præcedat, in obſervantiâ Religioſâ: longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla ait Seneca 7. Epiſt. 6. *Meminiſci debent*, ut ait D. Bern. Epiſt. 201. ad Balduinum Abbatem: *Ut voci ſuæ dent vocem virtutis. Quid illud inquis? Ut opera tua verbis concinant, imò verba operibus, ut cures videlicèt prius facere, quam docere. Pulcherrimus ordo eſt, ut onus quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te diſcas qualiter oporteat aliis moderari. Alioqui ſubſannabit te ſapiens, utpote pigrum illum, cui labor ſit manum porrigere ad os. Arguet & Apoſtolus dicens: tu qui alios doces, te ipſum non doces? ſed & notaberis vitio Phariſæorum, qui alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.*

Dare debent voci ſuæ vocem virtutis.

vt. *Sermo quidem vivus & efficax exemplum est operis: faciens facilè suadibile, quod dicitur, dum monstrat fa-ctibile, quod suadetur.* Sciant hoc sapientis Eccl. 12. *Secundùm judicem populi, sic & ministri ejus, & qualis est rector civitatis, tales & habitantes in eâ.* Sciant hoc Gregorii in Past. ad Caium severum: *Cum majores voluptati deserviunt, minoribus lasciviæ fræna relaxant.* Et ibidem 3. parte admon. 5. *Prælati si perversa umquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.* Neque excusantur illi, eo quòd totum Religionis onus, superiorum subordinatorum humeris imponant, nam ut ait Epist. 4. S. Damascenus: *Pro talibus enim animæ negliguntur, oves pereunt, morbi crescunt, hæreses & schismata prodeunt, Ecclesiæ destruuntur, Sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proveniunt, quia ii, quibus hanc provinciam demandatis plerumque ut mercenarii, ovium curam nullam gerunt.*

Dicendum 4. Cùm verò sapientiâ teste, *Adolescens juxta viam suam ambulans, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*, tenetur superior in primis sub gravi peccato providere novitiis de Magistro novitiorum ad id munus maximè idoneo. Unde statuta Præmonst. disp. 1. c. 19. *In deligendo Magistro magna adhibeatur sollicitudo, ut is eligatur, qui excellit pietate & ad juventutem discretè regendam, pietatem sollicitè instillandam, & ad omnem regularis vitæ perfectionem formandam, sit commodissimus.* *Novitiorum Magister.*

Dicendum 5. Tenetur sub gravi culpa superior in religione non solùm promovere pietatem, sed & doctrinam. Ratio ejus est, quòd pietas sine doctrinâ sæpè cæcutiat: exemplum ejus præbet Trithemius l. 1. de viris illust. benedict: dum ait: *Nihil principes terræ in ordine nostro venerabantur, nisi vitæ meritum & scientiæ doctrinam: quibus neglectis ordo devenit in contemptum; mox enim, ut se negotiis sæcularibus immerserunt, lectiones scripturarum neglexerunt, mutari cœpit color disciplinæ optimus, devotio tota ex-* *Pietas & Doctrina.*

piravit. Sciendum est quod ait Greg. l. 1. regist. *apertè*, ait, *dæmones sciunt, quia dum litteris instruimur, in spiritualibus adjuvamur: cùm ergo eas nos discere dissuadent, quid aliud, quam ne lanceam aut gladium faciamus, præcavent? à nonnullorum enim cordibus discendi desiderium maligni spiritus tollunt, ut & sæcularia nesciant, & ad sublimitatem spiritualium non pertingant.* Ex quo patet, quòd ii obligentur graviùs ad studia litterarum promovenda, quorum religio de se est activa, qui aliorum directioni aliquando destinantur: si ea negligant, pecuniis inhiando easque capacitati præponendo, noverint se interitûs religionis præbere causam.

SECTIO VII.

Quid requiratur ad Professionem Religiosam.

Ætas profitendi. EX Conc. Trid. ses. 25. de regul. constât quòd requiratur legitima ætas, quæ ante illud Concilium in Femellis erat 12. annorum, in maribus 14. post illud autem requiruntur 16. anni completi. Patet ex cap. 15. aliàs professio erit nulla.

Novitatus 2. Requiritur annus probationis, & quidem continuus. Addi tamen lubuit casum mihi ab aliquot mensibus propositum: Titius per 10. menses in probatione existens, tentatione Dæmonis aut aliâ, egredi vult, vestes laicales petit & induit, per 3. dies in eis cum licentia superiorum manet in monasterio, si forte animum mutet: post triduum Titium facti pænitet, readmitti postulat; & recipitur: quæsitum est, an Titius teneatur annum integrum probationis resumere, an sufficiat 2. menses superaddere. Ad quem, salvo meliori, resolvi, Titium non debere resumere annum probationis, tum quod censeatur moralis continuatio temporis annui, si 2. menses supperaddat, tum quod non sit dimissio

&

& egressio perfecta & absoluta, dum de consensu superioris ad eum finem in communitate degit, tum denique quod glossa in Reg. *eum qui* de reg. juris in 6. teneat, sufficere annum interpolatum, quod & alii affirmant, si interpolatio non sit adeo notabilis.

3. Requiritur animus profitendi, ne metu vel fraude in monasterium detrudatur, ut admittatur ab iis, qui eum admittere debent; ut professio fiat in religione approbata; ne adsit ulla conditio substantiæ Religionis repugnans, ne habeat impedimentum, quod in aliqua Religione censetur essentiale; ne sit alteri obstrictus. Cùm verò juxta regulam juris, *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*: Sequitur taliter professum non servatis dictis conditionibus, posse reclamare intra quinquennium & egredi, allegatis egressionis causis, juxta Conc. Trid. sess. 15. c. 19. de regul. Si verò à superiore postmodum reperiatur impedimentum essentiale subfuisse tempore Professionis, quod Religiosus conticuit, potest eum ejicere, uti etiam si sit incorrigibilis, quem jubet S. Augustinus in regula ejici de communitate. Alia huc pertinentia dabunt cuique sui ordinis & statûs regulæ particulares & statuta, *Libertas Professionis.*

SECTIO VIII.

Quid sit juramentum.

Dicendum primò, *Juramentum est attestatio divini numinis*; jurans enim quantum est de se, facit Deum testem ejus, quod dicit. Juramentum aliquando bonum est & necessarium, si debitis circumstantiis sit vestitum, quæ sunt, ut adsit *Veritas, judicium & justitia*, juxta hoc Hierem. 4. *Jurabis..... in veritate & in judicio & in justitia. Veritas* in juramento hoc exigit, ut verum sit, aut tale judicetur, quod *Quid Juramentum. Requisita ad juramentum. Veritas: justitia & judicium.*

quod juratur: *Judicium* requirit, ut non nisi ex necessitate & christiana prudentia juretur, unde S. Aug. Serm. 28. de verb. Apost. c. 9. *Quantum*, ait, *ad me pertinet; juro, sed quantum mihi videtur magna necessitate compulsus. Justitia* denique, ne cuipiam juramentum adferat injuriam. Ex quibus patet, quomodo vera sint S. Scripturæ loca varia, quibus videntur prohiberi juramenta; nihil enim aliud intendunt, quam abstinendum esse à juramento, quod dictis conditionibus non est stipatum: abstinendum esse à consuetudine jurandi, à perjurio, &c.

Consuetudo jurandi. Dicendum 2. Consuetudo jurandi, plurimis obvia, est peccatum mortale, si eidem non resistat consuetudinarius. Audi de hac re S. Aug. Serm. 116. inter novos de se ipso: *juravimus*, ait, *& nos, habuimus istam deterrimam consuetudinem & mortiferam; dico charitati vestræ, ex quo Deo servire cœpimus, & quantum malum in perjurio sit, vidimus, timuimus vehementer, & veternosissimam consuetudinem timore frænavimus: frænata restringitur, restricta languescit languescens emoritur, & malæ consuetudini bona succedit.* Quamvis autem talia juramenta ex consuetudine edita, aliquando profluant ex inadvertentia, adeoque in se non sint voluntaria, sunt tamen voluntaria in causa voluntariè continuata, idest in consuetudine, quam quis non studet extirpare, unde illud omittendo exponit se periculo pejerandi, adeòque peccat mortaliter.

Peccant itidem illi, qui levissimâ de causâ jurant, etsi verum sit, quod jurant, cum desit judicium & sit assumere nomen Dei in vanum. Hinc non facilè excusarim, qui ad quodlibet ingemiscunt, *Jesus*, sancto illo nomine abutentes.

Peccant itidem, qui ad singula proposita dicunt, *per animam meam, per Deum, per Sanguinem Christi, testis est Deus, &c.* Quotiescumque per aliquod Dei juratur, aut cujus Deus author aut vindex esse censetur. Si verò dicatur, *aliquid tam verùm esse, quam Deus sit in cœlo, in missa, &c.* Non censetur jurari, sed solum asseri,

afferi, illud tam verum esse, quam illud, ad quod sit comparatio.

Peccant denique illi, qui aliquid jurant, de quo non se existimant esse moraliter certos, sed vel de eo subdubitant, aut falsum sub ratione veri: illi enim, quantùm de se est, statuunt Deum testem falsi, aut saltem illius periculo sese exponunt. Hinc tenetur quilibet, antequam juret, rem debitè investigare, num revera subsit, aut censeatur meritò subesse. *Iurantes dubium.*

Dicendum 3. Non licèt in juramento uti restrictione purè mentali, uti nec mentiri, cùm restrictio mentalis sit mendacium artificiale. Deinde dum quis rogatur, debet jurare ad mentem interrogantis: nam ut ait Isidorus l. 2. c. 31. *Quacumque arte verborum quisquis jurat, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.* Et S. August. Epist. 224. *Expectationem eorum quibus juratur, quisquis deceperit, perjurus est.* Dicta intellige de interrogatione legitima: aliàs si sit interrogatio violenta, injusta, aut non servato juris ordine, non tenetur taliter rogatus ad mentem rogantis, jurare. *Restrictio mentalis in jurante*

Ex dictis quoque patet, quòd illi, qui ad Magistratum promoti sunt, & ad juramentum, se illum non ambivisse, adiguntur, teneantur sincerè ad mentem Regis, hoc juramentum exigentis, respondere & jurare. Ratio dictorum est hæc, quòd cùm Apostolus dicat, quod juramentum sit omnis controversiæ finis, ad Hæb. 6. Illud minimè firmabitur, si uti liceat æquivocatione, aut mentali restrictione, dum legitimè quis de controversia interrogatur. Unde jure merito pridem damnata sunt sequentia à Pontifice maximo Innocentio XI.

Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. *Propositiones condemnatæ.*

Item : *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod demandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

Dicendum 4. Imò etsi hoc necessarium foret, scilicet cum dicta restrictione jurare, ad bonum corporis vel fortunæ aut famæ conservandum, non tamen dictâ restrictione in juramento uti licet, cùm non sint facienda mala, idest mendacia, ut eveniant bona, unde rursum damnata est ibidem hæc sequens propositio : *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est, ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.*

Jurare cum animo non jurandi. Dicendum 5. Jurare cum animo non jurandi illicitum est, etsi prætendatur adesse causa, cùm sit vera elusio divinæ veritatis, & alteri sæpè foret nocivum tale materiale juramentum. Item peccatum mortale est, vocari Deum in testem mendacii levis, cùm semper sit gravis irreverentia, vocare Deum, primam veritatem in testem cujuscumque mendacii, Unde rursum hæc damnata ab Innocentio XI.

Vocare Deum in testem falsi cujuscumque, est peccatum mortale. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem :* Et hæc subsequens ; *Cùm causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Inductio ad jurandum. Dicendum 6. Aliquando licitum est inducere ad jurandum eum, quem quis novit juraturum per falsos Deos aut pejeraturum. Primò quidem ex officio, cùm ille rem petat de se licitam, & licet pejeret aut per falsos Deos, non illud hoc casu petenti ex officio juramentum est imputandum, sed jurantis malitiæ, quam alter solùm permittit justa de causa. Si verò justa causa hoc exigendi hìc desit, tum verum est illud S. Aug. Serm. 117. inter novos ; *Scribite, ait, in cordibus vestris:*

ſtris, quod dico: qui hominem provocavit ad jurationem & ſcit eum falſum juraturum, vincit homicidam, quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animam, imò duas animas. Unde patet, eum quoque mortaliter peccare, qui teſtem inducit ad deponendum falſum, etſi alter putet hoc eſſe verum. Talis enim teſtis, etſi ob bonam fidem poſſit excuſari, tamen non poteſt excuſari ille qui ſcit aliquod eſſe falſum, & alium ad illud teſtandum efficaciter movet: neque magis id licitum eſt, quam movere ebrium ad blaſphemandum, fornicandum, &c.

SECTIO IX.

De diviſione Juramenti.

DICENDUM primò, juramentum aliud eſt *aſſertorium*, cum aliquid ſub juramento aſſeritur vel affirmando illud eſſe verum, vel negando. Aliud eſt *execratorium*, cum aliquid alteri quis imprecatur, cum atteſtatione divini numinis, v. g. *Deus mihi vindex ſit, diabolus me auferat, niſi hoc malum tibi faciam.* Aliud rurſum eſt juramentum *promiſſorium*, cum quis promittit ſe aliquid facturum aut omiſſurum, ſub atteſtatione divinæ veritatis. Duplex autem in promiſſione eſt obligatio, dum quis jurat, prima, quòd de facto dum promittit, habeat voluntatem ad promiſſa aliquando ſolvenda; alia, reſpicit executionem futuram, quod tempore debito adimplebit promiſſa. Ut autem hoc juramentum obliget, primò requiritur, ut materia ejus ſit licita, puta ut ſi res bona & poſſibilis, unde juramentum de re mala eſt irritum, cùm invocatio divinæ veritatis, non poſſit eſſe vinculum iniquitatis: cui adde, quòd ſit gravis irreverentia Deum vocare in teſtem peccati. Unde regula juris in 6. 58. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.* Idem eſt, ſi materia juramenti illius ſit impeditiva majoris boni. Se-

Iuramentum aſſertorium. *Execratorium.* *Promiſſorium.*

Libertas juramenti Secundò requiritur, ut ficut votum, ita juramentum sit liberum, tali libertate, quæ ad mortaliter peccandum sufficiat. Unde juramentum vi aut metu extortum, irritum est, & nullum: idem est de juramento ex errore circa substantiam rei extorto. Ratio est, quòd in his desit consensus ad juramentum, & votum, essentialiter requisitus, ex cujus defectu prædicta sunt irrita.

Quomodo juramenta sint interpretanda. Tertiò requiritur ut juramenta interpretentur juxta conditionem, quam materia juramenti censetur habere annexam; unde quandocumque materia juramenti vel ex dispositione juris, vel communi æstimatione censetur habere annexam conditionem, etiam juramentum super materiam illam cadens, censetur habere talem conditionem annexam. v. g. juramentum matrimonii, habet annexam conditionem, *si nullum adsit impedimentum*: Unde & omni promissorio juramento, hæ conditiones censentur annexæ, *si licitè potero: si superior consentiat: nisi res notabiliter immutetur, si illud cui promissoriè juro, voluerit acceptare, &c.*

Obligatio juramenti pendet ex intentione ejus qui jurat. Quartò notandum est, multum pendere ex mente jurantis & communi sensu obligationem juramenti. Oritur hoc ex priori. Sic qui jurat se filium suum castigaturum, intelligitur comminatoriè, & nisi sese filius emendet. Item qui more aulico jurat se non primò intraturum honoris causâ, censetur se nolle obligare, nisi alius primò intret. Talia tamen juramenta sæpè carent judicio, & vanè assumuntur, unde ab iis melius erit abstinendum. Hinc Scriptura Eccli. 23. *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* Et rursum: *Vir multum jurans, replebitur iniquitate, & non discedet de domo illius plaga.*

Notant autem varii DD. Judæos non esse facilè juramento admittendos, nisi manu admotâ ad legem Moysis: aliàs enim se putant juramento non teneri. Hinc in variis locis, ubi permittuntur inter Christianos, hanc cum illis jurandi formam observant, ut manu

manu sua jurantes legem Moysis contingant. Alii ad cautelam hoc addunt, quod in festo expiationis absolvi soleant à Rabinis suis ab omnibus votis & juramentis malitiosè factis : in cujus fraudem non adeò verentur jurare falsum, maximè in præjudicium Christianorum.

SECTIO X.

Quomodò obligatio juramenti possit tolli.

Dicendum primò, juramenta tolli possunt irritatione, condonatione, & dispensatione, unde sicut illorum vota irritari possunt, ab iis quibus subsunt, prout materia voti est incompatibilis cum statu eorumdem : ita & illorum juramenta possunt à tali superiori irritari. Hinc Pater Familias potest aliquando filii juramenta irritare, Pontifex fidelium juramenta irritat, eorumque vinculum vice Christi relaxat, Prælati juramenta Religiosorum, maritus uxoris, &c. *Ablatio juramenti*

Condonatione posset tolli obligatio juramenti, quando is in cujus favorem juramentum factum est, illud condonat : Sicut enim potest, quis promissa non acceptare, ita potest & eadem condonare. Unde si duo sibi mutuò in mutuam utilitatem juraverint possent sibi mutuò condonare. *Condonatione.*

Dispensatione tollitur obligatio juramenti, ab eo, qui in jurantem habet jurisdictionem non impeditam. Quandonam autem dispensatio valeat, nec ne, vide in materia de Legibus. *Dispensatione.*

CA-



CAPUT DUODECIMUM.

De Superstitionibus.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Superstitio.

Quid superstitio. DICENDUM primò, *Superstitio* religioni opposita, est *Cultus vitiosus veri aut falsi numinis.* Hanc ait Doctor Angelicus religioni oppositam per excessum, unde & *Superstitio* dicta est; Non quòd Divinum numen nimiùm coli possit, cùm quantùm potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficis; Sed quia adhibet Deo cultum, vel quem non debet, vel eo modo, quo non debet, vel illi, cui non debet. Unde sub se comprehendit 4. species, scilicèt superstitionem divinatoriam, vanam observantiam; Magiam & maleficium.

Superstitio divinatoria. Dicendum 2. *Superstitio divinatoria* est, quâ quis mediis planè inutilibus futura contingentia libera, vel res occultas prædicit aut vult cognoscere. Censentur verò ejusmodi media esse inutilia, quæ neque ex natura sua, nec ex ordinatione divina, aliquam virtutem habent cum effectu. Aliud est, si aliqua naturalem haberent connexionem cum effectu, & à communiter accidentibus colligi possint esse connexa, qualiter ex colore lunæ, solis, aëris temperie, cognoscimus futura contingentia, puta secuturas pluvias, serenitates, &c. Idem dicendum est de signis Physiognomicis, seu quando ex Physiognomia alicujus colligitur, aliquem esse talis vel talis inclinationis, &c. Quæ sæpè connexionem naturalem habent

habent cum effectu, etsi cautè in talibus sit quoque procedendum. Aliud est, quando vel cribri versione tentant divinare fures, quando inspectione manûs volunt divinare futuram fortunam, quando ex Horoscopo nativitatis alicujus, bonum aut malum hominis successum certò volunt divinare, &c. Quæ omnia ut superstitiones divinatoriæ condemnata sunt à variis pontificibus, & signanter ab Urbano VIII. 1631.

Dicendum 3. *Vana Observantia* est, quæ ex inutilibus & vanis signis, certos effectus certò & infallibiliter expectat. Consistit autem hæc vana observantia in practica expectatione effectûs ex talibus signis, ubi divinatio speculativè præscit & annuntiat futuros eventus. Dividitur vana observantia in artem notoriam, observantiam sanitatum, & observantiam futurorum eventuum. *Ars notoria* est, cum quis per profana signa v.g. amatoria pocula, &c. Scientiæ alicujus infusionem expectat, quam subinde dæmon procurat. Vidimus illud in anabaptistis, qui sumptâ suâ execrandâ cænâ, ingeniosè & doctè ex Sacris Scripturis ex suggestu verba facerent, ubi tamen numquam litteras didicerant, quâ scientiâ rursum destituuntur, si ad Catholicam fidem subinde convertantur. Ad eamdem reducitur praxis eorum qui nocte S. Joan. Baptist. sub aviculis pervigilant eorum garritum expectantes à dæmone indubiè procuratum. Est hæc superstitio de se peccatum mortale, uti & diuinatio, cùm à creatura illud expectetur, quod à solo Deo expectari potest, tum etiam quòd pactum cum dæmone includat.

Vana observantia.

Ars notoria.

Dicendum 4. *Observantia sanitatum* est, quando inutilia media adhibentur ad sanitatem recuperandam. In qua, sedulò videndum est; an signa illa, quæ de se apparent ad effectum sanitatis inutilia, nullam habeant naturalem vim ad eumdem effectum: & quamvis ad eum habeant vim quamdam naturalem, tamen videndum est an nulla inutilis circumstantia,

Observantia sanitatum.

ſtantia, ut neceſſaria conjungatur: v. g. ſi quid fieri debeat certâ horâ, manu, loco, numero, &c. Unde etiam varia hic pro praxi notanda ſunt, primò quidem illa ſigna ſæpè eſſe Sanctiſſima, ſed aliquid ignoti admixtum habent: vidi ego litteras à quodam milite à me receptas, continentes innumeris locis nomen Jesu, ſed in fine duo verſus advertebantur planè exotici & ignoti: erant autem hæ litteræ (ut præ ſe ferebant) efficaces contra difficiles mulieris partus, incendia, vulnera, &c. & hæc eſt dæmonis aſtutia & dolus, quo ſub ſpecie ſanctitatis, incautos homines corrumpit & ſeducit.

Dæmon ſub ſpecie ſanctitatis fallit.

Frivola plebis excuſatio.

Secundò hic obſervandum eſt, plerumque à communi populo dum hic arguuntur, obtendi, ſe ſæpè per ea ſigna expertos eſſe effectus, ad quos ea ſigna adhibent. Quaſi vero effectus illi à dæmone ſæpè non procurarentur, ut plures pervertat, dum effectus experiuntur. Unde, illis oſtendendum, quomodò effectus illi, non niſi à dæmone poſſint expectari. Hinc ulterius dicendum eſt, ſuperſtitioſum eſſe geſtare amuleta, reliquias, &c. tamquam ob eorum geſtationem, quis ſit liber à vulnere, ſanguinis effuſione & aliis.

Obſervantia futurorum eventuum.

Dicendum 5. *Obſervantia futurorum eventuum* eſt, quando quis ex variis ſignis, futuros effectus infallibiliter obſervat. V.g. quando quis non vult lævo pede è lecto ſurgere, ne malus dies ei ſuccedat: qui non vult die veneris ungues præſcindere. Qui ex pictitatione picæ, corvi crocitatione, &c. malum certò impendens obſervant; qui projiciunt aut baptiſant, ut ajunt, ſtatuam ſancti in aquas, ut pluat; qui feſto S. Joannis aut Matthiæ hæderas colligunt, ut ſciant cui debeant nubere: qui puerum recenter natum equo imponunt, ut fiat auriga generoſus, neque equos reformidet: qui ſecundina pulli equini nati, quercui ſuſpendunt, ut pullus bene accreſcat: qui capita equorum ſtabulorum tectis imponunt, ne morbi aut peſtis beſtias corrumpat, &c.

Solùm

Solùm hic est difficultas in aliquibus cæremoniis in Ecclesia observari solitis, an eæ sint ab omni superstitione excusandæ. Præcipuæ in Belgio hæ sunt: Pro rabie curanda vadunt ad reliquias S. Huberti, quibus prohibetur respicere specula, à certis cibis abstinere. Pro curandis Aposteumatibus, vadunt ad S. Quirinum: In Festo S. Nicolai aperiunt æquorum venas: Ex primo nummo oblato crucifixo in parasceve, curant fabrefieri annulum contra contractiones nervorum: Ad Templa S. Cornelii, Eligii & Antonii jumenta aliquoties circumducunt. Ad quæ Respondeo talia non ita statim superstitionis esse condemnanda: Nam multa ejusmodi tacitè approbat Ecclesia, dum eadem observare probè novit, & non contradicit: Possunt enim habere ex intentione Ecclesiæ, sacram quandam significationem tales actus, ac simul aliquando cum effectu naturalem connexionem. v. g. quod rabidi à certo cibo abstineant, quod specula prohibeantur aspicere, ne imaginatio eorum fortius moveatur. Imò certæ cæremoniæ S. Huberti dicuntur ab Ecclesia examinatæ & approbatæ. Hoc tamen fatendum est, multa in similibus cæremoniis subrepsisse ex negligentia Pastorum, & vanitate vulgi, quæ vanam observantiam sapiunt, & sæpè ab Ecclesia ignorantur: Unde Pastores singulariter ad hoc vitium invigilare debent, cùm in communi populo sit satis frequens & familiare, ut experientia docet.

Ritus aliqui ab Ecclesia tolerati.

SECTIO II.

De Magia & Maleficio.

DICENDUM primò, *Magia* est ratio quædam mira operandi ope dæmonis, vel tacito vel expresso pacto cum eo inito. Est & alia magia, quam vocant *Naturalem*, quæ occultis naturæ miraculis & indu-

Quid magia.

Magia naturalis.

industriâ mira efficit & docet: Tales magi fuerunt juxta plurimos, qui stellâ duce Christum jam natum venerant adorare: Talis tamen magia sæpè veram magiam hinc inde habet annexam, aut periculum ejusdem, unde ab Ecclesia libri tractantes de magia naturali, sunt prohibiti, qualis est Ludov. Portæ & aliorum. Hujus ergo magiæ superstitiosæ auctor est dæmon, qui ad certa signa, effectus quosdam miros producit: Et quisquis eam primus adinvenit hominum diabolo auctore adinvenit

Magia includit pactum cum dæmone. Ratio autem colligendi aliquid spectare ad magiam, est illa, si vel expressè vel tacitè invocetur dæmon: Si verba exotica vel falsa precibus sint mixta, v. g. Christum habuisse febres, &c. Si admixtum habeat ligaturas, specula & alia inutilia, nullam habentia cum effectu connexionem. Deinde, si adhibeantur circumstantiæ inutiles, ut omninò necessariæ. Denique, si tales effectus prodeant, qui industriam humanam superent, quales effectus potestate suâ magnâ satis efficere dæmones posse, omnibus fit manifestum.

Signa mali spiritus. Eodem modo dignosci possunt boni & mali spiritus: Signa malorum sunt, si ad res sacras diffugiant, si pravam causam suæ apparitionis obtendant si aliquid fidei contrarium adferant, contra doctrinam Ecclesiæ, bonos mores, si ad vitia excitent, si post se relinquant animi turbationem, si impediant rem cum Superiore aut Confessario tractari, si forma apparentis sit deformis, &c.

Probatio vulgaris. Dicendum 2. Videtur omnino illicitus esse modus probandi sagas per aquam frigidam, ferventem aut ferrum candens. Cùm enim experiri velint hoc pacto, an cum dæmone pactum habeant, censentur implicitè effectum illum à dæmone expectare, quod illicitum esse, nemo nescit. Sic etiam non licet cor animantis veneficiis enecati coquere ferventi igne & aqua, ad dignoscendum veneficii authorem, cùm dæmon promiserit, se authori necis nociturum, posito tali signo. Dicen-

Dicendum 3. Si dæmon ex energumeno dicat Petrum v. g. esse magum, & promittat se id probaturum, si adjuratus id attestetur, poterit eidem (etsi Patri falsitatis) aliquando haberi Fides: Eo quòd dæmones adjurati, perjurium horreant, adeòque si v. g. dicant esse urbem hostibus prodendam, posset procedi ad generalem inquisitionem. Hoc tamen notandum est, non esse promiscuè dæmoni credendum, & quamvis aliquando verum dicere possit, tamen dicta ejus fide indigna sunt judicanda: Et quamvis perjuria horrent, tamen ea non facile horrent, uti mendacia, si opportuna sint ad hominum seductionem. *Dæmoni ex energumeno loquenti, an sit credendum.*

Dicendum 4. Cùm liceat dæmonibus resistere, certum est licitum esse signa maleficii auferre. *Maleficium* autem est; quando magus vel saga ad positionem signi alicujus ope dæmonis nocet vel nocere intendit, idque ex quodam pacto. Distinguitur verò in veneficium & amatorium. *Veneficium* est, quando dictum nocumentum fit personæ hominis, eam interficiendo, corrumpendo, &c. *Amatorium* est, quando dæmon positis certis signis affectus hominis miris modis Inflammat, v. g. ad amorem libidinosum, ad odia philtris, &c. potest enim dæmon mediantibus variis rebus aut speciebus propositis, causare varios hominis affectus. Ratio ergo dictæ conclusionis est, quòd talis amovendo simpliciter signa dicta, opera & machinationes dæmonis destruit, eumque oppugnat, nullo modo intendens ei coöperari. Cavendum tamen, ne unum maleficium alio maleficio destruatur. Imò licitum est ad destructionem maleficii ponere alia signa, quibus positis desinit dæmon nocere: licèt enim aliquid facere, quo finitur pactum diabolicum, modò nullo modo intendatur dæmoni coöperari, sed ejus nocumenta & mala solùm avertere. Sic licitum est sagam te percutientem repercutere, ab ea rogare panem, vel salem, ad quæ volunt desinere diabolum à nocumento: quæ om- *Quid sit Maleficium. Quid Veneficium. Quid Amatorium. An liceat tollere signa Maleficii.*

nia intelligenda sunt de mera oppugnatione dæm nis, nullo modo effectum aliquem à dæmone exp ctando, sed solam à nocumento cessationem.

SECTIO III.

De Cultu falso, & superfluo.

Quid falsus cultus DICENDUM primò, *Falsus cultus* est omnis ille, qui aliquid falsi continet v. g. si quis falsis miraculis, testimoniis, signis, &c. res fidei nititur confirmare. Talem adhibent & ii, qui cæremoniam falsam, ut Ecclesiasticam obtendunt, qui in administratione Sacramentorum falsa adhibent, qui etiamnum ritibus L. V. utuntur, puta circumcisione, purificatione & aliis. Talis erat cultus ille act. 14..... Quo viri Lycaöniæ Paulum & Barnabam ut Deos venerabantur; *Quid superfluus.* *Cultus superfluus* est, quando quis privatâ devotione aliquid cæremoniis legitimis admiscet, idque præter Ecclesiæ morem. v. g. omnis ille cultus, quem aliqui Sacerdotes in celebratione Missæ, præter Ecclesiæ rubricas adjungunt, v. g. osculando pedem Calicis post Elevationem dimissi, &c. De quibus agam de Missæ Sacrificio. Talis erat cultus Canonicorum Lugdunensium, qui privatâ authoritate Festum conceptionis immaculatæ instituerant, quos reprehendit S. Bernard. de quo facto diximus alibi agendo de cultu D. Virginis.

Quid Sacrilegium. Dicendum 2. His adjungi solet sacrilegium & tentatio Dei. *Sacrilegium* est inhonoratio rei sacræ, ut sacra est. Hinc personæ sacræ injuriam facere, aut loco sacro, Sacrilegium est, & ultra peccatum injuriæ, peccatum Sacrilegii complectitur: Idem est, de omni alio peccato rei sacræ ut tali admisso, ut omnis immunditia personæ sacræ, aut abusus rei sacræ aut loci sacri: Gravitas autem ejus ex eo considerari poterit, ex graviori vel leviori irreverentiâ

Deo

Deo aut rebus sacris injustâ, quæ in Deum redundare censetur. Ubi & hoc notari potest, quòd quandoque peccetur peccato sacrilegii per omissionem, quatenus illa est causa irreverentiæ, v. g. si ob negligentiam sacristæ quis inferat manus injustas aut violentas in vasa sacra, calices, &c.

Dicendum ultimò, *Tentatio Dei* est, quando quis sine justa causa experimentum capit divinæ sapientiæ, providentiæ aut alterius attributi divini. Malitia ejus in eo sita est, quòd sine causa à Deo opus aliquod extraordinarium expectetur, in quo gravis est irreverentia, cùm nostrum non sit sine causa, divina arcana scrutari. Ad hanc Dei tentationem reducuntur *Purgationes vulgares*, per ferrum candens, per aquas, &c. Cùm insolita à Deo sine causa expectentur. Aliud est si causa justa adsit, ut si Dei jussu tale experimentum capiatur, ut quondam præcepit Achaz Isaiæ 7. ut peteret à Deo signum (futuræ liberationis) sive in Profundnm inferni, sive in excelsum supra. *Quid tentatio Dei.*

SECTIO IV.

De Pietate, Observantia, & Obedientia.

DICENDUM primò, *Pietas* aliquando sumitur pro devotione, aliquando pro misericordia, propriè tamen est virtus, quâ debitum obsequium parentibus reddimus. Sicut enim Deo debetur cultus summus, quia Principium est omnium & ultimus finis: Ita & parentibus debetur cultus & obsequium eo quòd sint Principium ortûs nostri. *Parentes* comprehendunt hic Patriam, Consanguineos, Uxores, &c. Quatenus illis aut nobis conjuncti sunt, & educationi nostræ intenti. Ex quo patet, quòd objectum *cui* pietatis; sint parentes; Objectum *quod*, sit cultus illis debitus; ratio formalis sit debitum pa- *Quid Pietas.*

rentibus, ideo enim illis impendimus obsequia, quia illis sunt dèbita. Recordàndum enim, ut ait Sapiens Eccli. 7. quoniam nisi per illos nati non fuissemus, unde retribuendum illis, sicuti & illi nobis. Sicut autem *Qui honorat Patrem suum, vita vivet longiore*, ut idem ait c. 3. ita & *Maledictus qui non honorat Patrem suum & Matrem, & dicet omnis Populus amen.* Deut 27. Deinde, *qui affligit patrem, & fugat Matrem, ignominiosus est, & infelix.* Prov. 19. Hinc, si Parentes sint in gravi, aut extremâ necessitate, & filius illis succurrere possit, non potest ingredi religionem, multò minus profiteri, cùm obligatio pietatis hic sit juris divini naturalis, quæ longè prævalet operibus consilii. Ulterius tenentur filii obedire parentibus in omnibus, aut ut ait Apost. ac Colos. 3. *Per omnia*, supple quæ honesta sunt, nam aliàs obedire oportet magis Deo, quàm hominibus, act. 5. supple quoque, obediendum esse in iis, quæ ad curam paternam pertinent: In variis enim filius est sui proprii juris, v. g. in deligendo vitæ statu, etsi parentes in hoc negotio consulere conveniat. Si verò parentes quoad religionis ingressum sint irrationabiliter inuiti, habet locum illud Hieronymi Epist. ad Heliod. *Licet sparso crine & scissis vestibus ubera quibus te nutrierat, mater ostendat: Licet in limine pater jaceat: Per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola: Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Oggarrit hic Erasmus in colloquio Eubuli & Catharinæ, & dicit, quòd natura dictet, Deus approbet, Paulus hortetur; leges humanæ sanciant ut filii obediant parentibus, illi autem se subducant ab authoritate parentum optimorum, ut pro vero patre se dedant fictitio, & pro vera matre adsciscant alienam, aut potius pro parentibus sibi Dominos ac Dominas adsciscant........ *Inventum est*, ait, *sub prætextu religionis novum servitutis genus: Nihil ibi licebit, nisi ex præscripto, quidquid obvenerit tibi accrescit. Si quo pedem moveris, retraheris à fugâ, perinde*

In quibus filii debeant parentibus obedire.

quasi

quasi parentem veneno necaveris. Quoque sit evidentior servitus; commutant vestem, quam dederunt parentes, & ad exemplum priscum eorum, qui olim essent servos mercati, commutant nomen in Baptismo inditum, ac pro Petro vel Joanne, vocant Franciscum sive Dominicum. Ita versipellis iste. Verùm ut paucis expediam, quidem verum est, quòd natura dictet, Deus approbet, &c. Honorem parentibus esse debitum, sed honor ille & ejus obligatio suos habet terminos, puta, nisi in contrarium vocet pater Cælestis. Sic Apostolus ait ad Hæb. 12. *Patres carnis nostræ eruditores & castigatores habuimus & reverebamur eos: nonne multò magis obtemperabimus patri spirituum?* Quod verò addat, religionem esse servitutem, mera est calumnia, uti & alia quæ adjungit animo nimium ergo religionem præoccupato: solum attendat, quòd servire Deo sit regnare, in qua servitute utinam mansisset. Quomodo parentes in aggressu Matrimonii sint consulendi, dicam de Matrimonio.

Ex quibus omnibus manifestè colligitur, quâ censurâ digni sint, qui docere audent, *Licitum esse absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis*: item hanc: *Licitum est filio gaudere de patricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas*: Quas pro suo merito jam nuper condemnavit Sanctissimus Pater Innocentius XI. *Filius ante diem patrios inquirit in annos.*

Dicendum 2. *Observantia* est virtus, quæ debitum honorem defert illis, qui nos gubernant, v. g. Magistratui, Principi Patriæ, Monachus Abbati, &c. Sapientes itidem & Sanctitate eminentes hæc virtus respicit, quatenus ratione excellentiæ, & aptitudinis ad nos gubernandum, cultus illis debetur. Unde docet S. Thomas hic, quòd objectum *cui* observantiæ, sit Principium illud quod nos vel actu vel potentiâ gubernat. Prout autem motivum observantiæ est varium, puta religiosum, Sanctum, &c. diversa solet statui observantia, puta Religiosa, supernaturalis, politica, &c. *Quid observantia?*

Quid obedientia. Dicendum 3. *Obedientia* est virtus, quæ facit illud, quod præceptum est: alia est formalis, alia materialis: *Formalis* est, quæ facit præceptum, quia præceptum est; *Materialis*, quæ solum ponit actum præcepti. Pari modo dividi potest inobedientia in materialem & formalem. *Materialis* est trangressio cujuscumque præcepti: *Formalis* quando transgreditur quis præceptum, ea intentione ut illud violet, & quia præceptum est, quæ de se est peccatum mortale, cùm qui spernit superiores debitos, Deum spernat, & omnis potestas à Deo sit. Alia de Religiosa obedientia videri possunt de statu Religioso.

Quid inobedientia formalis.

SECTIO V.

De Gratitudine & Veritate.

Quid gratitudo. Dicendum primò. *Gratitudo* est virtus, quæ respicit debitum, ortum ex beneficio, ut eidem satisfaciat. Ex dato namque beneficio nascitur obligatio gratitudinis in alio, unde habet axioma; *beneficium accipere, est libertatem vendere*, eo quòd per beneficium inducatur debitum satisfaciendi. Unde ante omnes benefactores, gratitudo debetur Deo, quia ut ait S. August. in Soliloq. c. 18. *Sicut nulla est hora vel punctus, quo tuo beneficio non utor, sic nulla debet esse hora, quâ te non habeam ante oculos.* Scilicet ut quidpiam pro omnibus beneficiis rependam. Hoc qui maturè perpendit, noscet liquidò, tantâ compensatione Deum dignum esse, ut omnia opera ad ejus gloriam referantur, ex quo proveniunt, ut à principio & authore.

Officia gratitudinis. Dicendum 2. Officia gratitudinis recensentur: 1. beneficium agnoscere, ejusque benigna acceptatio, nam ut ait Seneca l. 2. de benef. c. 24. *Qui gratè beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit.* 2. Laudare & gratias agere: 3. Retribuere suo loco & tempore.

tempore. Unde Philosophus præfatus l. 3. c. 1. & ex eo S. Thomas 2. 2. q. 107. a. 1. *Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat. Ingratus est, qui dissimulat: ingratus est, qui non reddit: ingratissimus omnium, qui oblitus est. Illi enim, si non solvunt, tamen debent, & exat apud nos vestigium certè meritorum: & aliquando ad referendam gratiam converti ex aliquâ causâ possunt, si illos pudor admonuerit.* Ex quibus patet, quinam sint gradus ingratitudinis: 1. Non conari beneficium reddere: rarò vel numquam gratias reddere: rarò vel numquam de beneficiis cogitare: malum pro bono reddere; beneficia negare vel extenuare, imò aliquando loco maleficii æstimare. Porro ingratitudo alia est formalis, alia materialis. *Formalis* est, quando beneficus animus contemnitur, ne quis videatur alteri ex beneficio debitus: estque hæc ingratitudo peccatum mortale ex genere suo, cùm contemptus animi benevoli & sinistra interpretatio benefactoris, non sit minus malum, quam sit judicium temerarium; imò illud involvit: imò hoc contemptu magis offenduntur, quam judicio temerario. *Materialis* est, quando sine tali contemptu omittitur debitum gratitudinis, aut committitur aliquid adversus benefactorem. hujus vitii deformitatem horrent ipsa animalia bruta, cùm teste Senecâ l. 1. c. 3. de benef. *Officia etiam bestiæ sentiunt, nec ullum tam immansuetum animal est, quod non mitiget cura, & in amorem sui vertat Leonum ora.* Unde D. Thomas ingratum *scelestum* nuncupat, adducens illud Pauli 2. Timoth. 3. parentibus non obedientes, dicuntur *ingrati, Scelesti.* Et rectè Philosophus dictus l. 3. c. 1. de Beneficiis, *Non referre beneficiis gratiam, & est turpe & apud omnes habetur,* ut tale.

Officia ingratitudinis.

Quid ingratitudo formalis.

Dicendum 3. *Veritas* est virtus, quæ procurat ut in scriptura, verbis, aliisque signis sit veritas, idest conformitas judicii aut signi, ad rem judicatam, aut significatam. Hæc etsi rara in terris, eximia tamen est virtus: adeò ut Christus se *veritatem* nominet Joan.

Quid sit veritas.

Ejus dignitas.

 14.

14. & Esdras 3. dicat: *Super omnia vincit veritas*, nam ut ait Apost. ad Philip. 4. *Nihil possumus contra veritatem*: & quid miri, cùm Deus sit veritas, & si *Deus pro nobis*; *quis contra nos?* Rom 8. Virtus hæc maximè decet viros Ecclesiasticos, cùm exodi 27. solemni vesti summi Sacerdotis in pectore inscriptum erat, *Doctrina & veritas*. Sicuti autem nihil ita necessarium, ita nihil magis in mundo inusitatum: *Non est veritas* .. *in terra*, ait Oseas 4. plerique veritatem in injustitiâ detinent: quæris causam? odium veritas parit, adulatio amicos, veritas inimicos. *Ego*, ait Apost. Gal. 4. *Inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis*. Et Amos 5. *Odio habuerunt corripientem*. Hinc ut illi Isaiæ 30. promiscuè clamant: *Loquimini nobis placentia*; Verùm *si hominibus placerem, Christi servus non essem* ait Apost.

Ecclesiastis necessaria.

Est rarâ in terris.

Dicendum 4. *Mendacium* veritati adversum, est locutio contra mentem. *Simulatio* est mendacium in gestu. Famosè mendacium dividitur in officiosum, jocosum & perniciosum. *Officiosum* est, quod causâ utilitatis prodit: *Jocosum*, quod causâ voluptatis: *Perniciosum* est, quod alteri injustè nocet, quod nocumentum, si sit grave erit peccatum mortale, cùm graviter lædat charitatem. De hoc ait sapient. c. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam*: & Psalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: & rursum Prov. 12. *Abominatio est Domino, labia mendacia*.

Quid mendaciū quid simulatio.

Mendacium triplex.

Dicendum 5. Mendacium jocosum aut officiosum de se sunt solùm veniale peccatum, cùm inordinatio in mendacio secundum se, non ita graviter lædat aliquem: numquam tamen simile mendacium proferre licet, etiam ad gravissimum damnum advertendum, quod olim licitum docuerunt Origines & alii, quos abundè refutat S. August. l. priore de mendacio c. 5. 6. 7. & sequentibus. Idem docet Innoc. III. capt. *superior* de usura, ubi ait: *Scripturam Sacram prohibere, ne quis etiam pro alterius vitâ servandâ mentiatur*. Unde patet mendacium esse intrinsecè malum, quòd signis abutantur, & turpe sit & rationi difforme, quod ratio

Quale sit peccatum mentiri.

tio & loquela discordent, & quòd lingua negat, animus affirmet aut contra. Potest tamen quis loqui falsum, & tamen non mentiri, si, quod revera falsum est, bonâ fide putet quis esse verum, & ut tale illud enuntiat.

Dicendum 6. Restringere mentaliter, est artificialiter mentiri. Pro cujus pleniori intelligentia prænotandum est, quòd aliquando sit restrictio purè mentalis: aliquando non purè talis, sed quòd aliquando circumstantiæ externæ cum illa consignificent: purè mentalis est purum & putum mendacium: Ratio illius est hæc: quòd tota oratio, quâ parte significat, sit mendax. Non enim significat secundùm partem quam restringit, utpote occultam, sed solùm juxta partem exteriùs manifestatam, quæ falsa est & mendax, cùm non sit conformis menti loquentis. *Restrictio mentalis est mendacium.* *Restrictio mentalis pura & non pura.*

Objiciunt varii, quòd nemo teneatur alteri totam suam mentem explicare, sed potest partem reticere: Deinde loquens non intendit id solum, quod foris sonat, proferre, sed ut illud interiûs restricto est conjunctum. Imò illius exemplum est in Christo, qui Joan. 7. Dicebat amicis suis se non ascendere ad festum, ubi tamen posteà ascendit. Ad quæ Resp. quòd etsi non teneatur quis alteri mentem suam explicare, tamen teneatur non mentiri, prout ille facit, uti mox ostendi. Deinde etsi loquens illud intendat, per hoc nihil mutatur in communi signorum significatione, quæ talem habent, prout foris prolata sonant. Unde restrictio illa nihil confert ad significationem. Quòd verò de Christo opponunt, usu venit hic quod ante mox notavimus: non enim ibi erat nuda & pura mentalis restrictio, sed circumstantiæ adjunctæ satis mentem exterius manifestabant & consignificabant tale esse, quale erat in mente. Petebant etenim amici à Christo, ut publicè & miracula patraturus veniret ad festum in Jerusalem, Christus respondit ad mentem illorum petentium, se non adscendere ita; ad diem festum hunc, etsi privatim posteà adscen-

scenderet. Idem est, de eo, quando agit de ignorantia diei ultimi, quem nec se nosse dicit Matt. 24. cùm subintelligat, & satis indicet, se non nosse eum ut legatus. Sic confessarius, dicit se nescire aliquid, quod tamen scit ex confessione, cùm circumstantia confessarii id satis innuat, sic debere intelligi, quod dicitur. Gravis tamen est error illorum, qui casum hunc confessarii, titulo superioritatis sibi usurpant & vendicant, dum dicunt, etiam superiores posse restringere mentaliter, dum eosdem de aliquibus conveniunt subditi, & negare illud, quod tale esse dignoscunt; non enim illis censetur inesse talis titulus, sicut inest confessario, imò contrarius, cùm candor & sinceritas in superiore per quam sint necessaria, ad subditorum regimen. Nec inde miserabilis superiorum redditur conditio, sed necessaria ad regendum statuitur obligatio: nihil enim ita subditos conciliat, quam superiorum fidelitas & animi candor: & ex adverso, nihil ita eos alienat, quam duplicitas superiorum.

Superiori maximè candor convenit.

Objiciunt ulterius, quòd mentiri sit ire contra mentem, sed restringens purè mentaliter non it contra mentem cùm illud in mente habeat. Resp. it talis contra mentem, quatenus verba illius menti non concordant, dum aliud foris sonat, & aliud intus reticetur. Nec dici potest, talem non intendere mentiri, cùm intentio illa sit inefficax, uti intentio non nocendi, & interim ponendo voluntariè nocivam causam. Unde patet, quo jure dixit quidam aliàs non ita scrupulosus: *Restrictiones mentales tollunt humanam societatem, & tamquam pestiferæ damnandæ sunt, quoniam semel admissæ, aperiunt omni mendacio & omni perjurio viam, & tota differentia in eo erit, ut quod heri vocabatur mendacium, naturam & malitiam non mutet, sed nomen; ita ut hodie jubeatur restrictio mentalis nominari; quod est virus condire saccharo, & scelus specie virtutis colorare.* Vide dicta de juramento.

Concludo monito Eminentiss. Card. Bonæ manuduct.

duct. c. 25. ubi ait : *In omni ſermone, geſtu, & ſcriptura, aliiſque ſignis externis, veritas ſit. Non decet Chriſtianum hominem labium mendax. Muliebre vitium & plebeium eſt, aliud pectore claudere, aliud ore proferre. Vir generoſus res ſimpliciter enuntiat, prout ſunt, non exaggerat, non amplificat, non decipit, non ſimulat, verborum ambages & involucra devitat. Simplicia verba veritas ſimplex amat. Vult nuda videri, quia innocens eſt, qui verò mentitur aut fallit, rem duplici ſermone obſcurat, ut lateat; odit lucem qui malè loquitur, ſicut qui malè agit. Cave itaque, ne ut veſtitum, ſic ſententiam habeas, aliam domeſticam, aliam forenſem, ne in fronte oſtentatio ſit, intus veritas occultetur. Ab hoc vitio abhorret ipſa natura.*

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Fortitudine & annexis.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit fortitudo, & ejus officia.

DICENDUM primò, *fortitudo* eſt virtus, quæ motus animi in rebus terribilibus, præſertim mortis periculo ſuſtinendo moderatur. Motus illi præcipui ſunt timor, audacia & triſtitia. Neceſſaria eſt hæc virtus veritati & aliis virtutibus : cùm enim in dicenda veritate, & exercitio aliarum virtutum plurimæ oriri natæ ſint difficultates, neceſſaria eſt fortitudo, quæ periculis reſiſtere docet & audaciam moderatur : ex quo patet, tantò magis eam eſſe neceſſariam, quantò periculis mens noſtra faciliùs exterretur. Conſiſtit verò fortitudo in medio, ut omnis virtus moralis, ne quis temere & ſine cauſa periculis ſe objiciat, & ne periculis temere exterreamur à bono. *Vir enim fortis non ſe temere malis ingerit,*

Quid Fortitudo.

ingerit, sed advenientia constanter fert: non appetit formidabilia, sed spernit, ait præfatus Card. ibidem c. 28.

Motiva fortitudinis. Ad hanc virtutem perquam opportunum est, seria consideratio obligationis Christianæ, quæ omni humano respectui præponderare debet; Deinde, quàm vana sint hujus mundi terriculamenta & pericula, quibus constans animus facilè resistit. Eamdem virtutem adjuvat Dei Charitas, quæ omnia alleviat, & flocci facit, ut Christum lucrifaciat: hæc enim est

Fortitudo Christiana. propria fortitudini Christianæ, imò si desit, Christiana non est, sed gentilis, sed pagana: juxta illud Arausicani Can. 17. *Fortitudinem gentium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit.*

Denique mala reputat timiditas mundana, quæ revera mala non sunt, neque formidanda, quod & in ipsâ morte verum est, quod tamen inter terribilia est terribilissimum: hæc enim cum certissima sit, stultè timetur: nec mala est, quæ malorum debet esse finis, & initium beatitudinis: constat hoc in fortitudine Christianâ, dilectioni Dei conjunctâ, quæ secura de præmio & Coronâ justitiæ, cupit dissolvi & esse cum Christo.

Quid magnanimitas. Dicendum 2. Ex hac fortitudine oritur *magnanimitas*, quæ est virtus, quæ in omni virtutum genere ad opera magna & heroïca inclinat. Magna autem & ardua est omnis & sola virtus. Ejus officia sunt, quæ adfert Card. Bona appositè ad rem nostram libro citato cap. 29. dum ita ait: *Magnus animus ad magna semper aspirat, eaque omnia velut minuta contem-*

Actus magnanimi. *nit, quæ pro maximis vulgus optat. Opera quidem efficit, quæ multo honore sint digna; sed ipsum honorem & denegatum non ambit, & spernit oblatum, nisi aliter exigant Dei honor & obedientia: nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert: rectèque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit. In edito stat semper, excelsus, insuperabilis, par sibi in omni rerum statu, nec locis altioribus se ingerit, contentus magnitudine suâ..... nihil est, quod ipsum terreat, aut incurvet. Se profert & spectari vult, non vanitatis studio, sed attento*

attento gradu, in quo degit, & Dei Donis, quibus refulget. & rursum: *Cum viris mediocribus & infimis modestum se ac moderatum exhibet: coram principibus & opulentis non se projicit, nec adulatur, nec eorum potentiâ suam opprimi finit libertatem. Quæ odio vel amore digna sunt, apertè odit, aperte amat. Quæque palam dici vel fieri debent, liberè loquitur & operatur, quia nihil timet aut sperat.* Ecce hucusque veram magnanimi effigiem.

Dicendum 3. Fortitudini repugnat timiditas seu ignavia, quod excedat, aliquid timendo: potest aliquando esse peccatum mortale, si ex timore mundano, Deus mortaliter offendatur. Repugnat itidem intimiditas in timendo deficiens, adeo ut, quæ revera timenda sunt, contemnat neque reformidet. Sic impius, cum in profundum venerit, contemnit pœnam impietati constitutam, imò ipsum infernum. *Quid ignavia & timiditas.*

Magnanimitati repugnat præsumptio, ambitio, & inanis gloria. *Præsumptio* est, quando quis nimium viribus suis fidit: potest esse peccatum mortale, si annexam habeat injuriam gravem alterius, aut sui ipsius malum grave. *Ambitio* est inordinatus honoris appetitus, *Qui amant primos recubitus in cænis & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*; Ut de Pharisæis & Scribis ait Salvator Matth. 25. *Inanis gloria*, est cupiditas vanæ gloriæ, estque vitium capitale, ex quo oriuntur juxta D. Greg. inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ & novitatum præsumptio. Est aliquando peccatum mortale, si v. g. quis inanem gloriam captet ex facto mortaliter malo, v. g. magia: si verò ex industria aut viribus operis inanem gloriam quærat, erit veniale. *Quid præsumptio.* *Quid ambitio.* *Quid inanis gloria.*

Magnanimitati quoque opponitur timiditas seu pusillanimitas, quâ quis omnia nimis magna & ardua judicat, nec vires suas satis considerat. Aliquando potest quoque esse peccatum mortale, quando *Quid timiditas.*

do quis expusillanimitate Deum mortaliter offendit, nolens ea facere & aggredi, ad quæ sub mortali tenetur.

SECTIO II.

Quid sit temperantia, & in quo sita.

Quid temperantia.

DICENDUM primò. *Temperantia* est virtus refrænans ac temperans appetitum in his quæ maximè alliciunt, quæ sunt objecta Tactûs & Gustûs. His ergo delectationibus & illecebris modum imponit temperantia, ne magis sumat aut eis indulgeat, quam ratio recta exigit, nec solùm in externo eorumdem usu, sed & in interno appetitu, ut illud appetat, quod, quando, & quare & quantum est appetendum. Unde temperantiam rectè describit S. Prosper l. 3. de vita contempl. c. 19. ubi ita loquitur: *Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. Hæc virtus si in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, desideria Sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes pravas removet, inserit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, animæ teporem desiderio futuræ remunerationis accendit,* &c.

Actus temperantia.

Regula temperantia.

Regulam temperantiæ dat nobis S. August. l. de moribus Eccl. c. 21. ubi ait: *Habet vir temperans in hujusmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet, utentis modestia, non amantis affectu.*

Ex hac S. Augustini regula sequitur 1. Tantum de iis, quæ ad Gustum aut Tactum spectant, esse assumendum, quantum necessarium est ad vitæ & offi-

officiorum intertentionem: sub qua necessitate comprehendi potest convenientia & utilitas, id est illud, sine quo non ita competenter possumus vivere.

Sequitur 2. Quòd non liceat voluptates sensuum per se appetere, nec per se amare, sed solùm nos iis posse uti. Clarius illud alibi proponit idem doctor, ut l. 1. c. 21. de Doctr. Christiana, ubi ita ait: *In his omnibus rebus, illæ tantum sunt, quibus fruendum est, quas æternas atque incommutabiles commemoravimus: cæteris autem utendum est, ut ad illarum perfruitionem pervenire possimus*: Quid autem *frui* importet, alibi sæpè declarat, scilicet *Esse amore iuhærere alicui rei propter se ipsam.* Unde hæc est dilectio, quam inhibet Apost. & Evang. Joan. 2. dicens: *Nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo sunt*, id est propter se diligere. Cui illud consonat, Quod habet Apost. 2. cor. 1. *In carne*, ait, *ambulantes*: & rursum *utendum esse hoc mundo, tamquam non utamur*, Id est transitoriis transitoriè utendum esse. Hinc idem S. Præsul periculum intemperantiæ in edendo & bibendo agnoscens ait l. 1. confess. c. 33. *Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accederem.* Rationem hujus dat ibidem, dum subdit: *Cum enim salus sit causa edendi & bibendi, adjungit se tamquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causâ fiat, quod salutis causâ me facere dico vel volo.* Audi & D. Greg. l. 30. mor. c. 19. *Sciendum est*, ait, *quia sic voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas explere desiderium suppetit, & tantò securiùs gulam præceps rapit, quantò honesto necessitatis nomine explendæ se contegit. Sæpè igitur, quæ necessitas petit, & quid voluptas suppetit, ignoratur, atque ideo, dum quasi concivi parcimus, ad prælium hostem nutrimus.* Vide de hac re plura dicta de charitate sui ipsius sect. 6. & dicenda de Matrimonio, ubi probabo nec quidem licitè propter se moderatè appeti posse voluptatem.

Voluptates non licet ob se appetere.

Dicen-

Intemperantia. Dicendum 2. Opponitur temperantiæ vitium intemperantiæ, quod est excessus in concupiscendis vel fruendis delectationibus. Vitium hoc est hominem maximè dedecens ac brutale, quæ prona tellurem spectant, & infimis inhærent, cùm homini Deus os sublime dederit, cælumque tueri jusserit, & erectos ad sidera tollere vultus, ut ait Poëta. Vocatur itidem vitium *puerile*, cùm concupiscentia præceps ruat, nisi fræno temperantiæ, ut Pædagogo, ab excessu temperetur & arceatur. *Est vitiū puerile.*

SECTIO III.

De Abstinentia & Sobrietate.

Quid abstinentia. DICENDUM primò. *Abstinentia* est virtus, quæ delectationes esculentorum moderatur, eis præscribens debitum modùm, tempus & quantitatem, ne nimia esculentorum sumptio valetudini corporis aut animæ noceat, aut obsit.

Quid Sobrietas. *Sobrietas* autem ut est virtus specialis, est illa, quæ affectum & usum potionis inebriare valentis, debitè moderatur. Virtus hæc eo est magis necessaria, quo potus magis ablandiat, nam teste sapiente prov. 23. Vinum *ingreditur blandè, sed in novissimò mordebit ut coluber*. Per quam tamen necessaria est iis, qui castitati student, nam ideò rectè Apostolus admonet ad Eph. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: & prov. 20. *Luxuriosa res, vinum.*

Quid gula Dicendum 2. Abstinentiæ opponitur gula, sobrietati ebrietas. *Gula* verò est vitium, quod in esculentis debitum modum excedit. Fieri autem solet præcipuè *Quot modis fiat.* 5. modis, contentis hoc versu: *Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.* *Præproperè* est indebito tempore cibos sumendo: *Lautè*, ideſt pretiosiores cibos sumendo, quàm statui conveniat. *Nimis*, ideſt plus quàm natura exigat. *Ardenter* est voraciter & avidè edendo. Denique

nique *Studiosè*, ideſt delicatè & exquiſitè cibos condiendo, aliàs non manducaturus. Poteſt autem gula eſſe peccatum mortale, ſi ob exceſſum in cibo, Deum mortaliter offendant, ut ſunt illi, *Quorum Deus venter eſt*, ut ait Apoſt. ad Philip. 3. Itidem, ſi notabiliter obſit valetudini, cùm plures occiderit gula, quam gladius: Denique, ſi ſit grave ſcandalum ex gula, &c.

Dicendum 3. *Ebrietas* eſt exceſſus in potu, uſque ad violentam usûs rationis privationem. Cauſat verò ebrietas privationem rationis, eo quòd potus nimius, cauſet vapores cerebrum obvolventes & obnubilantes, ex quo deinde ratio ſopitur. Eſt hoc vitum peccatum mortale, cùm teſte Scripturâ prov. 23. Illi væ, illius Patri væ, illi rixæ, illi foveæ illi ſine cauſa vulnera, illi ſuffuſio oculorum, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis. Et rurſum Iſaiæ 5. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Denique 1. cor. 6. ebrioſi à Regno Dei ab Apoſtolo excluduntur. *Quid ſit Ebrietas*

Porro, malitia hujus vitii in eo ſita eſt, quòd quis ſe voluntariè privet violentè uſu rationis, & brutis ſimilem efficiat, proximam utendi ratione poteſtatem auferens, adeo ut etiam vigil eâ uti non poſſit, quo pacto à ſommo differt ebrietas. Accedit, quòd plurima mala ſecum trahat ebrietas, familiæ afflictiones, fraudes, luxuriam, iras, corporis morbos innumeros, quòd reddat hominem ad neceſſaria officia inutilem, hominem beſtialem faciat, mores ejus planè abſurdos, & ſcurriles, ſecreta pandat, juxta illud prov. 31. *Nullum ſecretum, ubi regnat ebrietas*: Denique tot mala ſecum adfert ebrietas ut dicat Hieron. in c. 1. ad Titum ad illud, *Non v.nolentum: longum eſt ire per ſingula, inſanias, quas ebrietas ſuggerit, explicare.* *Malitia Ebrietatis*

Quærunt aliqui, ſi ebrietas adeo grave crimen, unde alib ſit tam frequens, nec multi æſtimetur, quale nomen apud Italos & alios habent Belgæ. Ad quod reſponderi poteſt, in diverſis Regnis, diverſa vitia

prædominari, & licet in se magna, tamen ut vilia reputari. Hoc autem oritur ex inclinatione multorum circa eadem vitia, quâ fit, ut ortâ consuetudine, etiam gravissima scelera reputentur quasi nulla, juxta illud S. August. enchridii 80. *Peccata, quamvis magna & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur.* Accedit, quòd ebrietas aut saltem ejus periculum, quale est in commessationibus & compotationibus, alibi credatur esse medium maximè opportunum ad fovendam amicitiam, quâ ratione ebrietatis gravitas alibi non ita ponderatur.

Speciale tamen hoc vitium est in superioribus Sacerdotibus & Religiosis, & uti ait Chrysologus Serm. 26. *Ebrietas in alio crimen, in Sacerdote sacrilegium.* Hincin variis Conciliis ebrietas rigidissimè inhibetur Clericis, & signanter in Concilio Lateran. can. 15. Agathensi can. 41. ubi expresè vetatur Clericis, alios in conviviis ad bibendum incitare. Imò author quidam nomine Portel tomo 2. respons. moral casu 35. docet, quòd Religiosus qui sæpè cum sæcularium scandalo sese inebriat, nec admonitus resipiscit, nec speretur emendatio, possit ob hoc privari habitu & à Religione expelli tamquam incorrigibilis. Quæret aliquis, quibus mediis possit superari ebrietas. Respondet Hesselius c. 196. in decal. duobus potissimùm modis illud posse fieri, primo fugiendo ejus occasiones, puta compotationes ebriosorum, juxta illud prov. 23. *Noli esse in conviviis potatorum.* Secundo, frequenter rogando à Deo donum temperantiæ & sobrietatis. Aliud tamen remedium suggerit S. Aug. Serm. 231. ubi ait: *Qui se de hoc malo desiderat liberare, quomodò sibi intervallo dierum potum addendo, ad ebrietatis tenebras pervenit: ita Paulatim subtrahendo, ad sobrietatis lucem redeat.* Hoc remedium aliquando de ebrioso fecisse sobrium audivimus. Quamvis & hoc fatendum sit, quòd ipsa ebrietas suo usu vires addat, & ad se ipsam inflammet, & ut ait S. Basilius homiliâ contra ebriet. quòd ebrietas ebrios ardentes & semper bibendi cupidiores

diores reddat: cujus ratio est, quòd vinum & alii potus hepar accendant, fauces exsiccent, sitim adaugeant, & consequenter ebriosi sitis ipso potu non extinguatur aut refocilletur, sed ad potum magis magisque inflammetur.

Dicendum 4. Mala quæ quis in ebrietate committit, etsi non sint voluntaria in se, sunt tamen aliquando voluntaria in causa: quod fit, si quis prævidere poterat & debebat, talia mala ex ebrietate tamquam causa esse secutura, eo quòd sæpè expertus sit se in ebrietate solitum esse illa perpetrare: aliud esset, si ne quidem in causa talia essent voluntaria, cùm voluntarium aliquod ad peccatum sit planè requisitum.

Dicendum 5. Provocare mutuo ad æquales haustus excedentes debitum modum, est peccatum mortale, si adsit interpretativa saltem intentio se aut alios inebriandi. Audi S. Ambros. mores aliquorum ita describentem lib. de Elia Jejun c. 13. *Primò minoribus poculis, velut velitari pugnâ præluditur: Verùm hæc non sobrietatis est species, sed disciplina bibendi, ut irritent sitim......, ubi ergo recalere cœperint, poscunt majoribus poculis, fervor inardescit....... at ubi consummatæ fuerint epulæ, putes jam esse surgendum: Tunc de integro potum instaurant suum, & cùm consummaverint, tunc inchoare se dicunt, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres, quasi instrumenta bellorum: Ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub judice, sub lege decernitur.* Ecce consummatam descriptionem convivii Ebriosorum hujus corrupti sæculi. De his pulchrè etiam S. Aug. Serm. 231. *Majora*, ait, *pocula providentur, certâ bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, meretur laudem ex crimine. Sed illi, qui tales esse volunt, miserabiliter se excusare conantur dicentes: Ingratum habeo amicum meum, si quoties illum ad convivium vocavero, potum ei quantum voluerit, non dedero. Et non sit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & suus est inimicus, si te, & alium inebriaveris, habebis hominem* *Provocatio ad æquales haustus.*

 ami-

amicum, habebis Deum inimicum. Imò addit alibi hac de causa idem S. Præsul serm. 232. *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.*

Circa dictum S. Augustini locum scribit Lessius, Augustinum ibi docere, potius moriendum esse quam se inebriandum, tunc solùm, quando alter premeret ad inebriandum in contemptum sobrietatis & virtutis: Item etiam S. Patrem loqui de eo, qui quidem priùs ab alio est pressus, postea tamen se sua sponte inebriat, non verò de illo, qui esset in periculo vitæ, nisi se inebriaret. Verùm infundatè: Nihil enim in dicto loco vel contextu apparet, quod primam restrictionem subindicat. Deinde, expresſè agit de eo, qui à viro potente premitur, & ideò putat se à peccato excusari, quòd se inebriaverit, ac deinde ponit expresſè hunc casum, dictis verbis, etiamsi ad hoc veniretur, &c. Ubi expresſè docet, mortem potiùs esse subeundam, quam etiam in tali periculo animam ebrietate occidere. Unde meritò quispiam subdit hic dicens: *Hæc doctrina Augustini in re morali & Christianâ authoritatis irrefragabilis, movere debuisset Lessium, ne in novam illam doctrinam sine ulla authoritate irruisset. Dicit quidem ita secum sentire multos viros doctos in universitate Lovaniensi consultos, sed Wiggers publicus & ipse in eadem universitate per multos annos professor, testatur illam doctrinam numquam in Scholis Academicis fuisse defensam aut probatam.* Ita ille.

Doctrina autem illa erat, quòd liceret se inebriare ad vitandam mortem, quod dicta S. Augustini sententia expresſè negat. & ratio est clara, quòd non sint facienda mala, ut eveniant bona, ergo nec licet se inebriare ad evadendam mortem: Dicit quidem prædictus author, quòd liceat sumere potum largiorem, etiam ad privationem usus rationis, ex præscripto medici, quando id necessarium est ad cu-

rationem

rationem morbi: Ergo & idem licebit ad mandatum Tyranni ad evadendam mortem. Ad quod Resp. N. C. eo quòd potus ille ex præscripto medici abundantior, non censeatur esse nimius respectu talis personæ, in ordine ad finem talis sumptionis, qui est conservatio corporis: Adeòque actus ille sumptionis non est immoderatus, nec contra virtutem temperantiæ, uti est actus alter, quo se quis ad mandatum tyranni inebriat, nec per se ad finem ad quem inebriatio hîc conducit, ordinatur. Neque dici potest, quòd aliqua sint licita, etsi solùm per accidens ordinentur ad finem bonum: Quæ de se sunt illicita, v. g. abscindere manum ad mandatum Tyranni aliàs illaturi mortem: Quia etiam eo dato (quod tamen negamus alibi) magna est disparitas in casu nostro, eo quòd juxta naturæ dictamen pars exponenda sit periculo pro toto, adeòque pars illa eo casu censetur graviter obesse toti, id est corpori, pro cujus salute pars est amittenda. Inebriatio verò non solùm obest corpori, sed & animæ, & per se dedecet naturam rationalem quà talem: Unde illa inebriatio non exuit illam malitiam, quia adhibetur pro conservatione totius, sicut nec fornicatio redderetur licita, si adhiberetur ad evadendam mortem à Tyranno intentatam.

Quandonam quis sit ebrius.

Dicendum 6. Quandonam verò quis censendus sit ebrius, variant authores: Aliqui docere non erubescunt, eum nondum existimandum esse ebrium, qui currum advenientem niteretur evitare, etsi præ crapulâ non posset. Certè magnum nondum sopitæ rationis argumentum, quod & bestia sine ulla difficultate posset. Unde meritò talis opinio rejicitur ut exotica. Eodem jure rejicitur illa, quæ docet eum nondum esse ebrium, qui pedibus vacillans, oculis duplicia cernens, linguâ orbatus, cui omnia gyrari videntur, imò si usque ad vomitum sese ingurgitet, si tamen sciat postridiè, quid fecerit. Certè permulti à criminibus in ebrietate commissis

non excusarentur, cùm probè norint postridie, quid antea commiserint, etsi ex ebrietate subsidium quærant. Unde generali regulâ illud definire difficile quidem est, sed tamen hoc pro certo est: Quòd si quis ita præ crapula sit constitutus, ut censeatur usu rationis destitutus, etsi non pro toto, tamen censeri posset ebrius. Unde notari potest, posse dari in ebrietate varios gradus, prout quis magis vel minùs usu rationis privatur. Magnum tamen ebrietatis signum est, si quis fecerit in ebrietate talia, quæ extra ebrietatem numquam solitus erat facere: si nescierit quomodo domum redierit, si sit planè incapax ad officia sua ordinaria exequenda.

Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem.

Dicendum denique, hanc, *Comedere aut bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*, satis epicureorum Doctrinæ affinem, jam condemnavit pro merito Innocentius XI. quo destruitur unà fundamentum aliorum, quo volunt licitum esse delectationem sensualem propter se appetere.

SECTIO IV.

De Jejunio Ecclesiastico.

Quid Jejunium.

DICENDUM primò, Jejunium *Ecclesiasticum*, quod distingui solet, contra *naturale*, quod est abstinentia ab esca & potu, unde qui nihil sumpserunt dicuntur *jejuni*, est Religiosa observantia abstinendi a cibo ejusque certa qualitate, ad Dei cultum & hominis mortificationem assumpta. Hinc S. Leo serm. 4. de quadrag. ait *Jejunium purificandis animis atque corporibus sacratius institutum*. *Qualitates* verò cibi interdictæ sunt pro variis regnis variæ & diversæ. Alibi omnia lacticinia & carnes & ova interdicuntur, alibi ea vel aliqua ex illis permittuntùr, idque exceptis certis diebus, quibus ab omni illa cibi qualitate

Qualitas cibi.

est

est abstinendum, prout praxis habet hîc in Belgio. *Tempus* autem refectionis esse solet hora undecima, & omnes subsequentes, etiam ad vesperam, ita tamen, ut sola unica in die habeatur refectio. Si tamen sit aliqua causa legitima, posset citius illud tempus præveniri, v. g. si esset iter agendum, &c. *Tempus comestionis.*

Dicendum 2. Jejunium veterum Christianorum, etiam involvebat abstinentiam à vino, prout colligitur ex Clemente Rom. l. 5. constitut. Apost. ubi ita loquitur: *Abstinete his diebus vino & carne.* Et S. Cyrillo Hierosol. Cathec. 4. *Jejunamus*, ait, *à vino, & carnibus abstinemus.* Sic etiam S. August. serm. 64. de temp. *qui* (ait,) *abstinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus licet: qui nos abstinemus à vino, quo moderatè uti licet.* Postmodum tamen, sumptio potûs non violavit jejunium Ecclesiasticum, sed solùm carnis; cujus ratio secundùm aliquos est illa, quòd vinum non suppeditet tantam materiam libidinis: etsi enim sit satis calefactivum, non tamen secum adfert magnam materiam, & cito transit ejus efficacia. Verùm enim vero, etsi sumptio potûs extra horam refectionis jejunium non violet, illud tamen ex parte submergit, quapropter peccant ii, qui compotationibus largioribus indulgent diebus jejunii, eo quòd Ecclesiæ ordinationi non satisfaciant, quæ præcipit actum abstinentiæ, quæ aliquando magis violatur compotatione, quam modico esu carnium. *Potus sumptio.*

Dicendum 3. Etsi in primitivâ Ecclesiâ refectio jejunii soleret solùm fieri post occasum solis, in cujus signum in quadragesimâ vesperæ fiunt ante meridiem; usu tamen Ecclesiæ indulta est collatiuncula ad vesperam: ad hanc quid permissum sit, variè altercantur. Hoc in primis verùm puto, non ita de qualitate cibi non prohibitâ esse hîc disputandum, quam de quantitate: quæ etsi non ità Mathematicè mensurari queat, tamen illa dici potest hîc esse permissa, quæ aliquali confortationi naturæ subservit, non verò plenæ refectioni, qualis est jentaculum aut merenda. *Tempus refectionis.* *Collatiuncula.*

Excusatio à jejunio. ætas Dicendum 4. Excusant à jejunio, ætas, labor, infirmitas & paupertas. *Ætas* usque ad annum 21. & ab anno ætatis 60. primis ndulgetur non jejunare ob accretionem necessariam, posterioribus, ob senectutem & obligationem vires conservandi; maximè, cùm *Morbus.* senectus ipsa morbus sit. *Morbus* est infirmitas talis aut ejus periculum, quæ cum jejunio est incompatibilis: quâ etiam excusantur nutrientes & utero ge- *Paupertas* stantes, idque ob detrimentum prolis. *Paupertas*, quando quis mendicato vivens, edere debet, dum ci- *Labor.* bos habet. *Labor*, qui sit talis, ut absque detrimento corporis, aut ejus periculo stare nequeat cum jejunio. Labor hîc tam considerandus est, ex parte spirituali, quam corporali, quatenus labor spiritualis subinde magis consumit spiritus vitales, quam labor corporalis; neque ita enervatur, qui corporaliter laborat, quam qui studendo, prælegendo, concionando, &c. spiritualiter laborat. His annume- *Itineratio* rari solet *ratio itineris*: alii quatuor ad hoc leucas requirunt, alii plures: ego generali regula hoc determinarem, quod ratio itineris tum excusat, quando suscipitur tale iter, sive pedes, sive equo, sive curru, sive navi, quod cum jejunio sine damno corporis aut ejus periculo non posset sustineri. Hoc autem quandonam sit, prudentia Christiana disjudicet.

Quæret aliquis, an etiam senes robusti sexagenarii eximantur à jejunio: respondent varii quod non, eo quòd dispensatio jejunii quoad sexagenarios, solùm sit propter defectum naturæ, qui defectus in robustis illis cessat, & consequenter dispensatio. Alii tamen verius docere videntur, òmnes omnino sexagenarios à jejunio liberari, eo quòd robur senum sit valdè inconstans & fallax, cui proinde per cibum debet provideri: deinde, natura senum semper ad interitum tendit & deficit, adeoque eget adminiculo cibi frequentioris, ut huic quoque naturæ defectui provideatur, tam præsenti quam instanti seu futuro.

Aliqui

Aliqui tamen non folùm fexagenarias feminas excufant, fed & quinquagenarias: ratio eorum eft, quòd feminæ & citius accrefcant & adolefcant, quam mares, & confequenter citius decrefcant, deficiente in feminis citius calore, quam in viris: adeoque indigent crebriori cibo refici feminæ quinquagenariæ, uti ob eandem rationem indigent viri fexagenarii. Hanc fententiam ob dictas rationes probabilem fpeculativè indicat Sanchez de Matrim. l. 7. difp. 32. num. 17. Etfi eam in praxi confulere non audeat, quia forte eam primus difcuffit: communior enim opinio, à qua non licet fine fufficienti fundamento recedere, abfolutè & indifcriminatim docet tam viros quam feminas fexagenarias folùm eximi à lege, jejunii, cui proinde in praxi eft adhærendum.

Quæret aliquis, an Religiofi profeffi teneantur jejunare ante annum 21. & poft 60. Refpondent aliqui ad prius quod non, eo quòd regula non videatur effe arctioris vinculi, quam lex Ecclefiæ, quæ ejufmodi à jejunio eximit. Alii tamen veriffimè docent, etiam ejufmodi ætatis Religiofos teneri ad jejunandum: quod intellige, tam de jejuniis Ecclefiæ generalibus, quam de jejuniis fui Ordiniis: ratio autem hujus eft illa, quòd ad hoc fefe voluntariè adftrinxerint voto per profeffionem, adeo ut ficut teneretur ad jejunium adolefcens 16. annorum, fi ad jejunandum fe voto adftrinxiffet; ita & Religiofus ante 21. Profeffus.

Ad pofterius verò, verius doceri videtur, fenes illos fexagenarios non teneri ad jejunium tam Ecclefiafticum, quam fui ordinis. Ratio ejus eft, quòd jejunia Religioforum, fequantur naturam jejunii Ecclefiæ, quod non obligat ejus ætatis perfonas: adeoque nec jejunium fui Ordinis obligat ejufmodi fenes. Dicet aliquis, quòd etfi jejunium Ecclefiæ non obliget adolefcentes ante annum 21. tamen Religiofos profeffos talis ætatis obligat juxta mox antedicta: ergo etiam jejunium Ordinis poteft obligare fexage-

sexagenarios, etsi jejunium Ecclesiæ eos non obliget. Resp. Quod Religiosus ante annum 21. teneatur jejunare, illud est vi voti, uti est dictum: & quamquam aliquis se possit obligare voto ad jejunandum etiam ultra annum 60., tamen contrarium est præsumendum de intentione Religiosorum, qui censentur se obligare solùm usque ad ætatem senilem; neque iterum dici potest, quòd idem præsumendum sit de Religioso juvene, puta quòd ille etiam velit se solùm obligare, ut alios adolescentes ad jejunandum, eo quòd Religiosus juvenis per Professionem censeatur cedere indulgentiæ datæ juventuti ad non jejunandum, ad quod supponitur satis aptus, ut ad alia Religionis onera: Religiosus verò senex, supponitur ex communi defectu ætatis impotens ad jejunandum, adeoque non tenetur ad jejunium, nec censetur sese ultra eam ætatem velle obligare.

Quæret aliquis, quis possit dispensare in lege jejunii. Resp. certum est posse Episcopum, cui illud de jure competit. Potest itidem in ea lege dispensare & Parochus, uti habet praxis, non enim solet adiri Episcopus, sed Parochus. Verum quidem est, quòd illud de jure non competat Parocho, sed solùm ex consuetudine quæ dedit illi jurisdictionem, quod consuetudo facere potest, maximè quoad casus frequentiores. Deinde justum est, quòd in illam jurisdictionem consentiant Episcopi, eo quòd aliàs esset onus intolerabile semper recurrere in hoc casu ad superiorem.

Potest itidem in lege jejunii dispensare Prælatus Regularis cum suis Religiosis, eo quòd Prælatus ille habeat jurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos, unde sicut potest eorum vota relaxare, sic & jejunia Ecclesiastica. Ita D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 6. & alii communiter.

Dicendum 5.° Ex dictis in materia de legibus, constat peregrinos teneri legibus locorum per quæ transeunt; ita quoque tenentur eorumdem locorum jejunia

nia observare, usu fidelium hanc obligationem inducente, & ab Ecclesia approbata. Vide dicta loco citato.

SECTIO V.

De Luxuria, ejusque speciebus.

Dicendum primò. *Luxuria* est omnis inordinatus excessus in re venereâ: est de se peccatum mortale, cùm Luxuria, inter opera carnis ab Apostolo numerata, regno Dei excludatur Gal. 5. Ex hoc vitio varia alia nascuntur crimina, ut turpiloquia, scurrilitas, cæcitas mentis, amor sui, odium Dei, &c. species ejus sunt numero 6. fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus & vitium contra naturam. Alii addunt sacrilegium, quod alii ad adulterium reducunt. Alii quoque addunt luxuriam inter maritatos, ut Bonaventura. *Quid Luxuria, quale peccatum.* *Quotuplex sit Luxuria.*

Fornicatio est copula illicita soluti cum solutâ. Est hæc peccatum mortale, idque non ideo, quia inhibita, sed ideo inhibita quia per se, sive intrinsecè mala. Quod sit mortale, patet ex S. Scriptura, quæ fornicarios Dei regno excludit 1.Cor.6.& Gal.5.ad Eph. 5.Quod verò sit per se mala, probant alii ex eo quòd sit contra bonum prolis, tam concipiendæ, quam educandæ: verùm quia hoc à multa fornicatione abesse potest, meliorem dant alii ejusdem rationem, quòd Deus inhibeat usum seminis extra legitimum Matrimonium, quod in omni fornicatione reperire est. Quòd verò sit intrinsecè mala, jam pridem declaravit Pontifex Innoc. XI. condemnando hanc sequentem: *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* *Quid Fornicatio.* *Malitia Fornicationis.*

Stuprum est violatio virginitatis injuriosa. Injuria illa *Stuprum.*

illa censetur adesse, si importunis precibus virgo quasi ad copulam cogitur: quando ad eam metu gravi adigitur, quando vi vel fraude, &c. Ad quid teneatur virginis stuprator, vide dicta de restitutione.

Raptus. *Raptus* est quando persona aliqua libidinis causâ vi abducitur. Vitium hoc, uti præcedens, ultra malitiam luxuriæ, habet malitiam injuriæ gravis, adeoque illa confessario est necessariò aperienda. Gravibus verò pœnis plectuntur raptores, de quibus videri potest Conc. Trid. sess. 24. c. 6. de reform. Matrim.

Adulterium. *Adulterium* quasi ad alienum thorum, est alieni Thori violatio. *Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt,* ait Apost. 1. cor. 5. Deinde præter malitiam simplicis fornicationis, continet injuriam gravem in conjugem, neque hic facultatem dare potest concumbendi, neque juri suo cedere, quominus alter cum sua comparte concumbens non committat verum adulterium, unde meritò damnata est hæc propositio subsequens: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Ad quid teneatur adulter & adultera dictum est etiam agendo de restitutione.

Propositio.

Incestus. *Incestus* est congressus cum consanguinea, vel affine usque ad 4. gradum. Est hoc vitium adulterio gravius, nam ut ait S. Aug. de adult. conjug. *adulterii malum vincit fornicationem: vincitur autem ab incestu.* Hinc pœna mortis in V. L. fuit illis indicta, qui turpitudinem illorum revelabant, & tantum scelus committebant.

Vitium contra naturam. *Vitium contra naturam* est coitus contra naturam ejus exercitus: natura autem ejus exigit, ut ex eo possit concipi proles, adeòque sit conjunctio duorum diversi sexûs, fiat modo & in vase debito; hinc dividi solet in sodomiam, bestialitatem & pollutionem sive mollitiem.

Sodomia *Sodomia* est coitus libidinosus in vase à natura ad generationem non ordinato. Crimen hoc est gravissimum,

ſimum, ob quod urbes & cives ſunt divina irâ, igne combuſti: Geneſ. 19. de his & Apoſtolus Rom. 1. ita ait: *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ; nam fœminæ eorum immutaverùnt naturalem uſum, in eum qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes.*

Beſtialitas eſt coitus hominis cum bruto. *Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite*, ait ſcript. levit. 20. quam execranda ſint hæc ſcelera, oſtendunt pœnæ civiles.

Pollutio ſeu *mollities* eſt libidinoſa ſeminis effuſio extra vas naturale ad generationem ordinatum: debet autem, ut ſit peccatum, eſſe voluntaria in ſe, vel in cauſa: ſi verò ex occaſione alicujus functionis debitæ oriatur, neque ullo modo in eam delectando conſentit, v. g. ſi quis eam patitur confeſſiones excipiendo, ſtudendo in hac materia, curando partes impudicas alterius ſexûs; non cenſetur eſſe voluntaria, ſed ſolùm permiſſa. Notandum verò dari pollutionem ſimilitudinariam, ſive fluxus ſeminis ſive potius humoris ſemini ſimilis, quæ non habet rationem nec culpam veræ pollutionis, & in viris, materiis his intentis facilè ſtillat. Ex dictis de fornicatione & mutilatione conſtat pollutionem eſſe intrinſecè malam, unde rurſum hæc ab Innocentio XI. damnata: *Mollities jure naturæ prohibita non eſt: unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona & aliquando obligatoria ſub mortali.*

Pollutio

Pollutio ſimilitudinaria.

Sacrilegium eſt violatio rei ſacræ per actum venereum, puta cum perſona aut abuſu rei ſacræ, in loco ſacro, niſi neceſſitas hic excuſet, ut dum conjuges ratione militiæ aut belli in templo concluſi incurrerent periculum incontinentiæ. Alii docent, ſi etiam ſine causâ, copula in loco ſacro habita, ſit occulta, non eſſe ſacrilegium; verùm contrarium eſt verius, nec ideo violatur, quia aliquid ſit publicum: ſed quòd irreverentia loco ſacro irrogetur.

Sacrilegiũ

SECTIO

SECTIO. VII.

De aliis ad luxuriæ vitium pertinentibus.

Oscula. DICENDUM primò, Oscula, si fiant more Patriæ in adventu aut discessu amicorum, causâ fovendæ amicitiæ & honestatis, aut causâ honoris, quomodo filii osculantur parentes, Magdalena pedes Salvatoris, & Apost. 1. Thess. 5. dicit, *Salutate omnes in osculo sancto*, non sunt peccatum, nisi adsit periculum luxuriæ. Si verò hæc aut alia quæcumque oscula dentur ex affectu libidinoso, aut cum morali periculo similis delectationis, erunt peccata mortalia. Hinc si oscula causâ honestatis data, posteà in decursu sint causa talis delectationis aut periculi ejusdem, ab iisdem prorsus erit abstinendum. Si verò ex tactû manus v. g. percipiatur sola delectatio tactûs, quæ ex tactu rei amabilis oriri solet, non ausim in universum talia peccati mortalis condemnare. Pro cujus intelligentia notandum est, verius videri, in materia luxuriæ dari posse parvitatem materiæ, uti mox probabo. Quo posito, etsi tactus illi ordinati sint ad affectus libidinosos promovendos, tamen sicut non obstante tali periculo, causâ amoris & honestatis dari possunt oscula, sic etiam etsi delectationem in parte sensitivâ solum excitent, non ita ardentem, ut sit periculum morale consensûs ulterioris venerei, sed ad summum periculum ejus valde remotum, ratione cujus non est damnandus ejusmodi tactus semper peccati mortalis. Constabit hoc pleniùs ex dicendis.

Tactus inhonestus. Dicendum 2. Tactus partium inhonestarum causâ medicandi aut alterius necessitatis in se aut aliâ admissus aut commissus, omni culpâ vacat, etsi aliquando per accidens turpis commotio in parte sensuali concurrat, modo consensus absit. Unde dicta intellige de

de tali tactu secundùm se considerato. Si verò affectu libidinoso tactus ille fiat, indubiè est peccatum mortale, cùm per se ad libidinem tendat. Imò, si sit tactus partis honestæ, v. g. manûs aut pressio pedis, & ex tali intentione & affectu similia prodeant, erunt peccata mortalia, etsi de se sint honesta, ratione affectûs libidinosi, ex quo procedunt.

Adspectus inhonestus. Idem pariformiter dicendum est de aspectu partium inhonestarum, qui si fiat causa justæ necessitatis, vacat culpâ: si verò fiat causâ libidinis & ex affectu libidinoso, ut dum invicem ad libidinem fixis aspectibus inflammant, aut per aspectus illos voluntariè se, aut alios periculo libidinis objiciunt, peccata sunt mortalia, nam oculi sunt in amore duces, & aliquando deprædantur animam, ut dicitur Thren. 3. Et aliquando oculi sunt pleni adulterii 2. Petri 2.

Aspectus actus libidinosi. Aspectus actus libidinosi mulieris cum viro, ob periculum libidinis, est peccatum mortale, si aspectui tali quis inhæreat, etsi ex sola curiositate, cùm curiositas illa, in libidinem plerumque transeat. Hinc parentes, qui in conspectu puerorum aut domesticorum concumbere non erubescunt, peccant mortaliter, dando & causando adspicientibus periculum morale libidinis. Si verò sit adspectûs coitûs brutalis, non ita statim est peccatum mortale, maximè si fiat ex curiositate, & si periculum luxuriæ absit, cùm ex natura sua non ita proximè creet periculum libidinis. Hoc tamen hîc notatum velim praxim apud rusticos esse detestandam, quâ puellas passim cum vaccis ad taurum destinant, ut à tauro concipiant, non sine periculo affectûs libidinosi puellarum ex aspectu talis coitûs.

Cantantes impudicas cantilenas Dicendum 3, Peccant mortaliter qui componunt cantiones inhonestas, cùm vix fieri possit, quin sint causa libidinis in alio, vel seipsis. Qui verò eas cantant, non ita statim condemnandi sunt similis peccati, sed prudenter videndum, an cantando tam sibi,

bi, quam audientibus non creaverint morale periculum libidinis, quo casu sortiretur cantilena effectum turpiloquii: Aliud esset si ex vanitate aut levitate, illas cantarent, quo casu, si absit omne periculum libidinis, non erit peccatum mortale eas decantare.

Pingentes picturas inhonestas. Peccant quoque mortaliter, pictores, & alii artifices, qui pingunt vel fingunt picturas aut statuas inhonestas, cùm vix fieri possit, quin sint causa libidinis aliquorum adspicientium.

Chorea. Dicendum 4. Excusant *Aliqui rusticos, qui in diebus Festis ducunt choreas, modo fiant post Missam: Tum quia otio aliàs vacarent, quod pejus esset: Tum quia fiunt pro more Regionis, & coram aliis publicè, ideòque magna ex parte aufertur libidinis occasio: Tum denique, quia videntur conciliatrices omnis benevolentiæ inter adolescentes & puellas, unde sæpius contrahuntur matrimonia inter illos. Tollendi tamen sunt abusus, si qui misceantur, & medestia procuranda, quoad ejus fieri potest*: Ita fere quispiam Theologus.

Chorea an sint licita. Verùm, etsi choreas ducere aliquando sit honestum & laudabile, uti constat exodi 15. 2. Reg. 6. tamen assero, plerumque tales choreas modernas & compotationes ad cerevisiam (ut vocant) vix excusari posse à peccato. Pro quo notandum est, conditiones liciti chori à Theologis poni, ut prima sit, ut fiat chorus inter personas competentes, cùm religiosi ob scandalum ab hoc prohibeantur. 2. Ut omnis gesticulatio libidinosa evitetur. 3. Ut sit intentio solius recreationis honestæ. 4. Ne, qui se fragilem sentit, iis se immisceat. His positis, rogo animos non præoccupatos, an promiscuè tales conditiones adsint? An animo indulgendi genii, aut fovendæ libidinis eo divertant? certè effectum declarant quotidianæ experientiæ. Notum est Confessariis, & aliis animarum rectoribus, ejusmodi conventiones esse luxuriæ scholas, & mutuæ libidinis fornaces: probat id praxis continua. Nec hic ab alio officit

officit prætensa excusatio, quod aliàs otio vacarent, quod matrimonia concilient, &c. Non enim bonus finis malo medio debet aut potest intendi, nec ideo otio vacare debent, sed habent, quod honestè agant aut recreationis causâ ludendo, aut alio sese divertendo. Unde rectè quispiam definit choreas modernas, *esse circulum, cujus centrum Diabolus, circumferentia omnes Angeli ejus.* Idem & majori jure asseres de conventibus & conversationibus ut vocant, in civitatibus inter juvenculas & adolescentes, in quibus luxuria præsidet, prodigalitas assidet, & gula ancillatur, maximè cùm jam inolevit nefarius quarumdam ornatus, de quo statim. Denique, raros existimo, qui ad conventicula ejusmodi convenerunt, quin, si candidè confiteri velint, cogentur asserere, periculo libidinis sæpè sese hoc pacto exposuisse.

Definitio Choreæ.

Conversationes.

Dicendum 5. Peccant mortaliter puellæ ornando se lascivè, uti faciunt, quæ media ex parte ostentant nuda ubera, aut solum transparenti materiâ obtegunt. Ratio est, quòd, uti ostendimus, peccent mortaliter, qui pingunt picturas inhonestas, ergo magis illæ, quæ non in figurâ, sed reipsâ, membra ad libidinem inflammantia aliorum aspectui voluntariè objiciunt: Unde peccant peccato quoque scandali, uti de scandalo agendo demonstravi, & earum falsos prætextus dissolvi, quæ revidenda relinquo. Hoc solum addo, quod & mortalis damnandæ sint, etsi nullâ libidinosâ Intentione sese ornarent, *ornatus enim*, ut ait D. Thom. *Non intentio provocat ad libidinem.* Audi & D. Hieron. Epist. ad Eustoch. *Si vir vel mulier se ornaverit, & vultus hominum ad se provocaverit, etsi nullum inde sequatur damnum, judicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset, qui biberet.* Rem nostram plenè confirmat D. Dionys. Carthus. in directorio vitæ nobilium art. 14. ubi ait: *Quod in præfato ornatu superfluo & vestitu pompatico scandalisativo consistat peccatum mortale, nam sancti Patres & gloriosi Illustrissimique Doctores, contra ornatum superfluum & exquisitum, curiosum*

Ornatus lascivus.

superfluumque vestitum tam rigorose non scriberent nisi in eis mortalem culpam existere judicassent: venialia quippe peccata talem reprehensionem & condemnationem non promerentur. Optandum esset, si vestitus ab 100. annis usitatus resumeretur, qui quam fuerit honestus, tabulæ illius temporis probè ostendunt. Concludo cum Tertul. de velandis virg. *òro te sive mater, sive soror, sive filia, secundùm annorum nomina dixerim, vela caput. Si mater propter filios, si soror propter fratres, si filia propter patres, omnes in te ætates periclitantur*

SECTIO VII.

An in materiâ Luxuriæ detur parvitas materiæ.

Item

An detur ignorantia invincibilis fornicationis pollutionis, &c.

Dicendum primò, Sunt, qui contendunt in materiâ luxuriæ dari parvitatem materiæ. Ratio illorum est, quòd fieri possit, quòd materia luxuriæ disponat quidem aliquo modo ad libidinem, sed non multum, nec adeò propinquè, ut eâ ratione ob periculum, incurratur peccatum mortale, prout accidere posset in pressione manus aut pedis leviori, saltem quoad homines hujus climatis. Verum quidem est, dicunt illi, quòd in hâc materiâ adeò lubricâ præstet proponere strictius, quam laxius; Verùm ultrà hæc præstat veriùs. Neque hìc obedientiam opponi sinunt, quia excepto eo, quòd doctrina debeat esse libera, nec restricta, nisi veritati: Tamen in decreto P. Aquavivæ Soc. Jesu Gener. satis famoso, hoc specialiter notari volunt, quòd dicat In re venerea *exiguam voluptatem quæsitam, non excusandam à mortali.* Ubi & suis subditis strictè prohi-

prohibet contrarium docere tamquam probabilè. Hîc inquam, notari volunt to, *In re venereâ*, quod idem significat, quod perfecta libido, vel ejusdem morale periculum: Quo sensu etiam intelligenda est declaratio Card. (si quæ sit approbata à Clemente) 8. de eadem causa, quæ docet, non dari parvitatem materiæ in re venereâ. Aliàs enim mortalis semper argui deberet, qui ex levi voluptate tangit puellæ manum, premit digitum, pedem, &c. Sine ullâ ulteriori intentione libidinosâ, quòd communi Theologorum sensui repugnat. Idem dic de levi aspectu. Ità quidem illi. Dictæ sententiæ subscribit Illustrissimus Malderus urbis nostræ Episc. 1. 2. q, 74. a. 10. utens dictâ ratione ultimâ, pro suâ confirmatione, & addens, quod non appareat ratio, quare hic non possit excusare levitas materiæ à mortali, sicut in aliis peccatis: prudentissimè tamen concludit, utramque sententiam esse saltem speculativè probabilem: *Nam moraliter loquendo*, ait, *posterior* (Scil. affirmans) *Non videtur satis secura in praxi, ideoque non expedire eâ uti, præsertim ante factum propter pondus nos circumstantis peccati: quo efficitur, ut non facilè in hoc genere moderamen aliquod servetur, quin subsit majoris culpæ periculum: qui autem amat periculum, peribit in illo.* Ità Illustrissimus. Liberius Caramuël in Reg. S. Bened. disp. 68. dicit se numquam intelligere potuisse sententiam negantem parvitatem materiæ in hoc casu, neque se ausurum eamdem contra mediocriter doctos defendere: additque eam se vidisse aliquoties defendi, sed numquam benè. Undè concludit dicens: *Dico igitur dari lascivas actiones, quæ sint leves.* Et allatis variis pro hac sua sententiâ rationibus longius quæsitis, sibi objicit & ait: *Diana vir doctissimus edidit resolutiones benignissimas: nihilominus p. 3. tract. 5. resolut. 1. putat esse periculosum asserere dari in re venereâ parvam & levem quantitatem.* Et respondet his verbis: *Ingenium Dianæ veneror, ejus industriâ multas opiniones evasisse probabiles, quæ antea non erant, invidus sit, qui non affirmet. Cæterum*, ait

est unus Doctor: Nec ipsius, nec Tanneri, Castri, Basilii Pontii, Lessii, Rebellii & Aquavivæ authoritas tanta est, ut ob illam contraria pars non judicetur probabilior, & si rationem consulamus, certa. Deinde; si quærere placeat ab eodem, quæ hic debeat censeri materia parva, ità respondet: *Aliqui asserunt manuum levem contactum, pedis impulsum, osculum & similia, sublato ulteriori periculo, non esse gravia. Ego à delectationis quantitate, culpæ magnitudinem metior, & ex meis principiis sic Philosophor. Illa delectatio, quæ octies major sufficeret semen decidere, est gravis, & mortaliter peccaminosa: Quæcumque eâ minor, est levis. Patet, quia ex meis principiis quæ superius efficacissimè probavi, completi operis octava pars, est materia minima peccati gravis: Ergò delectatio, quæ est minor octavâ parte delectationis completæ (ni aliud periculum subsit) erit culpa venialis.* Denique, si quæras ab eodem, *Utrum in re venereâ debeat admitti etiam materia nulla, nempè quæ physicè sit aliquid, sed prudentum opinione nihil; Resp. affirmativè: Quia commotio modica, quamdiu insensibilis manet, verè & realiter commotio venerea est: Sed sicuti nec leviter sensibilis est, ita nec leviter peccaminosa.* Ità Lobk witz.

Verùm doctrina data in praxi est parùm tuta: Et quidquid fortè sit nimium speculationi indulgendo, hoc interim certum sit pro praxi, hanc ab Alexandro VII. proscriptam esse numero 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit tantum ess veniale osculum habitum ob delectationem Carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis.* Neque ideo mox mortalis condemnandi sunt, qui leviter puellæ manum tangunt, premunt digitum, &c. Cùm illud non sit quid carnale & sensibile, puta aliquid venerei, aut ad libidinem semper dispoñat propinquè, etsi in osculis subesse soleat majus ejusdem periculum. Posset enim & illud solum esse sensibile, nec tamen carnale, quale solùm prohibetur haberi pro veniali. Denique, cùm in moralibus non

non attendenda sit ità speculatio, quam praxis, vel quid fieri soleat; Hinc jure pro praxi & damnata est prædicta propositio; & secura æquè ac verissima est sententia negans ratione periculi imminentis etsi de cætero, speculationi insistendo, posset aliter contingere.

Pro pleniori tamen intelligentiâ notari posset, diversitatem hanc opinandi, ex eo ortam fuisse, quòd non omnes accipiant eodem modo to *Venereè* & *Carnale*, adeò ut his aliquæ delectationes dicantur esse carnales & venereæ, quæ tales non sunt aliis, ad quam respectivè acceptionem intelligenda sunt, si quando dicitur, quòd in materiâ luxuriæ non detur parvitas materiæ, vel detur: Prout etiam sectione 7. diximus, videri verius illam dari.

Ad 2. dicendum juxtà principia à nobis in 1. 2. data, non posse dari ignorantiam invincibilem juris naturæ nec consequenter fornicationis aut pollutionis, quam probavimus esse contrà naturæ legem in ante dictis. Deinde, hoc addunt, etiam alii huic nostræ doctrinæ repugnantes, ejusmodi ignorantiam vix esse posse invincibilem in pagis & urbibus Christianis, ubi debita viget illorum instructio: Quo fit ut quando de iisdem rogati, dicunt se illis actibus nihil mali attentasse aut suspicatos esse, non facile credendum sit, cùm vix dubium, quin in commissione eorumdem aliquem malitiæ scrupulum senserint, aut conscientiæ remorsum. Cùm ergo fornicatio sit contrà jus naturæ, dicente Soto l. 5. de jure & just. c. 3. a. 3. *Dicere fornicationem non esse contrà jus naturæ, error est hæresi proximus.* Sequitur ejusdem non dari invincibilem ignorantiam. Item dicendum est contrà inauditam Caramuelis sententiam dicentis Theol. mor. num. 1603. *Si Deus mollitiem non interdixisset, numquam esset mala, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Et iterum: *Si mollities esset mala secundùm se, de ipsius malitia hominibus constare deberet.* Cùm enim & illa sit

contra jus naturæ, prout docet S. Augustinus l. 3. confeſſ. c. 8. dicens, *Flagitia, quæ ſunt contrà naturam ubique ac ſemper deteſtanda eſſe atque punienda, qualia*, ait, *ſodomitarum fuerunt*; cum eadem natura, cujus Deus eſt author, libidinis perverſitate polluatur: Sequitur, nec pollutionis dari poſſe ignorantiam invincibilem. Hinc jam oritur gravis quæſtio, pro qua ſit

---

SECTIO VIII.

An teneantur iterare confeſſiones illi, qui ob ignorantiam ſe de pollutionibus & ſimilibus antea non accuſaverant.

CASUM hunc proponit Diana p. 3. tract. 4. de Sacramentis reſolut. 108. *quidam puer uſque ad 13. annum non ſe accuſavit de ordinariis pollutionibus, quas faciebat, ſciens poſtea hoc eſſe peccatum mortale, dubitatum fuit à multis Confeſſariis, an teneatur repetere omnes confeſſiones.* Et ipſe quidem reſpondit negativè, ex illo ipſius fundamento, quòd poſſit dari ignorantia invincibilis pollutionis, quod non ſit peccatum mortale. Idem tenent & alii, qui etiam nobiſcum ſentiunt non dari ignorantiam invincibilem juris naturæ, ut Gerſon, Baſlæus, & alii. Et quidem Navarrus in C. *fratres de pœnit.* diſtinc. 5. num. 82. addit, hujus dicti rationem, neminem, quem meminerit, reddidiſſe; quæ illi videtur eſſe illa, quod, quæ ignorantia non reddit actum peccandi involuntarium, poſſit reddere ommiſſionem illius confitendi involuntariam. Et in manuali V. *Confeſſio* c. 9. num. 15. indè concludit: quòd conſequenter pueri vel puellæ, qui grandiores facti novè agnoſcunt eſſe peccatum mortale, quod aliàs omiſerunt confiteri, ignorantes illud eſſe tale, non tenentur iterare confeſſionem eorum, quæ confeſſi fuerunt. Poſterior ve-

verò V. *Confessio* VI. num. 6. ita subdit: *qui aliquod peccatum mortale ex ignorantiâ vincibili mortaliter prætermisit in confessione explicare, putans non esse mortale, quamvis, quando peccatum perpetratum est, non fuerit ille excusatus à peccato mortali, excusatur tamen ab iterandâ confessione, & satisfacit repetendo peccata in confessione prætermissâ. Ratio est, quia ignorantia illa, quamvis vincibilis fuerit respectu actus peccati, potest esse invincibilis respectu ommissionis in confessione. Undè excusantur pueri & puellæ &c.* In quâ quidem quæstione hoc certum est, pro majori securitate consulendum esse similibus, ut confessionem instituant generalem. Ad quod si induci nequeant, satis fundatam existimo doctrinam, & sufficere, si eadem peccata omissa, ut alia omissa clavibus subjiciant, ob rationem mox ante datam. Addit D. Havermans tyroc. tr. 1. c. 8. §. 14. præsumendum esse de divinâ bonitate, eam non velle tam strictè conscientias constringere quoad confessiones. Quare si alibi dari possit Sacramentum validum & informe, maximé hoc fieret in hoc dicto casu.

Idem quoad ignorata ignorantiâ vincibili juris divini, quæ non sit mortaliter mala, tenet eximius D. Sylvius 3. p. q. 9. art. 2. quæsito 4. ubi ait: *quia ergo pueri, qui grandiores facti agnoscunt aliquod esse peccatum mortale, quod aliàs omiserunt confiteri, ignorantes illud esse tale: supponuntur probabilem ignorantiam habuisse: ideo non tenentur iterare confessionem eorum, quæ prius fuerunt confessi. Quia licet ignorantia legis divinæ non excusaverit eos à peccato, pollutionis v. g. furti & similium: excusavit tamen, ne peccarent id non confitendo.* Cùm ergo ob crassiores ignorantiæ juris naturæ tenebras, aliquando possit peccari solùm venialiter, cum ignorantia illa subindè excuset à tanto etsi non à toto: possèt conformiter concludi pro casu nostro, ex datâ doctrinâ Sylvii, quòd etsi ignorantia illa non excusaverit aliquem à peccato pollutionis v. g. excusaverit tamen, ne peccarent id non

confitendo. Ut ut sit, certum est quòd loco suprà citato de se fatetur Diana, quod sententia negans iterandam confessionem, in praxi liberet Confessarios à multis laboribus & perplexitatibus.

Hoc quoque hic notari posset, infundatam esse pro datâ sententiâ rationem, quòd scilicet non debeamus confiteri id, quod in juventute fecimus, ignorantes esse peccatum: eò quòd ad peccandum debeamus habere notitiam malitiæ, dum rem committimus, nec sufficiat postea intelligere, quòd esset malum. Licet enim juxta dicta, opinio illa negans sit satis fundata: infundata tamen est dicta ejus ratio, proveniens ex infundato fundamento: quod ad peccandum requiratur actualis advertentia malitiæ, quod alibi in 1. 2. rejecimus.

APPENDIX.

An meretricia publica possint permitti in Republicâ Christianâ.

Nolim hîc condemnare ullos Christianos Principes, qui meretricia publica in suis civitatibus permittunt, sed solum ostendere, quid de jure divino, & juxtà rectum ordinem fieri expediat. Et inprimis certum est, nihil sectariis nostris ità commune esse, quam hâc de causâ condemnare & convitiari Principes & Respublicas Christianas, & præcipuè ipsum summum Pontificem, quod meretricia Romæ permittat. Nec tantum sectarii, sed & quidam Catholici idem attentarunt, inter quos liberior in hâc causâ fuit quidam Claudius Spencæus Parisinus, & alii plurimi hanc permissionem in Republicâ Christiana condemnantes.

Primò quidem, quod meretricia sint jure divino interdicta Deut. 23. ubi dicitur: *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël.* Unde dictus Spen-

Spencæus: *hujus*, ait, *permissionis nos non semel puduit Christianam scilicet Rempublicam eo carere non posse, quod tamdiu hoc est annis plusquam* 1500. *non admisit Moysaica.* Addens eam Judæorum esse legem in hunc usque diem, quod nulla scorta permittant. Hanc illorum legem confirmat Orig l. 4. contra Celsum dicens: nullæ fuere meretrices juventutis pestes in eorum Republicâ. Et Clemens l. 3. strom: & alii docent apud eos capitale fuisse meretricari. Secundò eadem damnant SS. Patres: Hieron. Epistolâ ad Oceannum ità scribit: *Cæsarem non Christum, Papianum non Paulum, viris impudicitiæ fræna laxare & lupanaria permittere.* S. August l. 2. civit. c. 20. lupanaria numerat inter illicita, ac pessimam dicit Rempublicam, *Ubi abundant publica scorta.* Deinde ex eodem S. Patre dicitur cap. *nubendi* 27. q. 1. *Fornicatio autem nulli impunè conceditur.* Lactantius autem l. 6. c. 23. dicit lupanaria esse invecta à dæmone.

Tertiò, eadem damnant innumera eaque gravissima mala, quæ ex tali scortatione proveniunt. Primò, quòd meretrices iram Dei provocent, ut patet Deut. 22. quòd apostatare faciant sapientes: quòd per easdem propagatio generis humani impediatur, unde fit, quòd innumeri honesta matrimonia inire detrectent, dum hâc viâ suæ concupiscentiæ possunt mederi: quâ vel solâ ratione videtur permissio meretricum contraria legi naturali, dum est contra finem à naturâ constitutum, ne liceret congredi, nisi ob susceptionem, aut propagationem prolis, quem meretricia impediunt, ut mox ostendi.

His & aliis rationibus convicti, plurimi Christiani Principes, meretricia proscripserunt, uti fecit S. Ludovicus Parisiis Philippus. IV. Hispaniarum Rex: & anno 1624. Dux Lotharingiæ. Imò præclarè S. Pius V. Romæ meretricia interdixit, contra populi Romani voluntatem & reclamationem. Sic & nuper Urbem nostram ab eodem scandalo & malo liberavit Nobiliss. & Ampliss. D. D. Alexander della Faille,

Urbis

Urbis noſtræ Prætor, &c. quod tamen aliis ſuis prædeceſſoribus judicabatur factu eſſe impoſſibile: quo facto, unà Urbem noſtram ſibi maximè obſtrinxit.

Nec ſolum id à Principibus Chriſtianis, ſed & ab ethnicis & infidelibus idem eſt ſtatutum: teſte Phylarcho, apud Gios meretrices non ſunt permiſſæ. Teſte Petro Martyre l. de novo orbe, meretrices plectuntur morte in inſulâ Palmariâ. Periander Rex apud Corintos meretrices undâ ſubmerſit, teſte Heraclid: de politiis, de politia Corinthiorum.

Unum eſt illudque præcipuum, quod permiſſio illa abſolutè ſit neceſſaria, ad præcavenda graviſſima mala, puta vagas libidines, adulteria &c. juxta illud D. Auguſt. *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Idem etiam docet S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 11. Et de regimine Princip. l. 4. c. 14. ubi ait: *tolle cloacam & replebis fœtore totum Palatium; tolle meretrices de mundo & replebis ipſum ſodomia.* Ad quod Reſpondent aliqui, hâc permiſſione vagas libidines non evitari, ſed potius inflammari, uti clarè patet in eis Urbibus, ubi lupanaria permittuntur. Ratio hujus eſt, quod una libido inflammet aliam, cùm ſit inſatiabilis; undè ſemper alios & alios modos excogitat, quibus ſatietur, nec ullis finibus ſe cohibet aut conſiſtit. Undè S. Hieron. contra Jovinian. ait, libidinem poſt copiam eſſe inopem, nec ipſo uſu extingui, ſed immoderatius ac vehementius inflammari.

Quod autem communiter objicitur ex S. Auguſtino, notant varii, illud in eo non reperiri, maximè cum S. Auguſt. meretricia condemnet, uti vidimus: quia tamen à S. Thoma adfertur, & approbatur, reſponderi poteſt; quod ad mala graviora præcavenda aliqua minora poſſint permitti, non quidem ea mala approbando, ſed non puniendo & Dei judicio eadem relinquendo. Hoc tamen ſincerè notandum eſt, ſæpè timorem gravioris mali eſſe infun-

ſun-

fundatum, qua ratione nec ipsa permissio, quæ illius mali evitandi causa adhibetur, licita est, sed condemnanda.

Addunt tamen varii, quòd ubi meretrices permittuntur, aliqua pœnalia illis debeant injungi, in signum quod solum permittantur, non approbentur: v. g. quod debeant habitare in loco Urbis viliori, ab honestioribus locis possint expelli, non possint vehi rhedis, si discedant sine pœnitentia ex hac vita, sepeliantur sepulturâ asini, uti fit Romæ, ubi similes sepeliuntur extra Urbis muros in loco ad hoc constructo, vulgo *muro torto*.

Ex dictis omnibus manifestè liquet summâ curâ ac diligentiâ, quoad fieri potest, huic malo esse obviandum, tum ut scandala tollantur, tum ut ira Dei & vindicta evitetur, quæ per meretrices provocatur.

NOMINI TUO DOMINE DA GLORIAM.

PR



I



INDEX
PRÆCIPUARUM RERUM
ET VERBORUM,
TOMI SECUNDI.

A.

B.

Bene-

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

S.

T.

V.

FINIS.



folio 9. lineâ 18. *fides* lege *fidei donum.*
fol. 24. l. 30. Auguſt. *lege* Ambroſ.
fol. 48. l. 8. exercitium *lege* exercitum.
fol. 76. l. 36. ſectæ *lege* ſectas.
fol. 82. l. 5. fecit *lege* ferit.
fol. 90. l. 5. quilibet *lege* à quolibet.
fol. 227. l. 14. Et ſana *lege* Cæſena.
fol. 239. l. 22. reſtitutionem *lege* veſtitutionem.
fol. 247. l. 35. vitam *lege* vivam
fol. 269. l. 5. dele *ſed perperam.*
fol. 276. l. 11. alteri revelari. *lege* alteri ulterius revelari.
fol. 289. quas. *lege* quam.
fol. 291. l. 31. commandato *lege* commodato.
fol. 294. l. 27. ut *lege* &
fol. 301. l. 25. Lovanienſibus *lege* à DD. Lov.
fol. 304. l. 13. libri *lege* liberi.
fol. 303. l. 27. quem *lege* quam
fol. 309. l. 5. pactibus *lege* partibus.
fol. 316. l. 35. dele *iis.*
fol. 320. l. 28. & 30. judicla *lege* indicia.
fol. 321. l. 15. abjucare *lege* adjudicare.
fol. 327. l. 17. probilitate *lege* probabilitate.
fol. 334. l. 20. ſimplicium *lege* regularium.
fol. 344. l. 30. ultimò *lege* ulterius.
fol. 425. l. 26. ſi *lege* ſit.
fol. 440. l. 31. advertendum *lege* avertendum.
fol. 456. l. 3. ndulgetur *lege* indulgetur.
fol. 461. l. 20. & 21. fluxus *lege* fluxum & ſimilis *lege* ſimilem.

Cætera minora per ſe facile lector corriget.

